
BIBLIOTECA NAZ.
XXVI*
D
20
NAPOLI

Digitized by Google

CAJETANI
ROMANI
A S. MARGARITA
CRYPTALIENSIS
DE CLERICIS REGULARIBUS
SCHOLARUM PIARUM
CARMINUM
TOMUS PRIMUS.



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

TEATE MDCCLII.
EX TYPOGRAPHIA PETRI FERRI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. PAULO MINICUCCI
J. C. CLARISSIMO. &c.

Cajetanus Romanus a s. Margarita De Cler. Reg. Scholarum Piarum
S. P. D.

ERunt fortaſſe nonnulli Muſarum contemtores, ac argutuli blaterones, qui cùm Te, Vir Clariſſime, non dicam in Patria ſolum, ſed in toto pene terrarum orbe Jureconſultum noverint fama celeberrimum, ſuas in me vertant ſubſannationes, ac maximopere mirentur, quod nomini tuo hunc carminum meorum libellum, qualiſcunque ille ſit, dicatum voluerim, perinde, ac omni prorſus deſtitutus intelligentia ignorarim, Ethnicos Marti bella, hortos Pomonae, Dianae ſilvas, & Mercurio eloquentiam ideo conſecraſſe, quia ab hiſce eorum Numinibus neque aliena, neque ullo pacto disjuncta videbantur. Quodnam enim vinculum (garrient) aut

quaenam cognatio inter Poeſim eſt, & Juriſprudentiam? Quid leges cum cantibus, aut ſtrepentes Fori contentiones cum placidis Aonidum ſenſibus moliuntur ? Itane verò ? Quorſum haec diſputant homunculi ? quorſum ? Neſciunt profectò; neſciunt, finitimum eſſe Oratori Poetam, numeris adſtrictiorem paullò, verborum autem licentia liberiorem; multis verò ornandi generibus ſocium ac pene parem, uti omnium praeſtantiſſimus Jureconſultus, ac eloquentiae Princeps Cicero teſtatur. Quod ſi ſcirent, pedibus in unam mecum eandemque Plinii ſententiam irent, qui Cornelio Fuſco ſcribens admonendo, adhuc in poſteritatis exhortationem clamat: *Saepe in orationes quoque non hiſtorica modò, ſed prope poetica deſcriptionum neceſſitas incidit -- Fas eſt & carminibus remitti -- Nam mirum eſt, ut his opuſculis animus intendatur, remittaturque: recipiunt enim amores, odia, iras, miſericordiam, urbanitatem, omnia denique, quae in vita, atque etiam in foro cauſiſque verſantur*. Neque inſipientes tantam in garrulitatem prorumpere auderent, ſi exigi ab Oratore etiam poeticum decorem, non Attii, aut Pacuvii veterno inquinatum, ſed ex Homeri, & Virgilii, & Lucani ſacrario prolatum, cum Quinctiliano ſentirent. Sed eſto: Doctores de jure agunt: & quinam ſunt (Deus bone!) Auctores, qui jus Naturae, & Gentium ex Populorum conſenſu, & vitae moribus deductum ante intuentium oculos politioribus explicant ſtudiis, & graphicè depingunt coloribus, niſi Poetae, quos divino numine afflatos & morum emendatores, & religionis interpretes, & ſocietatis hortatores, & legum denique conditores nuncupatos eſſe certo ſcimus? Non immeritò igitur, ſed jure quidem optimo poeticos hoſce meos luſus Tibi omnibus Juriſprudentiae ornamentis inſignito offerendos putavi, utpote qui ad miniſterii tui exercitium pertinent, atque animi delectationem. Praeterquam

quam

Digitized by Google

quam quod in illis de ſeptem Sanctiſſimae Virginis Mariae, & Joſephi ejus Sponſi doloribus, totidemque gaudiis agitur. Quis Te in praecipuo eorundem obſequio ferventior unquam fuit, aut eſſe potuit, qui ad illorum undequaque propagandam gloriam lubentiſſime vires omnes, atque induſtriae nervos admirabili quadam religione contuliſti? Agitur de conſpicuis & Sanctorum, & Heroum operibus. Quaenam facta ex ſingulari pietate tua, tanquam ex ubertimo fonte, quotidie dimanent, & Cives, & qui Te alibi norunt, & qui velut oraculum noſtris adhuc temporibus adeunt, ampliſſimum ubique gentium perhibere teſtimonium laetantur; admonentque, ne meritis tam eximiis, quibus praeter omnium opinionem ſcates, debitas ingenii culpa deteram laudationes. Agitur denique, ut cetera omittam, de Jureconſultis peritiſſimis, & nobili genere natis. Difficile quidem dictu eſt, quanto animi ſtudio Vir numeris omnibus abſolutus, quantiſque exantlatis laboribus leges colueris; opera enim tua adeo florent, ut ſub Te uno ſpiritum, & ſanguinem, & Patriam latiùs recepiſſe videantur. Hiſce ſpectati Herois dotibus Illuſtriſſimae Familiae tuae Minicucci gloria, veluti quidam cumulus, accedit, quae tanta eſt, tantiſque circumfuſa fulgoribus excreſcit, ut vel caecus adſpiciat. Cum hac nobiliſſima Familia, & Avezzani floreutiſſima Arpinum, Sora, Verulum, Peſculum Conſtantium, Curcumellum, & Pinnae affinitatem contrahere, vehementer gloriata ſunt. Quin & Roma (quis unquam crederet?) Roma, inquam, ipſa debilem ac mancum majeſtatis ſuae ſplendorem eſſe arbitrabatur, niſi tantae magnitudinis decor ſibi pariter contigiſſet. Itaque clariſſimae Domus Regoli, Ruggieri, Nobiloni, Celli, Hiſpani, Grilli, Scorpioni, Palocci, & Fabiani, quarum laudes nulla unquam aetas praetermittere patietur, Tibi uni

Digitized by Google

uni (verbo abſit invidia) luminoſa conſanguinitate conjunctae ſuperbiunt . Has inter, ceu Sol minora inter ſidera, celeberrima uſque adhuc Vetulorum Familia ſplendet, qui tunc revera peramplum nominis incrementum adeptos ſeſe putarunt , cùm voti compotes Sanguinem ſuum tuo miſtum inſpexere, quamvis abundanter haberent, unde ſtirpem jactare poſſent ornatiſſimam . Etenim Joannes Baptiſta de Pontibus, eorum affinis, humanarum divinarumque rerum peritia ad Nepeſinam & Sutrinam primò, deinde ad Bituntinam regendam Eccleſiam promotus, ingenua apud ſui ſeculi Proceres vixit exiſtimatione. Alter verò Joannes maturitate conſilii , morum candore, ceterarumque virtutum excellentia notus, Archiepiſcopatus Tarentini Infulam meruit obtinere . Largos tanti Viri fructus, cùm viginti quatuor annorum ſpatio totam Dioeceſim pluries luſtraſſet, datiſque documentis, & Epiſtolis ad praeſtantiorem revocaſſet conditionem, Cryptaliae, Patria mihi cariſſima, pluſquàm alia Graecorum, Latinorumque Oppida, egregia quidem, & uno tantum nomine Civitatibus inferiora, incredibili non ſine gaudio ſenſerunt . Is in Concilio Florentino , quemadmodum ſuſcepti labores exigebant , rite decoratus, Presbyter Cardinalis Ss. Nerei, & Achillei titulo ab Eugenio IV. creatus eſt. Nuncius, Amadei ſchiſmate vigente, in Germaniam, ut Gentes illas ad frugem corrigeret, nec non ad Patres Baſileae congregatos miſſus, tum effuſis ſudoribus, tum divinis, ita dixerim, habitis orationibus, utrobique munus ſuum feliciter abſolvit . Pro pace inter Alphonſum Aragonum Regem, & Andegavenſem Comitem concilianda ad Regnum Neapolitanum Legatus, mirum eſt, quanta, & quàm ſingulari ſe geſſerit dexteritate . Epiſcopus Cardinalis Praeneſtinus, venerandus Sacri Collegii Decanus, major Poenitentiarius inde-

indeſeſſus, Nicolai V. Comitiis, atque Legionenſi Eccleſiae, & Aurienſi non minus utilitate praefuit, quàm animorum exemplo. Hiſce bene cognitis, ad ſummi Pontificatus apicem, ſi vitam duxiſſet longiorem, facilè Purpuratorum, ac Principum omnium conſenſu aſcendiſſet. Quis poſthac obſtupeſcat, ſi tuos inter majores & rebus bene geſtis, & Stirpis ſcientiarumque cultu D. Raphael Minicucci eò pervenit celebritatis, ut in ipſis, quae ſuperſunt, imaginibus etiam chartaceis excuſa iſthaec fuerit Epigraphe?

RAPHAEL MINICVCCIVS

celeberrimus in toto orbe terrarum. Romae 1626.

Notum ſatis compertumque eſt, quanto in pretio D. Marcus Antonius Minicucci habitus ſit. Hic Aquilę in Veſtinis Regii Ærarii fideliſſimus cuſtos exactam muneris diligentiam cum ſumma morum probitate exequutus, cauſa fuit, cur impreſſis, ad intuendum non modò, verum etiam ad ſequendum, virtutum veſtigiis, magnum omnibus amorem, ſuique deſiderium reliquerit. Singularem hujus pietatem DD. Joannes Philippus, & Petrus Antonius ſibi aemulandam propoſuere, & quod ille ad majorem Divi Franciſci gloriam erexerat monumentum, auguſta munificentia reſtaurandum curarunt, quemadmodum in appoſita legitur Inſcriptione:

PIET. HOC OPUS
A D. MARCO ANTONIO
FIL. Q. PETRI ANTONII MINICUCCI
AB AVEZZANO IN MARSIS
DUM IN HAC URBE REGIUS THES. PRÆSID.
ANNO MDXCI EXTRUCTUM
PENE COLLAB.
D. JOANNES PHILIP. ET D. PETRUS ANTON.
U. J. DOCTORES
EJUS ABNEP.
ANNO MDCLXXXII RESTIT.

Quid

Digitized by Google

Quid de paternarum traditionum aemulatoribus, ac magnis Dominis, Brunone, Dominico Antonio, & Philippo dignum hìc referam? Juvenes in Urbe Roma honorificè educati, omnique doctrinarum, atque eruditionis genere imbuti, Neapoli Doctorum inſignibus communes inter applauſus ſeſe decorarunt, ut ſic prudentia, conſilio, ſapientia, omnique probitatis ſpecimine ceteris praelucerent, & Familiam quotidie magis nova gloriae ubertate illuſtrarent. Tu verò, Doctor eximie, qui clariſſima majorum exempla non aemularis tantùm, ſed longo etiam poſt Te intervallo relinquis, fulgorem Stirpis virtutum tuarum radiis obumbraſti, & factus es Stemmatis victor tui, per quod pleroſque mortalium naſcendo ſuperaſti. Quare gaude iſto tuo bono, & mihi, ceu tua ſolet humanitas, gaudii quoque particulam impertire, haec qualiacunque erga Te obſervantiae meae officia non improbando. Unum mihi uſque ad Animae diviſionem diſplicet, quod nullam in carmina adhibere limam poſſim, cùm meliori aetatis curſu oculi caligent mei. Recreabor tamen, antequam moriar, abundantiſſimè, ſi Tibi probari ſenſero; quo fiet, ut cetera jam exarata me Tibi dicaturum ſperem. Vale.

Dabam Teate Idibus Septembris. an. 1751.

JOSEPH AUGUSTINUS
A S. NICOLAO

Cleric. Reg. Paup. Matris Dei Scholarum Piarum
Praepoſitus Generalis.

CUM librum, cui titulus: Carminum &c. *à P. Cajetano Romano à S. Margarita, Religionis noſtrae Sacerdote Profeſſo, compoſitum, duo ex Noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint, atque approbaverint; ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem &c. Datum Teate in Aedibus noſtris Scholarum Piarum apud S. Annam die* 20. *Octob.* 1748.

Joſeph Auguſtinus a S. Nicolao Praepoſitus Generalis.

Franciſcus Maria à S. Joanne Evangeliſta Proſecretarius.

Digitized by Google

Admodum Reverendus Pater Lector Fr. Bernardus Maria ab Anxano Ordinis S. Franciſci Min. Capuccinorum revideat, & in ſcriptis referat. Datum Teate ex Palatio Archiepiſcopali die 22. Novembris 1751.

BARONE.

D. Franciſcus Roſſi Cancel.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine.

Legi Librum, cui titulus: Cajetani Romani a Sancta Margarita Cryptalienſis, de Clericis Regularibus Scholarum Piarum Carminum &c. *& omnia in ipſo tum Catholicae pietati, tum perpolitiſſimo calamo optimè reſpondent. Quare, ne tam pretioſo Litterarum Reſp. theſauro privetur, in lucem edi poſſe, ac debere firmiſſimè cenſeo, ſi ita Dominationi tuae Illuſtriſſimae & Reverendiſſimae videbitur.*

Teate die 7. Decembris 1751.

Dominationis Tuae Illuſtriſſimae, & Reverendiſſimae

Humillimus, addictiſſimus, & obſequentiſſimus famulus
F. Bernardus Maria ab Anxano Capuc. Lect.

Attenta retroſcripta relatione, liceat Typis mandari. Datum Teate ex Palatio Archiepiſcopali die 9. Decembris 1751.

BARONE.

D. Franciſcus Roſſi Cancel.

Die

Die decima menſis Decembris 1751. *Teate &c.*

Per Regiam Teatinam Audientiam, viſa retroſcripta compoſitione, fuit proviſum, quod revideatur per Illuſtrem Marchionem Caſalis D. Xaverium de Judice, & in ſcriptis referat ad finem &c. & ita &c.

CAMPANILE. POLINI.

Ph. Vicoli Secret.

Illuſtriſſime Domine.

Mandata tua, qua decet obſervantia, executurus, Carminum librum ab admodùm Reverendo Patre Cajetano Romano a Sancta Margarita de Cler. Reg. Scholarum Piarum, Viro tùm eruditione, tùm morum probitate clariſſimo, compoſitum, incredibili prorſus animi alacritate perlegi. Cùmque ob hujuſmodi lectionem eruditior quotidie, moratiorque fierem, Cryptaliis maximopere gratulatus ſum, quod ſicut doctiſſimorum Operum Scriptores, præſertim Cicinellos, Romanos, Pignatellos, Baptiſtas, Marinarios, totque alios olim protulerunt; ſic noſtra hac aetate Filium habeant, qui ſuae Poeſeos dulcedine immortales ſapientibus laudationes non invidet. Quod autem ad Regia, Reique Publicae jura pertinet, ne verbulum quidem ullum inveni, quod aliquo pacto diſſonum videatur. Itaque & Chriſtianae Religioni, & Litterariae Reipublicae conſultum dijudico, ſi in communem Gentium lucem, dummodo ſententiae meae tua accedat voluntas, Typis mandabitur. Dat. Teate die 20. *Decem.* 1751.

Dominationis tuae Illuſtriſſimae

Addictiſſimus Servus
Xaverius de Judice.

Die vigeſima menſis Decembris 1751. *Teate &c.*

Per Regiam Teatinam Audientiam, in Conſilio ipſius lecta retroſcripta relatione, fuit proviſum, quod enunciata compoſitio imprimatur &c. & ita &c.

CAMPANILE. POLINI.

Ph. Vicoli Secret.

Ad

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Quiſquis amore graves in carmina vertis ocellos;
Haec interrupta diſce notata lyra.
Largus ut afflabat me numine Apollo volentem;
Ardorique aderat Muſa ſecunda meo;
Me Pietatis onus, voxque importuna Catonum
In varium rigida lege trahebat opus.
Muſaque, & in juſtos accenſus Apollo furores,
Continuò vatem deſeruere ſuum.
Numina, & ideas revocare labore ſtudebam;
Eſtque mihi applicitae mentis ademta quies.
Ergo fatigati, Lector, miſereſce Poetae;
Accipe & haec placido qualiacunque animo.
Rarus honos, haec poſſe legi, reputabitur olim:
Rarior, ingenio poſſe placere tuo.

Ille ego, cui Faſtos vetereſque, ſacroſque Tarenti
Pangere verſiculis Tuſca Thalia dedit,
Nunc Joſeph, Mariaeque cano ſeptemque dolores,
Inque ſuis totidem gaudia pectoribus:
Sanctorumque habiles ad facta celebria laudes,
Facta, quibus diae prominuere faces.
Gratum opus hoc animis Pietatis habentibus ignem,
Nil ſapiet quibus eſt corda ſub ipſa gelu.
Noſtra placere tibi ſi carmina fortè requiris,
Has dare delicias una favilla poteſt.

Car-

CARMINUM
LIBER I.

Luctus, & Gaudia in Patriarcha Sancto Joſeph.

Cùm eſſet deſponſata mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Matth. 1.

LUCTUS I.

NON ita, cùm glomerant bella, horrida bella frementes
Africus, & Caurus, cumque Aquilone Notus,
Protinus allapſi pelago, de ſedibus imis
Caerulei invertunt regna ſubacta Jovis;
Inque ratem, mediis quae fortè ſupernatat undis,
Incutiunt rabiem parte ab utràque ſuam;
Perque trahunt loca aperta malis, perque omnia trudunt,
Nec datur in tantis fluctibus ulla quies;
Ut vigiles Joſeph, facto velut agmine, curae
Sollicitant dubium nocte, dieque animum.
Suſpenſumque agitant nunc huc, nunc ictibus illuc:
Menſque per incertas itque, reditque vias.
Nempe recente videt foecundam germine Sponſam,
Dimidiumque Animae, deliciumque ſuae.
Eventus nequit ille tamen cognoſcere cauſam.
Non etenim facti pars operoſa fuit.
Vita, piaeque faces, & dia modeſtia vultus
Virgineum jurant labe carere decus.
At gravidam tumor ipſe ſinus docet eſſe Parentem.
Ulla nec arcanos vis dat inire modos.
Caſibus in tantis Animam languere gravatam
Sentit; & ambiguo torquet honore dolor.
Ergo fatigatos tremor inſitus occupat artus:
Ictaque mens trepido palpitat aegra metu.
Heu quid agat? quae prima ſenex exordia ſumat,
Conjugis agnoſcat geſta ut operta ſuae?
Alloquar? inquit; at haec ſi candida Virgo pudore eſt,
Crimen in immeritam perdita verba voment.

Digitized by Google

Nobilis eſt virtus praeſtare ſilentia rebus:
  Pergravis eſt contra culpa, tacenda loqui.
Ergo libens taceam? Sed quomodo? Mater in aucta
  Indicat externum germen habere ſinu.
Si qua fides oculis, non fallor imagine rerum.
  Somnia nec vigilem vana timere jubent.
Quae miſer ergo oculis nunc luſtro fidelibus, illa
  Vera meis nimium ſenſibus eſſe patent.
Forte ſed indicio non ducitur argumentum.
  Heu dolor! heu Animae vulnera facta meae!
Diſcedam tacito caris è Nazareth oris
  Tempore, nec dicam: Sponſa Maria vale.
Nec me fidus amor, nec me data dextera quondam,
  Nec gemitura virum Virgo miſella tenet?
Virgo, Parenſve, Sion inter pulcherrima Nymphas,
  Tu fereris luctus uber origo mei.
Seu Sol Heſperiis lateat revolutus in undis,
  Aethere flammigeros ſeu regat altus equos,
Tu veniente die, tu diſcedente, medullas
  Excoquis, & curas aggeris una meas.
Naufragus hos inter Joſeph mage fluctuat aeſtus:
  Et facit ad poenas nulla medela ſuas.
Quo ſe cunque movet, nihil eſt, niſi cauſa timoris:
  Currit & afflicti per ſenis oſſa dolor.
Sternitur interea membris languore ſolutis.
  Ah requiem ſomno poſſit habere ſuam!

Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Matth. 1.

Dialogus Angeli, & Joſeph.

GAUDIUM I.

Angelus. O Nimium dilecte Deo, quem proſper Olympus
  Non ſinit in longà vivere triſtitià,
Excute de dubio procul excute pectore curas;
  Propitiumque animo percipe conſilium.

Joſeph. Dupliciter miſero ſub zeli incommoda, pacem
  Non datur in tantà carpere amaritie.
At quis inauditâ memorat mihi voce miniſter
  Quae patior ſocii vulnera conjugii:
Atque iterum in lacrymas facit ire, iterumque dolores
  Pectore ſollicitos ingeminare meo?

An-

Angelus. Ipſe ego. Sed ſtudiis tua ſunt contraria noſtris.
Triſtia tu reputas, aſt ego laeta gero.

Joſeph. Tu quis es? ò quem te memorem, ſpectabilis Hoſpes?
Vox tua mortalem non ſonat, iſta hominem.
Majeſtas proh quanta! genis quantum inſtar in aureis!
Inſidet aſpectu gratia quanta tuo!
In terram (mihi crede) trahis dulcedine Caelum.
Unus an es tanti ſpiritus Imperii?
Quidve petis? quicunque meos, precor, aſpice luctus:
Oppreſſamque leva, qua potes arte, Animam.

Angelus. Nuncius hic adſum divûmque, hominumque Satoris;
Dicor & aligeri pars operoſà Chori.
Qui mare, qui terras, qui dirigit aethera nutu,
Me tibi de laribus mittit Olympiacis;
Iſtaque ferre jubet volucres mandata per auras,
Conjugio ò felix terque quaterque tuo:
Neu timeas ſociam tecum retinere Mariam.
Illa decus primae Virginitatis habet.
Quicquid & excretà tacitè concepit in alvo,
Non equidem humanae eſt conditionis opus.
Nam Pater afflavit Superùm caeleſtibus auris;
Venit & in caſtos Numen ab arce ſinus.
Miſcuit illa potens toto ſe corpore virtus.
Hinc gravis eſt Virgo pignore facta ſuo.
Qualiter, occultè naturae foedere pacto
Concipit, & foetu plena graveſcit humus;
Multus ubi in gremium matris dilabitur aether;
Auraque foecundo verna tepore jocat.
Plaude. Deum pariet, nec partus ſentiet ictus,
Mota nec intacti clauſtra pudoris erunt.
Nempe imitata Parens ſpecularia Virgo feretur,
Quae proprio admittunt Solis in orbe faces.
Pertranſit lux ipſa quidem, irrumpenſque tenèbras
Diſcutit, atque umbras vi ſuperante fugat,
Illa illaeſa manent, neque aquis, neque pervia ventis,
Sed tantùm radiis, Sol ſpecioſe, tuis.
Aetherias puer ergo Deus prodibit in auras:
Tuque Dei plenà laude ferere Pater.

Joſeph. Siſte, precor; medio ſic me ſermone relinquis?
Siccine me pennà deproperante fugis?
Ah procul in tenuem ex oculis evanuit auram!
Jam tetigit cari limina Zodiaci.
Filius ergo meus dicetur amabile Numen:
Divinaeque Pater conditionis ero?
O' laſſum miſerate ſenem, tibi gloria ſurgat,
Conditor, aeterno non peritura die.
Ergo Deus patrio pendebit ab ore jubentis,
Ille meo Omnipotens ſubditus arbitrio?
Felix, & nimium felix! Quis talia mentis
Volviſſet tacito pignora conſilio?
Flebile principium melior fortuna ſecuta eſt:
Venit & è miſeris gratia imaginibus.

Corri-

Digitized by Google

Corripiunt diffuſa meum nunc gaudia pectus.
Sentit & his impar ſpiritus eſſe bonis.
Eja meam recreate Animam data gaudia Caelo.
Gaudia per ſenſus ite, redite meos.

Maria peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in praeſepio: quia non erat eis locus in diverſorio. Luc. II.

LUCTUS II.

NOX erat, & plauſtrum cuſtos Erymanthidos urſae
Nutibus urgebat per data regna ſuis.
Jam rebus color unus erat. Diſcrimina rerum
Horrida Cimmeriia texerat umbra peplis.
Omnis ager, pecudeſque omnes, pelaguſque, volucreſque,
Et poſito ſilvae conticuere ſono.
Corpora tranquillam carpebant feſſa ſoporem:
Pulſaque Lethaeas cura ſubibat aquas.
Pupulus in rigido Bethlehem cùm naſcitur antro,
Numine qui terras, qui regit aſtra ſuo.
Naſcitur ille Deus, rerumque hominumque Repertor,
Conditus in ſtipulis, ſtraminibuſque Puer.
Pauperie premitur patiens, & membra ſeveris
Sentit ariſtarum ſaucia cuſpidibus.
Tempora bruma frequens borealibus aſperat auſis,
Dum furit armatus cornibus Aegoceros.
Ergo jacent niveo deformes aggere campi;
Triſtis & hiberno ſidere terra riget.
Frigora fert Infans lacero vix tectus amictu;
Ingruit & gelidus parva per oſſa tremor.
Quique tuas, ò Phoebe, faces fulgore praeibant,
Nil oculi laetum, nil geniale micant.
Lacrymulae ſuper ora fluunt, nimiumque rigantur
Expalleſcentes rore cadente genae;
Qualiter elato Rhodopes in vertice montis
Aſpicimus madidas imbre repente nives.
Triſtibus hinc illinc replet vagitibus auras,
Ergo ſuo Bethlehem murmure tunſa ſonat.
Purpureus jam laſſa color fugit ora Puelli.
Corpore ab exiguo jam decus omne cadit.
Nunc oculis, nunc ille manu, nunc fortè labellis
Annuit. Ah meritum poſtulat auxilium!
Senſibus ut Gnatum Joſeph circumſpicit aequis,
Praeruptamque hiemem, damnaque acerba pati,
Caſibus expoſitum, gelidâque in rupe jacentem
Flexus utrumque genu, pronus & ora colit.

For-

Fortior aſt armis populatur cura ſeniles.
Nec ſua fata poteſt diſſimulare Pater.
Credite: non tot apes Hyblaea per arva ſuſurrant,
Non tot Athos lepores Xerxe foratus habet;
Non tot in Ionio ſpernuntur littore conchae,
Nec tua tot baccas laurus, Apollo, parit;
Quot patrio Joſeph perſentit amore dolores:
Spicula quot penetrant fellè referta ſinum.
Ipſa docent lamenta, animo quae vulnera ſervet.
Sic Patris indicio prodita flamma ſuo eſt.
Innixus tereti mentoque manuque bacillo,
Haec, ait, auguſti ſunt decora alta Throni?
Sunt ubi chryſolithi, poſitaeque ex ordine gemmae,
Aut ubi ſupremo gloria digna Deo?
Numinis haec tanti cunabula? debita ſedes
Haec majeſtati, Pupule care, tuae?
Aſt ubi Regis honos, & munificentia rerum,
Proclivisque tuo turba miniſterio?
Pro radiante auro, teneris pro murice membris
Terga bidentis habes, palliolumque meum.
Bos, & aſellus adeſt, tepidum flans ore vaporem.
Forſan & hic natum cernere uterque dolet.
Non niſi pungentes rigido cum ſtramine ariſtae
Corpore componunt grande cubile tuo.
Pauperiem miſeris ſpirat locus undique rebus;
Rupis & horrorem rudera viſa movent.
Quin caſa brutorum jam jam lapſura, cadentique
Aſſimilis, reliquum vergit ad exitium.
Nixque, geluque, & adhuc creſcentia frigora quanto
Conjurata tibi bella rigore ciunt!
Et pateris, Dominuſque tuis ſis advena regnis,
Hoſpitii ut nullas experiaris opes.
Velle pati te noſco, Deus: ſed acerba dolorem
Pectore congeminant haec tua fata meo.
Heu! languentem Animam mihi quis pietate parumper
Sublevet? Ah poenis ſit data meta meis!

Digitized by Google

Facta eſt cum Angelo multitudo militiae caeleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis . . . Et Paſtores venerunt feſtinantes: & invenerunt Mariam, & Joſeph, & Infantem poſitum in praeſepio.
Luc. II.

Ecce Magi ab Oriente venerunt . . . & intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.
Matth. II.

GAUDIUM II.

O Quibus auratus concentibus intonat aether!
An Polus in terram nocte ſilente venit?
Aligerùm glomerata phalanx fulgentior aſtris
Proſpicitur tractus ire per aerios.
Cornua pars habili, lituoſque, & claſſica flatu
Complet, & haec ſequitur tibia miſta tubis.
Ille lyras, citharaſque Chorus: pſalteria, & aureo
Pectine panduras, barbita & iſte movet.
Sambucaſque alii, dilectaque nablia palmis,
Et decachorda, ſacrae conſona laetitiae.
Hác pulſant reliqui genialia tympana, & illàc
Siſtra, & amica ſuis cymbala cruſmatibus.
Jam ſymphoniaco modulamine carmina jungunt,
Carmina mellitae prodita vocis ope.
Orpheos hiſce melos cedit, dulcedine victum.
Nec memorata modis vox tua, Apollo, valet.
Hymniſono ut rumpunt nocturna ſilentia cantu,
Bethlemicae reboant ruſtica tecta caſae:
Tecta, quibus natus vagitu Infantulus auras
Percutit, & poenas indicat ille ſuas.
Nec mora: blanditias inter, plauſuſque ſonantes
Protinus hoc nectar parte ab utràque canunt:
In ſuperis aeterna Deo ſit gloria nato,
Inque imis homini pax ſit amica plagis.
Auribus ut bibit arrectis haec talia Joſeph,
Nullibi praeteritis cognita temporibus,
Aligerùmque videt per inania plaudere turmas,
Et circumfuſâ luce micare ſpecum;
Aſpera continuò ſub pectore vulnera ſedat:
Et fugit ex animo, qui fuit ante, dolor.

Ca-

Captus ab ingenti rerum dulcedine, neſcit,
Ducat an in terris, an ſuper aſtra dies.
Laetitià creſcente ſenex Jeſſaeus abundat.
Nec capit anguſtus gaudia tanta ſinus.
Quà data porta, patent egreſſa; virique beati
Pectore ſint quanto nectare plena, docent.
Non aliter circùm coſtas undantis aheni
Virgea cùm magno murmure flamma furit,
Aeſtibus exultat, ſpumiſque exuberat amnis:
Suppoſitumque ſuper funditur unda focum.
His ſua cunctorum mens eſt oblita laborum,
Dulcius ut munus melle, favoque fovet.
Ipſe voluptatis nec turgidus impete torrens
Deſerit abluti cor madidare Patris.
Cernit adorantes pecorumque, oviumque Magiſtros
In paleis poſitum, ſtraminibuſque Deum.
Quilibet, aeterni monumentum, & pignus amoris,
Dat bona de campo, de grege lecta ſuo.
Sunt & caſeoli, quos juncea fiſcina ſervat,
Et molles tenui cortice caſtaneae.
Sunt agni pingues, & preſſi copia lactis,
Sunt pyra, ſunt calathis uva, nuceſque ſuis.
Et quid Paſtorum per rura coagular uſus,
Quicquid & Autumnus muneris uber habet.
Oblato data corda ſenex in pignore noſcit;
Laeraturque Deum ſimplicitate coli.
Quin etiam, ille tuos, Tellus Nabathaea, Dynaſtas
Geſtit habere humiles, Numinis ante pedes.
Scilicet & chlamydes, & ſerta micantia frontis
Per terram tenerâ relligione trahunt.
Idem animis pius ardor ineſt. Inſignia faſtus
Re ſibi pro vili, ſub pedibuſque tenent.
Omnibus hoc reputant gemmis pretioſius unum:
Ardentis Puero pandere amoris opus.
Ergo mille ſuis infigunt oſcula labris,
Oſcula, queis nectar cedit, Hymette, tuum.
Poplite curvati, Regemque, Deumque, hominemque
Fantur; Inops miſero ſit licèt in ſtabulo.
Hoc aurum ſiquidem, thus hoc, hoc myrrha fatetur,
Quae Domino praebent myſtica dona ſuo.
Talibus haud Joſeph ſeſe capit. Addita Nato
Quae venit, illa Patri gloria habenda venit.

Digitized by Google

Conſumati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer.
Luc. II.

LUCTUS III.

NOvit & Infantem indubitabile Numen Ioſeph,
Fortuitum quamvis ſterneret herba torum.
Novit & eſſe Deum, nec opis, nec lactis egentem,
Cujus ab Oceano gratia quaeque fluit.
Siccantemque avido quoque Virginis ore papillas
Vidit, & exiguis artubus invalidum.
Nempe ſuae partem mortali è corpore Matris
Mortalem voluit natus habere Puer.
Atque ideo, ut veterum Lex priſca jubebat Avorum,
Lex, rerum Artificis prodita ab ore prius,
Imprimitur generis ſignum, radenteque petrâ
Parvulus in tenui pelle putatur Amor.
Percipit ut vulnus (nimium penetrabile vulnus!)
Acta repercutiens ſerpit in oſſa dolor.
Labitur interea caeſâ de parte Puelli
Sanguis, & effuſum linea vela bibunt.
Sic, hortos cùm fortè animat Zephyritis, & humos
Uberior plantis, arboribuſque ſubeſt,
Si vitem male falce putans vir laeſerit, illa
Ingemit; & guttis tunſa madeſcit humus.
Vulnus ad infixum, crudeſcentemque dolorem
Largius Infanti non niſi flere licet.
Lacrymulis (eheu pietas!) ſuffundit ocellos,
Amne per immeritas ſaepe cadente genas.
Quos agitat Joſeph, cernens haec talia, ſenſus?
Quaeve cor impoſito pondere cura premit?
Divinum trepidante manu legit ille cruorem;
Stringit at ipſe gelu membra paterna cruor.
Quâ potis arte, levat triſtem: lacrymantia tergit
Lumina, datque ſuis oſcula cara labris.
Tum pietate gravis ſibi corda liqueſcere ſentit.
Dura tamen miſero poena ferenda animo eſt.
Ad Legem nunc ergo oculos, nunc vertit ad aegrum
Numen; & alta ſinu vulnera utrumque gerit.
Expoſitam medio ſpectaſtis in aequore puppim,
Quae natat adverſis percita turbinibus?
Unus in hanc urgens, partem trahit alter in illam;
Nec datur impulſae poſſe quiete frui.
Sic animum Joſeph nunc huc, nunc dividit illuc.
Ictibus hinc agitur laſſus, & inde ſuis.
Inſpectat Puerum; at moeſto Puer ore videtur
Talia flebilibus rumpere verba modis:

Ah!

Ah ! paullùm meditare, Pater dulciſſime Joſeph,
Si dolor eſt, Pueri ceu dolor iſte tui.
Vix ego in aetherias è Virgine proditus auras,
Pupulus incipio tot mala dura pati.
Per te, perque homines, mortales volvere caſus
Eligo, ut una meo vita ſtat ingenio.
Naſcor, & in dio patientia naſcitur ortu.
Creſco recens, annis creſcit & illa meis:
Finiet oblongos poſt tot diſcrimina curſus,
Cùm nova ſanguineae victima mortis ero.
Queſtibus hiſce, Animam Joſeph ceu cuſpide fixus
Languet; & undantes corruit in lacrymas.
Hinc madidis antiqua oculis documenta pererrat
Legis; at haec clamant: quae tibi cura, Senex?
Pectora ne tentent mortalia temnere legem,
Suſtineat patiens jura cruenta Deus.
Sic fas, ſic pietas, ſic & myſteria poſcunt.
Conditor hic legem ſic ſubeundo probat.
Quae tua perceptis nunc eſt ſententia dictis?
Quaeve aconita tuo pallidus ore bibis?
O' paſſus graviora Senex incommoda, perfer.
Surgere pax melior poſt fera bella ſolet.

Vocabis nomen ejus Jeſum. Matth. 1.

GAUDIUM III.

NAzareth ad ſacros per inania regna penates
Venerat è ſummâ nuntius arce Puer.
Omnia vel Phoebo ſimilis, crinemque, coloremque;
Et majeſtatis membra decora ſuae.
Flava humero demiſſa chlamys pendebat ab uno,
Caelicolùm docto texta labore chlamys.
Purpura Maeandro hanc duplici luſtrabat, & auro
Fibula mordebat ſubter utrumque latus.
Quin & erat totas baccis diſtincta per oras;
Pendula ſed bullis cingula rubra ſuis.
Mollius à tergo viſae ſuccreſcere plumae,
Inque alas humeris leniter ire duas.
Tum ſuras fulgore ſuas vincentibus aurum
Clauſerat in gemmis; cetera nudus erat.
Aliger hic verbis Joſeph ſolatus amicis,
Vidit ubi dubio cor trepidare metu,
Virgo, ait, aetheria gravis eſt divinitùs aura;
Eſt Patris, & Nati fertilis Ignis opus.
Cùm pariet Puerum, patrio dic nomine Jeſum:
Ipſe meo Omnipotens ſic jubet ore Deus.

Digitized by Google

Tunc Joſeph: Te ritè ſequar te Sancte Deorum,
Quiſquis es; & peragam Numine juſſa meo.
Ergo tuâ imperium manet altâ mente repoſtum,
Aeternumque genus, quicquid & explet opus.
Menſibus exactis tandem, & ſpectantibus aſtris,
Virgo, ſinus clauſis poſtibus, edit onus.
Nec motus intacta Parens per viſcera ſentit,
Ponderis aut ſtimulos, aut tua damna, dolor,
Sic matutinus ſuper arva virentia Eous
Deſudat rorem vere tepente ſuum,
Immadet aſperſâ ſub veſte viator; agentem
Vim tamen haud ſentit lene cadentis aquae.
Alitis interea data juſſa ſecutus, Ieſum
Praecipua Joſeph relligione vocat.
Exprimit ut nomen, non vultus, non color idem;
Vertitur in melius prima figura decus.
Quantus honos oculis! quantus lepor additus oti!
Lumina diſſiliunt corpore quanta ſuo!
Sapphiros, ſmaragdos, adamantas, iaſpidas illis
Quis putet aſſimiles poſſe referre faces?
Nec ſic berylluſque, hyacinthuſque, atque amethyſtus,
Chryſopraſuſque, & onyx, chryſolithuſque micant,
Solis inardeſcens radiis pellucida nubes
Circumdat meritum, ſorte favente, virum.
Afflatus propiore Dei jam numine, in altis
Major io factis, major & ore paret.
Hinc divinam animam, ferveſcenteſque calores
Concipit, atque alacri talia voce refert:
O' me felicem ſuper omnia munera Patrum!
O' fortunatos terque quaterque oculos!
Aſpicio ad nomen, venerabile nomen Ieſu
Omnia mox faſtus ſubdere regna ſuos.
Jam pluviae quà parte rigent, extenditur, & quà
Fervida bacchanti flamma calore furit.
Per terras, per ſumma ſuas, perque infima pennas
Jam circumfuſa luce ſuperſtes agit.
En Superùm ſacra turba genu ſuper aethera flectunt:
Frontibus en humilis, carminibuſque colunt.
Cernua poplitibus Tellus ſimul ora recurvat,
Et ſtudioſa ſuo pendet ab imperio.
Tartara Lethaeis reverentur, & ipſa cavernis;
Omnipotenſque legunt numen adeſſe ſuum.
Supra hominum, te ſupra acies attollere cerno
Caelicolùm, & Stygios te penetrare lacus.
Te reſonant quacunque ſcatens dulcedine Caeli;
Suavius ac ipſo nectare Terra canit.
Balſama, thus, nardum, & lacrymatam cortice myrrham,
Et quae mittit Arabs cinnama, nomen, oles.
Humanum quid forte Genus marceſcis amara;
Preſſaque moeſtitiae pondere corda geris?
Triſtibus aut fruſtra quid planctibus aſtra laceſſis?
Hoc tibi perpetuò nomen in ore ſonet,

Hoc

Digitized by Google

Hoc ſimul exprimitur, gemituſque, dolorque fugantur;
 Solis ad auratas territa ut umbra faces.
Hoc ſonet Heſperiis, ſonet hoc quoque nomen Eois:
 Subſidium Eois, Heſperiiſque dabit.
Inter ſaxa ſonet, quibus eſt genus omne ferarum:
 Molſia ſpectabis ſaxa, piaſque feras.
Per maria alta ſonet: ventos componet, & aeſtum;
 Et placidam ſternet navibus uſque viam.
At miſero ſi nomen erit laetabile Mundo,
 Addet io poenas hoſtibus, addet io.
Proh quantùm trepido lacrymabile nomen Averno!
 Undique denſa humeris agmina tota tremunt.
Plutonis ceſſere manus, ceſſere furores.
 Diriguit gelidus fracta per oſſa cruor.
Jam primi cecidere animi; nec jam amplius armis,
 Sed pacem lacrymis poſtulat ille ſuis.
Nil facies miſer, aeternis cruciabere poenis.
 Semper & infeſtum ſub tua fata leges.
Plaudite Mortales, vacuoſque arcete timores.
 Nomine ab hoc victrix palma, ſaluſque fluunt.
Hoſtis ab hoſte jacet, deſperatoque ululatu
 Hinc caput, inde agitans tetrica regna quatit.
Ecce catenato trahitur per Tartara collo;
 Nec requiem tantis ſperat in exitiis.
Illic mordet humum, centumque revinctus ahenis
 Poſt tergum nodis, irritus ore fremit.
Omnipotens, metuendum, ingens, mirabile nomen,
 Quantus honor, virtus numine quanta tuo eſt!
Haec ubi dicta: ſenem plauſu excepere phalanges.
 Gaudia Jeſſaeum ſic habuere ſinum.

Cùm inducerent puerum Jeſum Parentes ejus; ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo: accepit eum in ulnas ſuas Simeon, & dixit: Ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur. Luc. II.

LUCTUS IV.

Luce quater denas jam Sol compleverat ortus;
 Jam totidem noctes Luna citarat equos:
Cùm Solymam advenit Joſephque, & Parvulus, & ſe
 Luſtratura, licèt caſta pudore, Parens.
Stabat ſacra ferens Simeon altaria circùm,
 Obſitus os rugis, canitieque comas;
Albo ſuccinctus panno, capitiſque bicorni
 Tegmine, conſervans ſub penetrale focum.

Ille

Digitized by Google

Ille Deo vitulos mactarat, & ore precatus
Supplicìter veniam, thura adolenda dabat.
Circumfuſae aderant acies, vittiſque ſtudebant
Tangere caeſorum tempora amicta boum.
Linteaque, ignemque, & poſitos ſeptem ordine lychnos
Rorarat digito terque quaterque ſuo.
Effuſumque Pater libans de more cruorem,
Ardebat nocuas ſorde piare Animas.
Et ſacris jam finis erat, cùm venit ad aram
Geſtans faſciolis Virgo puella Deum.
Ponè ſequens Joſeph, geminas de more columbas
Duxit, odoratis dona futura focis.
Quis referat, quali tunc lampade fulſit Olympus;
Attonitiſque animis nuntia quanta tulit;
Aut Solymae quae ſigna Pater dedit aethere ab aureo;
Teſtatus ſobolem per nova monſtra ſuam;
Horruit aut quantùm Pueri pius ore miniſter;
Quodve repentinum prodidit ara jubar?
Thura ter ardentes Simeon projecit in ignes:
Terque volans tetigit ludicra flamma tholum:
Immolat haec inter torquatas ritè volùcres;
Templaque libato fuſa cruore rubent.
Lecta voraturis donat tum viſcera flammis;
Ardet & excelſo victima grata Deo.
Elatoque vapor ſummum petit aëra gyro;
Panchaeoque flagrans ſpirat odore rogus.
Nec mora: Caeleſti correptus mente Sacerdos,
Inſperatam auram flantis ab ore trahit.
Suſceptumque Deum tremulis ampleċtitur ulnis,
Promit & haec lacrymis verba remiſta ſuis:
Vera Dei ſoboles, incrementumque Tonantis,
Pupule, virgineâ de Genitrice ſatus,
O' maris, ò terrae, Divûmque, hominumque Creator,
Aeternâque tuo par Deitate Patri,
Veniſti tandem, perque aſpera fata moleſtum
Firma tuo virtus pectore vicit iter.
Qui prius è Caelo nos exaudire ſolebas,
Nunc facili in terris excipis aure preces.
Qui pedibus Cherubim pennaſque, caputque premebas;
Nunc quota pars turbae pauperis eſſe cupis.
Te nubes quondam ſtudioſo obduxit amictu;
Et data viſendi copia nulla tui;
Nunc datur, alme Puer, mortalibus ora tueri;
Altaque vagitu Templa ſonare tuo.
Expectatus ades. Tu Mundi abſtergere ſordes
Cordis inexhauſto motus amore venis;
Tu faciles aperire vias ad ſidera, & igneo
Tollere anhelantes Ditis ab ore Animas.
Aſt rabidâ quò mente ruis, ſcelerata juventus?
Scuta quid, & gladios, quid necis arma paras?
Hei mihi! funeſque, & virgas, diramque Columnam,
Spineaque innocuum ſerta obitura caput;

Horren-

Digitized by Google

Horrendamque Crucem, clavoſque, venenaque, & haſtam
Haeſuram lateri nunc ego cerno ſuo.
Venerit heu! tempus, nimiùm illaetabile tempus,
Atria cùm dio plena cruore fluent;
Mutatiſque Cedron labetur diſcolor undis,
Et Solymae ardebunt imbre rubente viae;
Cùm thalami comites, pueri, innuptaeque puellae
Reſpicient Juvenem funera aduſque trahi.
Tuque ſiniſtrarum poſt tot diſcrimina rerum,
Golgotha, mortis eris ſcena ſuprema ſuae.
Heu Pater infelix! infelix tu quoque Mater!
Infelixque magis bibit fata ſub iſta Puer!
Pronus ut aure bibit feralia nuntia Joſeph,
Nuntia vel fortem perdomitura ducem,
Horruit attonitus, totoque expalluit ore:
Magnus & impediit pondere flere dolor.
Incluſus ferit ille Animam, corque opprimit intus;
Unde ſolet vires ingeminare ſuas.
Ah magis exurunt ſecretae pectora curae,
Et lacerant, miſeros quos ſubiere ſinus!
Nec mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis,
Ingeniumque capax, aut Helicona daret,
Vim poſſem ingentem percurrere voce dolorum,
Pertulit in rigidâ quos novitate Senex.
Nunc mores Pueri innocuos, nunc mente revolvit
Vulnera crudeli multiplicanda manu.
Et ſibi torrentes hinc ſanguinis, inde videtur
Extinctum immeritis cernere funeribus.
Seque mori ſentit durae ſub pondere ſortis.
Tantus aduſta Patris viſcera moeror habet.
Dia ſequi decreta, Animam ſolatur egentem.
Illa vel in tantis ſunt ſua vita malis.

Ecce poſitus eſt hic in reſurrectionem multorum in Iſrael. Luc. 11.

GAUDIUM IV.

DUM vigili Joſeph tacitus ſub mente movebat
Fatidico monitum Vate ſalutis opus,
Et ſurrecturas poſt funera dia phalanges,
Tempore quae longo non habuere jubar;
Vidit laetitiam in magnam, aut vidiſſe putavit
Iſta ſuis quantùm digna Theatra oculis!
Ex Erebi tenebris Vateſque, & lecta Piorum
Agmina ducturus lucida ad aſtra Deus,
Spiritus ad manes ibat, fulgoribus oras
Solis inacceſſas, & loca plena metu.

Digitized by Google

Noctivagi hic fratres plangoribus antra ciebant,
    Antra per aeternos obſtrepitura dies.
Has meruit ſedes regnandi inſana cupido,
    Scandere divinum cùm ſtuduere thronum.
At Pater omnipotens jaculatus tela, ſuperbum
    Impulit è Caelo Tartara in ima genus.
Interiore loco barathrum irremeabile habebant
    Quae vixere graves impietate Animae.
Ah miſerae! hae poenas, & coetus apoſtata ſolvunt;
    Sulphuraque, & fumum, & vincla, rogumque ferunt.
Fortunatorum ſedes, ſecretaque circùm
    Atria ſurgebant molibus alta ſuis.
Non hìc ardentes flammis ultricibus ignes,
    Non vapor, aut urgens Numinis ira nocet.
Sed requies tenebrarum ingens, Mundique ſilentis
    Temperies longùm degere ſuevit iners.
Hiſce Animae tacitum ducebant ſedibus aevum,
    Queis nocuit primi culpa vetuſta Patris.
Juſtitiae & memores, dum vita, poluſque ſinebant,
    Percoluere ſuae Relligionis opus.
Hic & erant Patres ſueti per agreſtia quondam
    Vivere, & innocuis moribus inter oves.
Fulgenteſque oſtro, & capitis diademate Reges,
    Caelica qui Populis jura dedere ſuis.
Magnanimique Duces, pietate, armiſque verendi,
    Quique ſacris Vates accinuere notis.
Matronaeque, virique, ſatique, in limine vitae
    Quos mors, aut rapuit barbarus enſe furor.
Quique per aetherias paſſi crudelia Leges,
    Clarior unde Dei gloria parta ſtetit.
Praeterea innumerae circùm longo ordine turmae,
    Queis Caeli obſequium, queis fuit unus amor.
Omnes poenarum expertes, ſed luce carebant.
    Hanc ſtudio, hanc lacrymis appetiere ſuis.
Conſtitit hiſce locis Deus, & ſtridentia latè
    Impulit admotâ clauſtra petita manu.
Protinus impulſu tremuit perterrita tellus:
    Sidera & ipſa ſuis excita culminibus.
Ingemuere truces, ſtrepitumque dedere cavernae:
    Quaſſaque ſunt ſubito triſtia regna metu.
Ergo ululatum aerem, & nimiùm illaetabile murmur
    Tergemino Stygius rupit ab ore Canis.
Et caudam pavitantem utero ſubjecit, & amens
    Exhibuit, quantus ſerpſit in oſſa tremor.
Vidit deciduas inverſâ mente Sorores
    Suſpirans miſero fracta Megaera ſinu.
Tum vaga Siſyphiis haeſerunt ſaxa lacertis;
    Plenaque Danaidum conſtitit urna manu.
Extemplo patuere fores: à cardine poſtes
    Sponte ſuâ avulſi profiluere procul.
Apparet confuſa ſpecus, piaque atria Patrum.
    Rareſcunt tenebrae, noxque profunda fugit.

Nam

Digitized by Google

Nam Deus irradians vel Sole nitentior ipſo
Induit infernos luce micante lares.
Cùm tantum videre Deum, noruntque per umbras
Fundier auriferum Numinis ore jubar,
Uſque ad crura homines, Serpentes cetera fratres
Per Phlegethonteos exululare lacus.
Pars rudere horrendum, miſtumque è faucibus ignem
Evomere, & piceâ volvere nube domum.
Pars magno trepidare metu, pars vertere terga,
Aſpera pars tantis dicere fata malis.
At luſtratae Animae inſontes torrentibus aureis,
Mox hilares tendunt ſidera aduſque manus.
Laetitiâque fremunt, lacrymaſque in nectare fundunt,
Haerenteſque oculis ſub novitate ſtupent.
Nec ſe felices poſſunt explere tuendo.
Tanta erat aſpectu forma, decuſque ſuo.
Agmine tum facto, Dominum plaudente ſalutant
Carmine, & unanimis dant pia verba modis:
Vicit io, nobis longum expectatus in aevum
Haec tua fortis amor pectora, vicit io.
Saecla recenſuimus tacitis labentia luſtris,
Et propè jam finem duximus eſſe malis.
Fixa nec ardentes animo ſpes noſtra fefellit.
En micat optatâ lampade fauſta dies.
Ut te conſpicimus, Deus ò dulciſſime rerum!
Ut recreas vultu viſcera laſſa tuo!
Tandem audire tuas, & noſtras reddere voces,
Omniaque in melius cernere verſa datur.
Veniſti, & facies fulſit tua Solis ad inſtar:
Redditaque eſt noſtris lux repetita oculis.
Sed quibus heu fatis, quantiſque doloribus actum,
Quantis exhauſtum cladibus accipimus!
Fama recens manes nuper deſcendit ad imos,
Et cecinit poenas triſtior ore tuas:
Ut manibus traxere Deum poſt terga revinctis;
Quot fuerunt membris vulnera facta tuis.
Quà rabie bacchantum acies preſſere coronam;
Et lignum laceris impoſuere humeris.
Oraque, demiſſumque oculos, frontemque cruentam
In Cruce te Populi compulit ira mori.
Nec ſatis: Eſt largo patefactum pectus hiatu,
Sanguine ubi intepuit Militis haſta tuo.
Hoc ſcelus ergo avidis licuit mortalibus? Auſus
Haec tibi Idumaeus fata parare furor?
Mergere diluvio tunc barbara monſtra decebat,
Et meritis terras vertere funeribus.
Per tua nos dulcis ſervamur vulnera Jeſu?
Non equidem tanti noſtra erat ipſa ſalus.
Unus pro cunctis voluiſti occumbere mortem.
O' teneri pietas, ò Patris altus amor!
Tunc Deus iſta: Meae, quas gloria parta coronat,
Vivite felices tempus in omne Animae.

Digitized by Google

En vos aſtra vocant; jam longos clauſa per annos,
Janua Olympiacae ſedis aperta patet.
Idcircò exiliunt montes, juga laeta reſultant,
Formoſum vario flore polita caput.
Qualiter aut aries, aut agnus ab ubere paſtus
Ridentis molli in gramine ludit agri.
Nunc rubus ambroſiâ, nunc ſtillant nectare rupes,
Blandula nunc niveo flumina lacte fluunt.
Grande opus expletum eſt. Mecum ergo evadite ad auras;
Atque iter ad Caelos ponè ſubite meum.
Nec mora: Cimmerio manes è carcere ſurgunt,
Numine tendentes ſidera ad alta ſuo.
Primus it ante hominum generis Pater, inde ſequuntur
Hymniſonis inter carmina miſta modis
Patreſque, & Vates, Regeſque, Duceſque beati,
Turbaque compoſitis innumeroſa Choris.
His nive candidius praecingit tempora linum;
Circuit his fluidas laurus amica comas.
Digna gerunt alii pacalis munera olivae;
Palma aliis fortes occupat apta manus.
Ardua reſponſant modulamine culmina Mundi;
Diſſultatque alacris plauſibus Aethra ſuis.
Ingemuere Animae, quas Tartarus uſque cremandas
Sorbet in aeterno per malefacta rogo.
Praeſertim Stygis ipſe Pater ſuſpiria moeſtis
Pectore cum ſociis irrequietus agit.
Et fortunatis quae dia ſedilia liquit,
Invidet, hinc furiis actus, & inde ſuis.
Illi iter urgebant ad regna ſonantia Olympi,
Talia cùm roſeo protulit ore Deus:
Cernite ad occaſum Solis radiantis ab ortu,
Cernite, quàm Mundi machina vaſta patet.
Proh quantâ hinc Caelorum Animae legione penates
Attingent! numerus tempore quantus erit!
Non tot in Oceani magno ſunt gurgite arenae:
Nec tot in auratis ſidera verticibus.
Ditis ad exitium plauſus ſuper aethera ducent.
Gloria & iſta meo parta cruore venit.
Sponte ſuâ hos tumulos, illoſque videtis apertos?
Cauſa fuit tanti mors mea prodigii.
In Cruce ut occubui, mox ſurrexere ſepulchris
Qui jacuere ſuo pulvis, & umbra ſinu.
At vos inſpicient comites, labentibus annis.
Plaudite. Jam toto eſt Orbe profuſa ſalus.
Vix ea; par ventis, celerique ſimillima ſomno
Viſio Jeſſaeis vanuit ex oculis.

Ange-

Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quaerat Puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Aegyptum. Matth. II.

LUCTUS V.

Joſeph ſolus.

Quiſquis amat pietate meos audire labores,
  Adſit, & his lacrymis miſceat ille ſuas.
Vix placido dederam per noctem lumina ſomno,
  Uda quater fuſo lumina diluvio,
Ales adorato cùm praepes ab aethere viſus
  Torpentem ſubitis increpuiſſe modis:
Surge age; cum Puero teneram tecum arripe Matrem;
  Diffuge praecipiti, quae colis arva, pede.
Et ſeptemgemini nunc nunc pete flumina Nili.
  Sunt ibi ſecretae tecta parata domus.
Illâ ne patrias regione revertere ad oras,
  Nuntia de Superis ni prius aure bibas.
Rumpe moram. Herodes tumidas accenſus in iras
  Infremit heu! Pueri caede lavare ſolum.
Dixerat; & volucrem ex oculis diffugit in auram
  Fulmine praepetior, praepetiorque noto.
Hoc tonitru cecidere meo de corpore vires;
  Territaque Arctoum ſorbuit oſſa gelu.
Surgo tremens, Sponſaeque meae citò nuntia pando,
  Nuntia virgineum depopulata ſinum.
Tunc maternam Animam gladius trajecit acutus,
  Tunc luctus jacuit dote referta ſui.
Vidiſſes pictaſque roſas, & turbinis inſtar
  Corruere è blandis lilia pulchra genis.
Pallentemque recèns vultu, exanimemque Puellam
  Inſolitâ huc illuc mox trepidare fugâ.
Et ſuper extenſae tenebris vix fidere noctis.
  Tanta ſuo anxietas pectore, & horror erat.
Virginis illa meos auxere pericla dolores.
  Conjugis ah! ſentit vulnera quiſquis amat.
Nocte iter aggredimur, ſaevamque relinquimus Urbem;
  Urgemuſque avidos per nemora alta pedes.

Nec tua, Jordanes, me garrula ripa retardat;
 Aut tua prata, Cedron; aut tua ſtagna, Ciſon;
Praeterii lucoſque graves, atque ardua Idumes,
 Quoſque vetus muros jactat Eluſa ſuos.
Et quae palladiae ſejungunt munere olivae
 Marmaricis Aſiam finibus, arva lego.
Non mihi, ceu Patribus deſerta per aſpera noſtris;
 Explicat ignotum flammea lampas iter.
Nec Peluſiacam Raphael me ducit ad Urbem.
 Haec bona Medorum tramite Tobis habet.
Aut inopina viam docet aethere ſtella ſub aureo.
 Regibus illa favet, limes Eoë, tuis.
Ignarus, quò fata trahunt, hominumque, locorumque
 Erro; retroque adigor ſaepe referre pedes.
Laſſus eram; totos quatiebat anhelitus artus.
 Fregerat anfractu ſemita longa ſuo.
Ac veluti reſonante ruunt cùm grandine nimbi,
 Sollicitat campis omnis arator iter;
Turbine & aggreſſus petit ipſe latere viator
 Sive cavae rupis fornice, ſive caſae,
Ut ſimul expletis pluviis, & Sole reducto,
 Exercere ſuum poſſit uterque diem;
Sic perplexarum laſſus regione viarum
 Parte aliquâ vires quaero novare meas,
Unde Paraetoniam poſſem contingere metam;
 Mique, Meiſque domi conciliare moram.
Artubus aſt requies, & defuit eſca palato.
 Quis daret exilem plenus amoris opem?
Saxa mihi torus, eſuries mihi pabula longùm,
 Solamenque malis poena perennis erat.
Quid facerem? properare premor. Gravis ira Tyranni
 Viſa mihi innocuum jam ſuper eſſe caput.
Progredior, quamvis languorque ſenectaque tardent;
 Et quem conſpicio, pallidus ore rogo:
Ah! quo ſub Caelo jacter, quibus Orbis in oris,
 Si qua tibi eſt pietas, hoſpes amice, doce.
Nec magis emiſſo faciem ſermone movetur,
 Quàm, Marpeſe, tuus ſi foret ille ſilex.
Verto oculos: reliquas inter lepidiſſima Nymphas,
 Ducit ad Aegypti ſemita an iſta lares?
Aut ubi ſum tandem? Nec plurima paſſa rogantem;
 Sic intermedio verba dolore ferit:
Haec veteris ſunt arva Phari, queis cognita primùm
 Sideraque, & geminae prolis uterque globus.
Hàc bone perge Senex. Pedetentim Aegyptia tanges
 Tecta, nec haerentem te malus error aget.
Inde vale dicto, pluviae loca neſcia miror;
 Flumina, cumque ſuis prata ſaluto jugis.
Turribus alta legens praetervehor Oppida paſſim;
 Et nova mi facies, aut inopina venit.
Jamque tenebam Urbem, quam vulgò Anthedona dicunt;
 Cùm mihi plena gravi corda fuere metu.

Tela

Tela virûm, contoſque, & ferro horrentia vidi
  Agmina, lethalem fronte minata luem.
Obſtupui, retroque gradum ſine voce repreſſi,
  Numen in inſidias jam cecidiſſe ratus.
Utque improviſum rigidis qui vepribus anguem
  Opprimit ignaro cum pede nixus humi,
Mortiferas geminantem iras, & colla tumentem
  Decolor exangui protinus ore fugit;
Haud ſecus in tanto trepidus diſcrimine abibam.
  Credula mens ſemper, quod pavet, eſſe putat.
Ipſa vel Infanti me territat aura timentem.
  Exanimat ſtrepitus praetereuntis aquae.
Seu motum faciant ſepes, ſeu murmura dumi,
  Quis ſcit, an his lateat perfidus enſe latro?
Suſpicor, ac timeo graviora pericula veris.
  Fortis ab ingenuo manat amore timor.
Numen amo, ſed amor curas me verſat in omnes.
  O' amor! ò poenis docte Tyranne meis!
Percita vix adii reſonantibus Oppida ſiſtris,
  Cognita judicio ſunt propè fida meo.
Longiùs à patriis aberat penetralibus Infans;
  Jamque ab acerbato Principe ſoſpes erat.
Aegypti penetrare tamen decerno receſſus,
  Quaeque habet in tutis interiora locis.
Terra nec ulla ſatis mihi viſa carere periclis,
  Nec ſatis Herodis vivere jure procul.
Non ergo Hermopolis juvat, aut Hecatompylos. Aedes
  Non facit ad fidas altera, & una moras.
Sola placet mihi Memphis; iter poſt flebile menſis
  Duplicis, hac tandem ſede quieſco Senex.
Credideram infelix varios ceſſaſſe labores;
  Poſſe vel optatâ ducere pace dies.
Aſt alios iniit curſus, alioſque recurſus
  Cura animo, & requiem ſuſtulit illa meam.
Suggerit: ah demens! haec gloria ſedis avitae,
  Hiccine Davidici nominis altus amor,
Ut neque vitaris patriae convicia linguae,
  Damna nec exilio videris aucta tuo?
Placidum tacitus potuiſti abſcedere regno?
  Verba nec ulla Tuis farier ante fugam?
Qui fuerint ſenſus, viduata ubi limina norint,
  Et propè ab incautâ mente relicta queri?
Indignum patraſſe ſcelus Judaea putarit,
  Atque ideo profugum deſeruiſſe lares.
Verte animo, Simeon quos fert ſub pectore fluctus;
  Iſrael heu! lumen cùm procul eſſe videt.
Quotque Prophetiſſae lacrymis ſinus immadet Annae;
  Ut dolet! ut queritur luctibus icta ſuis!
Quis mihi te rapuit Virgo, dulciſſima Virgo?
  Pupule ubi es, cordis Pupule care mei?
Quò ſequar? aut gremio quae vos tenet invida tellus?
  Conſilio ò Joſeph non bene caute tuo!

Eligit

Digitized by Google

Eligit ante cohors Judaea occumbere fato,
Quàm proprias alio transferat aegra domos.
Nanque Palaeſtini ſunt munera dia penates,
Deliciaeque ſuas hìc ſtatuere moras.
Tuque fugis? Si nulla tui tibi cura decoris,
Debuit eſſe domi Virgo, Puerque ſuus.
Hos inter curarum aeſtus, cor amarior urget
Plaga aliena meum, quàm meus ipſe dolor.
Moeror agens nigris totum complectitur alis;
Solque mihi fuſcis ire videtur equis.
Quin Idololatrae, Superùm dum Numine laeſo
Deſipiunt, Animae dant aconita meae.
Vulturios, Feleſque, Lupoſque, & Ichneumona, & Ibes
Gens colit, aeterno facta inimica Deo.
Adde, quòd hic alacri lanatum extollit Oſirim
Carmine, & ad laudes perſonat Aethra ſuas.
Nec bruto ſtabiles excedere convenit annos.
Mergitur in triſtes ritè paludis aquas.
Tum longas diſciſſa comas, lacerataque veſtem
Memphitem aſpicitur plangere docta bovem.
Corpore ubi nigrum, maculoſum tergore, & album
Fronte alium reperit, plauſibus aſtra ferit.
Stulta ſuperſtitio eſt. Qui conſulit impius, offert
Pabula adorato percipienda bovi.
Si vorat ille cibos, portendere proſpera, verùm
Si fugit oblatos, cuncta ſiniſtra putant.
Heu Populum caecâ ſubmerſum nube veterni!
Praeſentem tenero non videt ore Deum.
Templum auguſtum, ingens, ductum Buſiride in auras
Iſis habet, turpi bucula amata Jovi.
Hanc Lunam appellant, multuſque maritus ocellis
Nomina Solis adhuc perſpicientis habet.
Mercurii trux Pana ſolum veneratur, & Hircum;
Largaque Panchaeis thuribus ara calet.
Siſtra ſonant celebres ad Anubidis excita laudes;
Ardua reſponſant culmina, ſiſtra ſonant.
Quo te cunque agites, Divûm mendacia ſurgunt
Agmina, Tartarei quae vomuere lacus.
Nec tot agit piſces ignotus origine Nilus,
Quot ſua Terra Deûm turpia monſtra colit.
Quid memorem, quantùm laſciviat ora Canopi,
Quaeve ſuis animet plauſibus aura ſcelus?
Vel quid inhorrentes humanis caedibus aedes?
Heu timeo Pueri fata cruenta mei!
Care, ſuper reliquos vel amabilis unus amores,
Vive Puer rabido ſoſpes ab hoſte, precor.
Si qua tuo impendent capiti crudelia mortis
Vulnera, ego potius victima caeſa cadam.
Ergo ſitis ſi tanta tibi eſt, Aegyptia pubes,
Sanguinis, ecce meus: fluminis inſtar eat.
Me potius (ſi qua eſt pietas) furialibus armis
Perde, meoque avidas tinge cruore manus.

Pecto-

Digitized by Google

Pectoris in me iras, in me tela omnia ſolum
 Verte. Deo incolumi, mors mihi munus erit.
At poſtquam ſcideris me ferro in fruſta rogantem,
 Sit tua reliquiis dextera grata meis.
Sic facilis ſemper tua vota ſecundet Olympus;
 Sic patriam repleat copia larga domum.
Pone, precor, tumulum; tumuloque inſcribito carmen,
 Poſsit ut è ferâ poſteritate legi:
Clauditur hìc Joſeph. Ut viveret hoſpes Ieſus,
 Saucius è Phario geſtiit enſe mori.

Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus. Matth. II.

Quid crimen Herodem juvat? Unus tot inter funera impunè Chriſtus tollitur.

Hymn. SS. Innocent.

GAUDIUM V.

Caeleſtes inter tractus, terraſque, fretumque
 Eſt medio (ut perhibent) nobilis Orbe locus;
Unde, quid in triplici rerum regione geratur,
 Cernitur; & voces auris acuta bibit.
Fama loco Coei ſoror, Enceladique potitur;
 Hic ſibi perpetuam legit habere domum.
Sunt aditus varii, ſunt mille foramina circùm.
 Occludunt ſtabiles limina nulla ferae.
Pungat agens ſeu Phoebus equos, ſeu Luna per axem,
 Omnibus aere domus ſtructa ſonante patet.
Sunt procul hiſce quies, & amica ſilentia tectis;
 Undique collecto murmure pulſa fremunt.
Pervia centenis tenet atria turba figuris;
 Adventatque levi vulgus, abitque pede.
Non ſecus unda fluit, refluitque; & percita ad aeſtum
 Littora nunc tundit, nunc retro verſa fugit.
Pars veris Populorum implent ſermonibus aures,
 Plurima pars veris addere falſa ſtudent.
Pars infecta ferunt; res per mendacia creſcit,
 Comparat & vires ſemper eundo ſuas.
Scinditur ergo animis ſtudia in contraria vulgus;
 Confuſiſque ſonant verba voluta modis.

Digitized by Google

Hac de ſede volans, totum vulgata per Orbem
    Stridet Idumaeae nuntia Fama necis.
Illa Palaeſtinum certo canit ore Tyrannum
    Deluſum Eois infremuiſſe Magis:
Inque Urbem Bethlehem, & ſacri confinia regnî
    Miſiſſe armatos enſe, doloque viros,
Ut ſimul ingreſſi, Pueros ex ubere raptos
    Transfoderent ferro per genus omne ſuo.
Jamque cruentatos hauſerunt arma Puellos,
    Jamque ſuis tremuit Juda cadaveribus.
Sanguine caeſorum trepidantia tecta natarunt;
    Lotaque tam triſti flumine terra fuit.
Nec, cùm tempeſtas inopina per aëra totum
    Ingruit, & furiis ſaxea grando ruit,
Tot fuſi per prata cadunt cum matribus agni;
    Et ſibi Paſtor inops ora, femurque ferit;
Strata quot Infantum jacuerunt corpora paſſim
    Per fora, perque Urbis culmina, perque vias.
Lamentis, gemituque, & luctiſono ululatu
    Sollicitae matres Oppida tota replent.
Ah! matres, non jam matres, ſed truncus inanis,
    Et ſine diſcerptis prolibus umbra tori.
Non illis crinalis acus, non pecten eburnus,
    Non ementitus naevus, & ore color:
Blandula non tremulae mittentes lumina inaures,
    Vitta nec inſignis, gemma nec Inda placet.
Neglectum ſpeculum, neglectaque capſula fuci,
    Pulcher & ornatus, qui fuit ante, jacet.
Nulla venuſtatis miſeris eſt cura: feruntur
    Infantum ante oculos funera acerba ſuos.
Aurea lacteolo rapuere monilia collo,
    Jucundaſque ſuo pectore faſciolas.
Tempora lugubribus ſordent circumdata peplis;
    Turpibus eſt facies contemerata notis.
Squalentes membrorum artus tegit ater amictus:
    Et gravis ex ipſo noſcitur ore dolor.
Tunſa ſinum, lacerata genas, diſciſſa capillos,
    Deturpat lacrymis pectora quaeque ſuis.
Flebilis interea magnis plangoribus aether
    Inſonat, ut viduae pignora rapta dolent.
Talia Memphitem cùm divulgata per Urbem
    Aure puellari nuntia Virgo bibit,
Ad gremium premit illa ſuum perterrita Numen;
    Flagitiique pium ſtringit imago animum.
Inter at Infantum tot millia funera gaudet
    Immunem Genitum clade fuiſſe ſuum.
Nec minor in Joſeph fluit aemula corda voluptas;
    Ambroſiam taciti pectoris ore docet.
Non ſic Abrahamus laetatus in aggere Sion,
    Iſacus ut patrio ſoſpes ab enſe fuit;
Non ſic Anna parens recreata levamine Nati eſt;
    Cùm rediit Medâ Sponſus ab Urbe Rages;

Non

Digitized by Google

Non ſic ante ſacram Rex Pſaltes geſtiit Arcam;
Victor ubi hoſtiles fregit in arma manus;
Mellea ceu Joſeph ſub pectore gaudia verſat,
Incolumem Solymae nactus ab hoſte Deum.
Laudat & anfractus, greſſuſque, famemque, laboreſque;
Exilio heu quantùm multiplicata ſuo!
Nam quamvis peracerba, tamen Sponſamque, Deumque,
Seque ab Idumaeis eripuere malis.
Aerumnas meminiſſe juvat, cùm provida vitae
Progenuere ſtatis munera temporibus.
Haec ſibi, ſeu vigilet, ſeu claudat lumina ſomno;
Farier internâ ſaepe videntur ope:
Cerne beate Senex, rapidis ludibria ventis
Crimen ut Herodis prodigiale volat.
Turbine crediderat Puerorum involvere eodem
Deliciumque Animae, ſubſidiumque tuae.
Sed jacuit falsâ deluſus imagine regni.
Vis ſine conſilio certa ruina ſibi eſt.
Nil teneris prodeſt ſpoliaſſe Nepotibus Urbes,
Membraque multiplici ſuppeditaſſe Cani.
Quem ſolum fremuere manus jugulare Tyranni,
Vivit io ſoſpes funere, vivit io.
Macte ſuae virtute Pater gratare ſaluti.
Non parit huic ſimiles Trinacris Hybla favos.
Hiſce ſub admonitis prenſus dulcedine, gaudet
Vivere mellifluo naufragus Oceano.
Et bene digna ſuis veniunt ſolatia curis.
Grandis habere ſolet grandia dona labor.

Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim qui quaerebant animam Pueri. Qui conſurgens, accepit Puerum, & Matrem ejus, & venit in terram Iſrael. Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Judaeâ pro Herode patre ſuo, timuit illò ire. Matth. II.

LUCTUS VI.

SEptima in Aegypto revolutis menſibus aeſtas;
Par etiam tacitis paſsibus ibat hiems;
Ales cùm vultus, habituſque ſimillimus olli,
Juſsit ab Herodis qui prius Urbe fugam,
Davidico in ſomnis deſcendere viſus ab arduâ
Arce Seni, ac tali nuntia ferre ſono:
Surge toro Joſeph, ſate claro à ſanguine Regum;
Hoſpita Niliaci regna relinque Throni;
Et Puerum innocuâ cum Virgine transfer in oras,
Accola ubi ſedes Iſrael agmen habet.

Nan-

Nanque malignam Animam vomuere è corpore quotquot
    Sternere caede truces infremuere Deum.
Talia vix fatus, ſe Caelo immiſcuit aureo
    Aliger, effundens, quà volat ille, faces.
Tum verò Joſeph monitis ſtimulatus ab altis
    Corripit è ſomno languida membra ſuo.
Ferramenta legit fabrilia, remque miſellam,
    Qualia pauperies indiga habere ſinit.
Acceptumque ſopore Deum, Matremque fatigat:
    Ah! Puer, ah! Virgo nunc vigilate, precor.
Alitis in ſomnia vultu redeuntis eodem
    Viſa mihi ſpecies; mandat & ire procul.
Ergo agite unanimes: Superûm data juſſa ſequamur;
    Atque iterum imperio ſit via trita ſuo.
Tuque ò divinis qui nutibus omnia ſancis,
    Pacatuſque juvas, proſpera & aſtra facis,
Da, Genitor, facili ſuperare pericula curſu;
    Meque, Meoſque tuo dirige conſilio.
Aureus interea luſtrabat lampade terras,
    Pectoraque ad ſuetum Sol ſtimulabat opus.
A' veteri Joſeph veniam petit exul Amico,
    Pauperis hoſpitii qui ſibi tecta dedit.
Mox pendentem humero imponens peramque, quaſillumque,
    O' mihi Memphites, dixit, avete foci.
Idem omnes citus ardor habet: parentque, abeuntque:
    Limina jam notae deſeruere domus.
Fortè Viatori fuerit quae cura, requires;
    Quidve nimis longum ſuppeditarit iter.
Si tibi, collacrymans quaecunque ſtupenda notavi,
    Et vacet aerumnas dinumerare ſuas,
Ante diem clauſo nox humida condet Olympo;
    Voxque fatigatum deſeret aegra ſinum.
Nec mihi ſi linguae centum, totidemque canenti
    Ora forent, poſſem damna referre Senis.
Facta probare Deus voluit ſuper omnia Joſeph,
    Creſceret ut meritum per mala dura ſuum.
Nam quoties nimbus tot tempeſtatibus actum
    Terruit, ut toto mugiit axe fragor?
Aut quoties ignes, & terrificos fulgores
    Expavit, mediâ percitus ille viâ?
Saepe minata duci miſeram ſunt flumina mortem;
    Et tremuere novo membra gravata metu.
Saepe cavernoſum tentavit habere receſſum,
    Libera ut aërio vita rigore foret.
Sed Jove per campos ſub frigeſcente coactus
    Nocturnis horas ducere temporibus.
Non memorabo, Puer quoties à Patre, dolentem
    Dextellam extendens, quaeſiit ipſe cibum:
Nec potuit tormenta famis compeſcere Joſeph.
    Nulla, repoſcenti quam daret, eſca fuit.
Ille miſer, quod edat qui quaerit, & invenit aegrè;
    Sed magis eſt, qui nil invenit, ille miſer.

Saepe ergo eſuriens ſua tempora duxit Ieſus:
Aſt aliquando Senex ſic relevavit onus:
Sedula in arboreos volvebat lumina truncos,
Si qua forent ramis pendula poma ſuis:
Cùmque nequiret inops à terrâ attingere ramos,
Queis erat in ſummo vertice relliquia,
Hos citò vidiſſes capita incurvare reflexos,
Et pietate Deo ſuppeditare cibum.
Ille ſuum cernens patientem incommoda Jeſum,
Aſpera ſub triſti vulnera corde fovet.
Quin & Virgo ſui poenas invita Sodalis
Ampliat. Hinc geminâ cuſpide fixa dolet.
Solis inhaerentem nunc fervida ſudat ad ignem,
Nunc ſuper effuſis humida friget aquis.
Nunc rubus ingrato compungit acumine plantas;
Vix nunc membra gravi tramite laſſa regit.
Et nemus, & latro, monteſque, fameſque, ſitiſque,
Et quotquot patiens damna viator habet,
Hinc Mariam, atque illinc vexant per inhoſpita euntem,
Aerumnaſque acuunt per genus omne ſuas.
Fata tamen ſimulat reprimens ſub corde dolorem,
Ne penetrent cari corque Animamque viri.
Sed Sponſae bene ſentit amans certamina. Amantem
Diſſimulans animum fallere quis poterit?
Alter in alterius figentes lumina vultum,
Vulnera diſpoſito dantque, feruntque ſinu.
Poſt varios caſus, poſt tanta pericla viarum,
Iſrael, aſpectus ante ſtetere tuos.
Prima ſed auxerunt Judaeae limina curas.
Nuntia ſolliciti cauſa fuere metus.
Audiit, Herodis poſt marcida funera Natum
Barbara Idumaei ſceptra habuiſſe Throni.
Monſtrum horrendum, ingens, quo debacchante Tyrannus
In toto haud alter ſaevior Orbe fuit.
Caucaſus hunc genuit praeduris cautibus horrens;
Et puero Hyrcanae lac tribuere tigres.
Tum ſilices riguere habiles praecordia circùm;
Sedit & ingenio dira ruina ſuo.
Nam Solymaeam hominum tria millia fudit ad aram,
Gaudens ſanguineo Templa natare mari.
Cùm ſacra deberet pecorum libare Tonanti,
Impius humanas obtulit ille acies.
Ambitione tumens, & triſtis hypocrita, ſolùm
Fallere fucatis doctus imaginibus.
Herodem lucente die ſibi flebat ademtum,
Quis mihi det (clamans) pro Genitore mori?
Crapula ſed ferâ ſub nocte, jocique placebant,
Quicquid & hìc vatem commemorare pudet.
Joſeph ergo, ſuas ubi murmure perculit aures
Fama, recenſitis horrida flagitiis,
Pallidus extimuit Gentem contendere in illam,
Sicca Palaeſtini quae bibit amnis aquas.

Quis ſcit, an Aula meum noſcat fugiſſe Puellum,
   Caedibus Infantum cùm maduere viae;
Et reducem aſpiciens ſeptem labentibus annis,
   Sternat inhumani Principis ira Deum?
Ipſe ego lethiferis exponere caſibus unum,
   Quem properae texi ſedulitate fugae?
Paſtor agens caras quis coget in antra capellas,
   Noſcit ubi rabidos exululare lupos?
At ſors ambigua eſt. Ideon tentare cerèbro
   Debuero imprudens ſaeva pericla Pater?
Nonne mihi ſatius, Sponſaeque, Deoque remotos
   Undique ſuſpectâ quaerere ab Urbe lares?
Quid? jubet Omnipotens modò in Iſrael ire penates.
   Funera ſed Genito vult quoque abeſſe ſuo.
Heu miſerum! Hinc trahor, hinc retrahor. Quid denique agendum?
   Ah! Deus undantem nunc miſerare animum.
Fata ſub haec Joſeph requiem non repperit ullam.
   Quae poſſet vario turbine ineſſe quies?
Cùm dolet ille, cadit de montibus umbra propinquis,
   Condit & extenſis omnia tegminibus.
Te ſpecierum Opifex, precor ò, ſomnique Miniſter,
   Da laſſum hoc, Morpheu blandule, poſſe frui.
Naufraga curarum ſic mens moderabitur aeſtum;
   Sic meritis veniet gratia digna ſuis.

Admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilaeae: *Et veniens habitavit in Civitate, quae vocatur Nazareth*. Matth. 11.

GAUDIUM VI.

LAeta dies haec eſt poſt aſpera fata Joſepho,
   Pace ſerenatas inter habenda dies.
Nil adeo ſors nempe facit miſerabile, ut irae
   Sint mala vel nullâ parte levata ſuae.
Non ſemper piceâ tegitur caligine Caelum.
   Diſſipat auratis nubila Phoebus equis.
Sic Senior, mater cui credita Virgo, Deuſque eſt,
   Fit ſubitò laetus, qui modò triſtis erat.
Nanque iterum in ſomnis divinâ voce monetur
   Ferre pedem in ſedes, ò Galilaea, tuas;
Liber ab inſidiis, Solymique furore Tyranni
   Poſſit ut in tuto vivere praeſidio.
Nec mora. Vix croceo Pallantias exit amictu,
   Cum Puero, & Sponſâ corripit ille viam.

Ipſa

Ipſa etiam ſaxa hoſpitibus, monteſque vel ipſos
Aſpiceres motis plaudere verticibus.
Laurigerumque caput circùm deflectere ſilvas,
Obſequiique datis pandere ſigna modis.
Blandiculas ſtrepere audires erroribus undas,
Suavius & lapſu prata ſonare ſuo.
Et lenes aurarum animas ſpirare ſuſurro,
Unde peregrino ſit via laeta pedi.
Tum feſtis volucres concentibus aëra mulcent;
Verbere & alarum, circuituque jocant.
Adventu gaviſa Dei, ſlant gramina odorem,
Gramina Paeſtanas depopulata roſas.
Per nitidos fontes, per flumina turba vagantum
Naiadum numen ſentit & ipſa ſuum.
Laetantur Drymoque, Ligeaque, Cymodoceque,
Effuſae nitidas per ſua colla comas:
Cydippe, & Xantho; Beroë, Clioque, ſorores,
Ora verecundis utraque picta roſis:
Deiopea alacris, pulcherrima Neptunine,
Phyllodoce, & Spio, cumque Arethuſâ Ephyre:
Et Thetis, & Melite, & Clymene, Panopeaque, & Opis,
Et Galatea nivis vellere candidior.
Quin & amoenarum quiſquis regnator aquarum
Neſcio quid ſubiti nectaris intus habet.
Unanimes caput extollunt ſalientibus undis,
Urgentes imis ſtagna beata vadis.
Cùmque vident reduces Galilaea per arva, triumphos
Proh quot agunt! quanto pectora melle ſcatent!
Pars choreas ducit, pars jactat in aethera palmas,
Pars canit inſolitis carmina blanditiis:
Salve Virgo parens, ſalvete Puerque, Senexque,
Grande decus Caeli, praeſidiumque ſoli.
Vivite felices, quibus eſt ſors victa ferendo,
Nec ſaevam intulerunt Principis arma luem.
Dulcis Io comitatus io arridente triumphe
Sidere; ſtat meritis gratia quaeque tuis.
Tu vultu Caelum, tempeſtateſque ſerenas;
Tu facis huc ſuperos accelerare Deos.
Tanta figura ſuo divinum ſpirat amorem
Lumine, ſpectantes & redamare docet.
Qui te non amat, eſt pardis truculentior ipſis;
Horridior ſaxis, ſurdior aequoribus.
Nobiſcum ò poſſis hic tempora ducere ſemper,
Nam tibi Terra ſuo non habet orbe parem.
Plauſibus his Thabor (reor) exultavit, & Hermon;
Jezrael & quotquot jugera vallis habet.
Laude rubet Virgo, atque ſolo ſua lumina figit.
Gaudet at emiſſos ſimplicitate ſonos.
Sic tenerum dejecta caput roſa ſtipite pendet,
Ut matutinis imbribus illa madet.
Cum Puero Joſeph humili bibit aure quot edunt
Non prius innexo carmina miſta joco.

Hiſce

Digitized by Google

Hiſce manu grates, & voce referre videntur.
Nam placido obſequium fidit in ingenio.
Illi iter ad Patriam, quà monſtrat ſemita, carpunt;
Nazareth una ſuae meta petita viae eſt.
Jamque paterna domus ſeſe venientibus offert,
Et facit aſpectu pectora laeta ſuo.
Ut caros tetigere lares, ad nuntia Noti,
Cognatique cito proſiluere pede.
Adveniunt, reduceſque hilari de more ſalutant.
Tum ſenſus animi pandere cogit amor:
Gloria ſit Superis. Tandem datur ora tueri.
Quae procul hinc avidae vos tenuere domus?
Nullane vos noſtrae jam cura ſalutis obivit?
Nec tenerum movit noſtra ruina ſinum?
Crudeles! ſolos potuiſtis linquere amantes?
Dicere nec dulci voce: Valete diu?
Heu! curſum ſubit octavum (ni fallimur) annus,
Ex quo torquet agens nocte, dieque dolor.
Caeſa velut quercus, cùm plaga noviſſima reſtat,
Quò cadat, in dubio eſt; hinc ſtat, & inde timor;
Sic animus vario nutavit vulnere laeſus,
Expavitque ſuis ultima fata malis.
Non ſapuere dapes, non noſtri pocula Iacchi.
Vix fuerunt ſomno lumina capta brevi.
Fugit ab ore color, macieſque cucurrit in artus;
Et maduere graves imbre fluente genae.
Nec tot Achaemenio vibrantur ab agmine in hoſtes
Tela, quot in noſtro pectore fixit amor.
Vae nimiùm miſeris! veſtro ſine lumine, noſtris
Lilia ſunt nigro viſa colore oculis:
Pallenteſque roſae, moeſtèque rubens hyacinthus,
Inque ſuis myrtus ſqualida littoribus.
Aſt ubi longinquis Patriam repetiſtis ab oris,
Candida diffuſo lilia lacte patent:
Purpureaeque roſae, laetéque rubens hyacinthus,
Littoribuſque ſimul myrtus amoena ſuis.
Tunc Joſeph: tenuit nos longùm Aegyptia tellus,
Heu Stygiis tellus ſueta litare Diis!
Imperiis egere ſuis arcana Polorum
Extera nos ſubito quaerere regna pede.
Parcite, ſi nullam tunc diximus ore ſalutem.
Saepe locus ſuetum non ſinit officium.
Noſtros ante oculos jam veſtra cucurrit imago;
Vidimus & triſtes mente dolere ſinus.
Hinc dolor abſentes gladio penetravit acuto;
Sedit & in noſtro cura moleſta animo.
Ingenium afflictis nequiit ſuccurrere rebus.
Qui poterat tantis caſibus eſſe modus?
Illi autem contrà: ponamus triſtia, & acres
Demus io curas in mare ferre notis.
Nunc hilarem poſcunt felicia tempora mentem.
Quis renuat tanto gaudia inire die?

Digitized by Google

Veſtra fatigatos praeſentia ſublevat artus.
Sed magis hic recreat pectora noſtra Puer.
Filius an veſter? Nobis (tibi gloria, Numen)
Muneribus dederunt ſidera larga ſuis.
Nate, Patris vires, Matriſque beata voluptas,
Proh ſedet in vultu gratia quanta tuo!
Luna tibi cedit, ſit formoſiſſima quamvis,
Solque venuſtati cedit & ipſe tuae.
Quid dotes conferre juvat? non altera, & unus
Sic micat, ut roſeo fundis ab ore jubar.
Quàm bene te Caeli pignus cecinere Parentes!
Quis tibi, belle Puer, vidit in Orbe parem?
O' quae te peperit felix ſuper omnia Mater!
O' equidem tantâ prole beate Pater!
Talia ut inter ſe lepido ſermone ferebant,
Virgineum ſubeunt gaudia lecta ſinum.
Plena novo ſentit ſua nectare pectora Joſeph,
Nectare, quo dulces credidit ire dies.

Aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus, cùm redirent, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem, requirentes eum. Luc. II.

LUCTUS VII.

Forte dies aderat jam Paſchate feſta propinquo,
Prodita Hebraeorum relligione Patrum.
Sacra tibi ante alias, properantibus agmine facto
Gentibus ad ſedes, Urbs Solymaea, tuas.
Scilicet ut ſeptem foret hoſtia caeſa diebus,
Aeternoque darent vota legenda Deo.
Magna fuit populi pars Virgo, Puerque, Senexque;
Quippe trium cultus gratior unus erat.
Hae Templum ſubiere Animae, queis ſanctior uſquam
Nulla fuit, nec Sol viderit inde parem.
Obſequium, integritas, pietaſque, preceſque, caloreſque
Exultans Domini cor tetigere ſui.
Nec Deus, accenſis cùm thuribus ara calebat,
Signa voluptatis non manifeſta dedit.

Annuit è ſuperae deſcendere ſedibus Aulae
  Flammarumque globos, auriferumque jubar.
Viſae ardere comae Cultoribus igne nitentes,
  Et roſeas toto mittere ab ore faces.
Non ita, cùm medio ſupereminet aethere Phoebus,
  Fulgurat; ut tetni verticis altus honor.
Nec referam amborum quicquid dedit auribus, & quà
  Blanditus Genito tunc Pater arte ſuo eſt.
Verſiculis arcana Deûm quis talia narret?
  Aut aequare ſuo robore poſſit opus?
Sit ceciniſſe ſatis, Templum exultaſſe ſecundis
  Auſpiciis, viridi ceu ſolet agnus agro.
Iſacidum tandem ſacris de more litatis,
  Sola erat in patriam cura redire domum.
Tum Puer: Ah! liceat Notos mihi adire. Praeibunt
  Vos illi, ut veteri ſit mora in hoſpitio.
Vade (ſubit Senior) Jeſu dulciſſime rerum,
  Viſere ſi Caros eſt tibi tantus amor.
Pergit. At interea decreta negotia Joſeph
  Providus in Solymes conficit Urbe Pater.
Rebus & expletis, ſociâ cum Virgine greſſus
  Dirigit in montes, Nazareth alma, tuos,
Praeceſſiſſe putans Gnatum ſtipante catervâ.
  Aſt miſerum! factis mens ſua laeva fuit.
Nanque Deus, viſis modico ſub tempore Amicis,
  Templum iterum, volvens grandia mente, petit.
Unanimes ergo Cognati abiere, Parente
  Venturum Puerum cum comitante rati.
Carpit iter Joſeph, tenerum ſpe ductus Amorem
  Quòd ſimul in primo cerneret hoſpitio.
Huc ubi pervenit ſero ſub veſpere, quo Sol
  Arcta fatigatis vincla levarat equis,
Mox ardens ſtudio ſua lumina circumvolvit,
  Si quà delicias perlegat ille ſuas.
Non roſeum videt ore Deum, ſed cognita ſolùm
  Fit citò turba avidis obvia luminibus.
Tunc prior: heus juvenes, pietas ſi tangit amantis
  Vos Patris, ille meus, dicite, Gnatus ubi eſt?
Nonne ſimul Solymâ ceſſiſtis ab Urbe ſodales?
  Ergo ubi Dilectus ſe tenet ille meus?
Haec Pater. At contra ſic Nazareth orſa propago:
  Quem petis, hac Jeſus diſtat ab aede tuus.
Mane novo Solymis nos viſit in arcibus, at nos
  Inde puellares deſeruere pedes.
Tabuit amiſſi Joſeph novitate Puelli,
  In mediam pugnus ceu ſalis actus aquam.
Non lacrymis caruere oculi, queſtuque palatum:
  Non habuit vires mens Senis aegra malis.
Ut ſqualent ſine Sole dies, ſine ſidere Nautae,
  Noxque ſine argento, candida Luna, tuo;
Aut vario ver flore carens, & germine campi;
  Aut ſpoliata ſuis Appula ſilva comis;

Pe-

Pectora ſic Joſeph ſine Numine viſa. Jacentem
Perculit heu forti junctus amore dolor!
Luctibus euge modum (clamant) impone parumper.
Reſtituet Puerum labilis hora tuum.
Eſt tibi mens prudens, lacrymas quid volvis inanes,
Si fauſto invenies ſidere quicquid amas?
Quin etiam ipſe Puer, cùm norit ab Urbe profectos,
Verterit in Patriam ſedulitate pedes.
Curret ad amplexus, atque oſcula figet amoris.
Ergo dolore animum parce gravare tuum.
Ille tamen nequiit genio indulgere precantum.
Dura ſui nimiùm vulnera cordis erant.
Utque pavent oculi ferientem cernere Solem;
Non ſecus ad pacem mens ſua ſegnis erat.
Nocte agitat totâ vigilem ſub pectore luctum.
Inque mali augmentum ſqualida Virgo datur.
Suſpirat: fors ille viâ ſeductus, & umbrâ,
Frigidus in nudâ nunc requieſcit humo.
Nec ſtipulae, quales Bethlehem ſubſtravit in ortu,
Nec cibus, eſuriens quo recreetur, adeſt.
Heu Puerum truculenta meum ne frigora noctis,
Ventorumque furor, vel gravis humor agat!
Squalorem ne longa fames inducat in artus,
Purpureoque cadat primus ab ore decor!
Fallor, an Herodis rabiem renovaverit heres;
Inque ſuas lapſus nunc gemat inſidias?
Ergo dies venit, quo ſint patienda, recentem
Caelicolae Infantem quae vetuere pati?
Patrem infelicem! ſic triſtem incommoda finem,
Et labor, & curae tot ſubiere meae?
An doleo incaſſum, vanoque timore fatigor;
Imminet hic miſero nec mihi luctus adhuc?
Verterit anne ſuos Aegypti ad climata greſſus,
Limen ubi nobis, & mora longa fuit?
Aliger at Phariâ ſi juſſit ab Urbe reverti,
Hanc iterum Jeſum cur ego adire putem?
Joannem potius nemorum repetire ſub antro
Iverit; & ſoli ſolus adeſſe volet.
Neſcio quid teneam confuſus imagine rerum.
Deprimor, ac tumidi tollor ut unda maris.
Nunc huc diſtrahitur, tot nunc affectibus illuc:
Impatienſque morae noſcere vera ſtudet.
Quid faciat? miſero brevis hora videtur ut annus,
Et queritur tardos pergere Noctis equos.
Nondum Aurora roſas nitido diffuderat ortu,
Nec cierat reſides ad juga panda boves,
Cùm celer hoſpitio, Sponsâ comitante, relicto,
In Solymes rurſum tecta adoritur iter.
Dulcis in ingenio Gnatus ſedet ille paterno,
Unicus & ſenſus occupat ille ſuos.
Parte deerrantem ſi quâ ſpectaret Amorem,
Quot juga, quot valles, quot loca corripuit!

Digitized by Google

Aſt data Dilecti non ſpes fuit ulla videndi.
Hinc magis increvit corda ſub ima dolor.
O' quoties dixit: qui te, mea vita, receſſus,
Quae via, quae rupes, quae nigra luſtra tenent?
Nec via, nec rupes, nec luſtra, nec ipſe receſſus
Pectoris exitiis conſuluere ſui.
O' quoties coetum abſenti de prole rogavit,
Et mala dentatis verba dedere jocis!
Non procul aſpexit condenſum à valle viretum,
Quo, cùm Sole calet, texitur umbra gregi.
Fors Amor, inquit, erit meus hic, dabiturque petenti.
Heu lacrymae! optatum non ibi Numen erat.
Aërios montes, & rupta cacumina ſcandit,
Et Jeſu, ò Jeſu, vociferando ſonat.
Tangit ut emiſſus reſonantia culmina clamor,
Jeſu reſponſant murmure pulſa ſuo.
Ergo iterum ſonitu cava culmina pulſat eodem:
Culminibuſque iterum vox agitata redit.
Ipſa etiam fallax Echo deludit Amantem;
Ingeminatque ſuo triſtia fata joco.
Jamque dies medius reliquum vergebat ad axem,
Obvia fit curvâ cùm citò Nympha viâ;
Nuda pedes, nodoque ſinus collecta fluentes,
Et zonâ lumbos cincta decente ſuos.
Dextra gerit baculum praefixâ cuſpide: honeſtum
Palliolum ex pecoris tegmine pectus obit.
Ventilat aura levis crines, operitque galerus
Compoſitus paleâ candidiore caput.
Cùmque modeſtam oculis latè, urbanâque nitentem
Fronte videt Joſeph, ſpe ſtimulatus ait:
Auſpiciis ſalve, mitiſſima Nympha, ſecundis.
Quicquid amas, Domini det tibi larga manus.
Unde venis? Solymâ. forſan regione viarum
Vidiſti Puerum, vel ſacrâ in Urbe meum?
Qualis at eſt, avidè quem poſcis, Puſio? qualis?
Dic prius; an viſus ſit mihi, deinde ſcies.
Infandum (mihi crede) jubes renovare dolorem.
Certa tamen referam tempore ſigna brevi:
Ille meus, Pueros inter pulcherrimus ille
Candidus eſt vultu, purpureuſque ſimul.
Formoſumque caput perfecto fulgurat auro.
Perque jocans humeros it coma flava ſuos.
Sunt oculi, puro ceu lotae lacte columbae:
Cana genas pingunt lilia miſta roſis.
Dentibus argentum, rubicunda corallia labris,
Gratiaque in placido firma ſupercilio eſt.
Altera, & una manus tornatilis, atque hyacinthis
Plena ſuis; auri pompa nec ulla deeſt.
Undique diſtinctus ſapphiris venter eburnus:
Flos Jerichuntino murice pectus habet.
Inſtar marmoreae ducuntur crura columnae,
Quam ſuper auratas impoſuere baſes.

Alli-

Digitized by Google

Allicienſte pedes quà majeſtate feruntur!
Quo ſeſe gradiens ille decore movet!
Dulce habet alloquium ſuper Hyblae, & nectar Hymetti.
Aſt aliquid verbis fulminis inſtar ineſt.
Nempe rotunda meus quoties Puer ora reſolvit,
Suaviter attentas urit amore Animas.
Sint & Hyperboreis cinctae licet undique ſaxis,
Oceani in mediis aut ſpatientur aquis,
Intus agunt flammae, liquuntur ab ignibus intus,
Liquitur accenſis ut data cera focis.
Dotibus ille ſuis ut Sol electus, & unus
Pulcher, ut aſpectu Cynthia plena, micat.
Si cultum vis ſcire, agiles amethyſtina veſtis
Matris texta manu, tendit aduſque pedes.
Sit ſatis hoc ſignum: ſuper omnia amabilis ergo eſt;
Et deſiderii ſuſcitat uſque faces.
Illa autem: Quem mì, Senior, ſermone coloras,
Non ego mortali conditione rear.
Venit an è Caelis? an Filius ipſe Tonantis?
Credam expectatum Gentibus eſſe Deum.
Heu mihi tam carum ſors dura videre Puellum
Non dedit! Ah cogit cura vel ipſa mori!
Hoc fuit ergo meis dominans natalibus aſtrum,
Ut mihi Caelicolum dona negata forent?
Sic mihi crudeles neviſtis ſtamina Parcae,
Pergeret ut fauſto ſidere nulla dies?
Me miſeram! at miſeros mage vos, ſi lumine aperto
Ambo ſuper tantas non vigilaſtis opes.
Quis ſcit, an umbroſis lateat taciturnus in antris?
Quis ſcit, an in Caelos ſollicitarit iter?
Ite, redite, acies rogitate, hic quaerite, & illic,
Omnigenum ſtudium res pretioſa petit.
Infortunatos nimiùm, nimiùmque dolentes,
Si gaza haec Superûm perdita prorſus erit!
Saucius his Joſeph gelat ictibus; & magis intus
Sumit eundo animum, qui terit oſſa pavor.
Triſtior ergo vale dicit, greſſuſque reſolvit
Mille ruinarum fractus imaginibus.
Seque unum incuſat, ſuſpirat & eſſe nocentem,
Indulgens precibus quòd nimis ante fuit.
Errorem reparare ſuum meditatur, & omnes
Proh quantâ lapides anxietate movet!
Cautus adit, repetitque vias, quaeritque, rogatque.
At ſibi de Puero nuntia nulla ſuo.
Poſt duros rerum caſus, triſteſque labores
Sollicitus Solymae moenia nota ſubit.
Nunc quid agat? jam fuſca ſuis amplectitur alis
Nox Terras, & opus non finit illa ſequi.
Cogitur in ſuetos veſtigia ferre penates,
Virgine conſortes ponè legente pedes.
Ut reduces videre, novi quid contigit unquam?
Quid ſuper afflicto ſqualor hic ore ſedet?

Digitized by Google

Dilectum heu Puerum ſubitis amiſimus horis,
Nec loca ſcire datur quae peregrina colat!
O' noſtrâ quem luce magis, Puer unice, amamus,
Qui quoque luce tuâ nos magis unus amas,
Quò fugitivus abis? vel quâ ſub ſede moraris?
Noſve quid ardores deſeruere tui?
Nate redi, ſine te placidam non poſſumus horam
Ducere: fata manent ultima; Nate redi.
Auribus hauſerunt cùm triſtia nuntia Noti,
Singultu medios impediente ſonos,
Vocibus, & menſâ ſtuduere levare Parentes.
Talia quis curet te ſine, dive Puer?
Nox erat, & Dryadum ſilvae, Nereique quierant
Aequora, & agreſtis quae tenet arva Pales.
Terrarumque plagas animalia quaeque per omnes
Laxabant curas merſa ſopore ſuas.
At non infelix Joſeph, non Virgo. Nec unquam
Solvitur in ſomnos, aut bona pacis habet.
Nec tuus ille Nepos ſi cuncta papavera ferret,
Maxime, qui Caelum vertice tangis, Atla,
Amborumque ſuam quateret per tempora virgam;
Atque opere in tanto Morpheus ipſe foret;
Acciperent ullam aut oculis, aut pectore noctem.
Aſperitate premit tantus utrumque dolor.
Ingeminant curae, vario cor fluctuat aeſtu;
Menſque per omnigenas itque, reditque vias.
Virgo exire ſtudet, Joſephque; ſed aequore nondum
Praevius Aurorae Lucifer ortus erat.
Terque quaterque Senex, ut ſiſteret illa, precatus;
Attamen invitum eſt aegra ſequuta Ducem.
Anne locus totâ fuit ullus in Urbe relictus?
Compita vel minimae non pede trita viae?
Quaeſiit & vicis, ſpecubuſque, caſiſque, plateiſque,
Auliſque, atque foris, porticibuſque ſuis.
Hei mihi quot circos, quot culmina viſit, & arces!
Urbs (rear) in tantâ defuit Urbe viro.
Omnibus ipſe locis, comes omnibus adfuit unus,
Amiſſo rogitans pignore multa ſuper:
Num meus ille Puer vobis hàc pergere viſus?
Dicite, quando abiit? quòve tetendit iter?
Solus erat, fidis an erat comitatus Amicis?
Quid retulit? quantam fecit & ille moram?
Cuncta tamen celeres abierunt irrita in euros,
Vota ut anhelatum non habuere Deum.
Sic infra ſupraque volans Philomela, querenti
Quam ſibi fur ſobolem ſuſtulit, ore petit.
Vertice nunc ſummo tenet ardua, nunc ſedet imâ
Fronde, avibuſque refert aucupis aegra dolos.
Progeniem viduata ſuam nec reſpicit uſquam,
Aëra nec triſti tundere voce piget.
Caſibus his Joſeph nunc huc, nunc volvitur illuc;
Cordaque habet damni merſa dolore ſui.

Dum

Digitized by Google

Dum rogat, immodicos naſo criſpante cachinnos
  Tollere ſaepe homines in ſua fata videt.
Ore tamen ſimulat, licet acri ſaucius ictu,
  Virginis angorem ne magis intus agat.
Forte Puellarum luſtravit lumine turbam,
  Queis erat ingenuo ſemita trita pede.
Candentes Animae, Solymae felicis alumnae,
  Inſit, iter tenero ſiſtite conſilio.
Vos ego cum Sociâ per Numinis oro favillas,
  Si quâ noſter erit parte repertus Amor,
Dicite (nam noſtis) quòd pectora moeſta Parentum,
  Dum fugitivus abeſt, ſqualor, & horror obit.
Dicite languentum quae viſa figura, nec aegro
  Nos potuiſſe ſinu plurima verba loqui.
Si placeat noſtros Puero cognoſcere vultus,
  Hac formâ, aut ſimili pingite utrumque, precor.
Dicite, quòd luctus in bina cadavera vertunt,
  Quòdve fluunt lacrymae more perennis aquae;
Deficiuntque oculi, mediâ ceu morte natantes,
  Oraque ſunt cerâ pallidiora novâ.
Dicite, tam multo penetrare cor arma veneno,
  Quàm fovet artifices hoſpes Hymettus apes.
Dicite, quód mortis ſit proxima cauſa futurus.
  Dicite quid doceat dicere ſolus amor.
Cordis ad angorem motae pietate Puellae
  Miſcuerunt lacrymas parte ab utràque ſuas.
Ille autem Noti cum Virgine tendit in aedem,
  Flebilis Attalicâ ceu ſine merce ratis.
O' qui tranſitis per compita, cernite tandem,
  Cernite, an hoc poſſit ſaevior eſſe dolor.

Poſt triduum invenerunt illum in Templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Luc. II.

GAUDIUM VII.

NEquicquam tres ergo dies per devia, & Urbem
  Incerti errarunt Virgo, Senexque ſuus;
Omnia luſtrantes, miſcenteſque omnia luctu,
  Omnibus ad miſerum flentibus exitium.
Per loca quaeſitus tandem tam multa, Parentum
  Ille Puer madidos conſtitit ante oculos.
Haec caſu neque geſta aliquo. Myſteria Caeli
  Conſilio valeat quis penetrare ſuo?

Jam

Digitized by Google

Jam Pueri duodena recens adoleverat aetas,
Nec monſtrarat adhuc quid ſibi mentis erat.
Summa Dei virtus Judaea per oppida primùm
Tunc coepit teneras ejaculare faces.
Nanque ſedens Solymi mediâ teſtudine Templi,
Alta recenſebat tot monumenta Patrum.
Quin prius eloquio non divulgata canebat.
Credita de ſuperis dogmata lapſa Choris.
Illum Primorum ſcitantem obſcura, docentemque
Attonito audierunt turba ſupercilio.
Supra aciem, captumque hominum novere ſagacem,
Audentemque annis non puerile ſuis.
Nec minus inſigni ſeſe ſpecioſus agebat
Ore Puer; ſecum gratia tota fuit.
Hinc nequiit Seniorum acies ſe explere tuendo
Luce oculos, nec non plena labella roſis:
Flagranteſque Dei vultus, auroque fluentem
Caeſariem, & motas ad ſacra verba manus,
Quò frontis decora alta ſuae torquebat, apertis
Omnia vidiſſes plaudere deliciis.
Corpore dulcifluum toto ſpirabat amorem.
Totus & effuſo lumine pulcher erat.
Non ſecus inculti micat inter gramina campi
Narciſſus, rubeum cùm levat ille caput:
Aut Parius flavente lapis circumdatus auro,
Quem prius artifices expoliere manus.
Talia cùm pleno fiebant numine Divûm,
Virginis, & Joſeph haec pia cura fuit:
Quaerere Templa iterum, lacrymaſque effundere ad aram,
Et ferveſcentes cordis ab igne preces.
Vix ſacram ſubiere Domum, cùm luce ſub aureâ
Ambo vident tenerum (viſio cara!) Deum,
Mulcentem Seniorum animos, factiſque trahentem
Suavibus, & forti pectoris eloquio;
Indiciumque ſuper jam natae ad grandia mentis
Corde ſtupeſcentes, luminibuſque acies.
O quae tunc lacrymae fuerunt ad pondera amoris!
Dulcia quot querulo verba remiſta ſono!
Quotque dati amplexus! partae quot ſigna ſalutis!
Oſcula quot roſeis multiplicata genis!
Pectora inundavit vaſtâ ubertate voluptas;
In mediiſque aluit naufraga gurgitibus.
Non ita dona Gyges gaviſus habere Deorum,
Annulus eſt fauſtâ cùm ſibi ſorte datus.
Hunc etenim vertens ad ſe, prope cuncta videbat;
Ipſe tamen nulli conſpiciendus erat:
Non ita Rex Samius longos oſtendit in annos
Gaudia, Fortunae filius ille Deae,
Qui nimiùm ut felix monumenta doloris haberet,
Sardonychem tumidas in maris egit aquas.
At piſcis, quem ſorte dedit Neptunius actor,
In ſtomacho gemmam reppetit inde ſuam:

Non

Digitized by Google

Non ita Alexandro Pellaeam oriente ſub auram;
Laetitiâ patrii proſiluere ſinus:
Geſtiit ut laſſus laſſâ cum Virgine Joſeph,
Inveniens ſacrâ Numen in aede ſuum.
Semianimes ſteterant, rediit mox vita Parentum,
Viſio, ne caderent, his ſatis una fuit.
Talia ubi totus conſpexit geſta Senatus,
Suſtulit attonitos culmina ad alta ſonos:
O' nimiùm tantâ felices Prole Parentes!
Fortunata opibus lumina veſtra ſuis!
Non audet puerile Puer puerilibus annis.
Hic ſua dogmatibus dat meliora meis.
Unde autem in gemino talis ſapientia luſtro?
Non videre pares ſaecula divitias.
Mens patet, & virtus longè maturior aevo;
Donaque habere animum prodigioſa monet.
Non hominum edoctus ſtudio, non arte magiſtrâ eſt.
Non facit ad vires ima Minerva ſuas.
Eſt Deus in Puero, totuſque accenditur illo.
Spiritus è ſuperis ſedibus iſte venit.
Ah! cunctis ſervate modis, ſervate Puellum.
Pondera curarum gloria tanta meret.
Carmina concordis Sponſamque, Virumque Senatûs
O' quantis circùm plauſibus exhilarant!
Gargara quot ſegetes, quot Palladis arbor olivas,
Quot Sicyon gremio flava metalla tenet:
Punica quot gracili ſub cortice grana rubeſcunt,
Pocula quot Bacchi Tmolia terra parit;
Tot ſuus ardor habet monimenta levaminis, & tot
Debita ſudorum praemia fronte gerit.
Scilicet atra diem conturbant nubila; verùm
Gratior affulget poſt nigra vela dies.

Si quid contra fas dictum, obliteratum eſto.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMINUM
LIBER II.
Pro Patriarcha Sancto Joſeph
EPIGRAMMATA.

Joſeph Sponſus Virginis electus.

OMnipotens Genitor cuinam ex mortalibus aegris
    Committet Genitum, fiet ut ille caro?
Spiritus aut Sponſus cui trader & ipſe Mariam,
    Quò custodem habeat Sponſa puella ſuum?
Tu legeris, Joſeph, mediis é millibus unus,
    Qui Patris, & Sponſi munia digna geras.
Et bene reſpondes electus utrique miniſter
    Officio. Genitor talia, Amorque probat.
Si dias geris ergo vices Genitoris, Amoriſque,
    Aut Deus, aut ſimilis, magne Joſephe, Deo es.

Deſponſatio Sancti Joſeph cum B. Virgine Maria.

VIderat è Caelo Superûmque, hominumque Repertor
    Heroas Joſeph nullibi ineſſe pares.
Dotibus ille Animas ſupereminet unicus omnes.
    Tanta ſub ingenuo pectore dona ſedent.
Tunc Deus: Ecquis erit, meliùs qui conſular imis,
    Virgo, tibi in terris, & tibi, Nate meus?
Cura ſit huic ergo aeternum defendere Verbum;
    Virgineumque ſuper pervigilate decus.
Sic merito Joſeph accreſcet honore per aevum:
    Praeſidiumque ſuum Virgo, Deuſque leget.
Nec mora. Connubio Mariamque, Virumque beato
    Jungit; & ad caſtas jubilat Aethra faces.
Virginis intactum cuſtodit & ille pudorem,
    Protegit & patriâ ſedulitate Deum.
Et Mariae Sponſus, Dominique ſonante vocatus
    Laude Pater. Tanto praeniret ille gradu.
Hoc creviſſe adeó miremur honore Joſephum?
    Nominis haec etiam ſunt monimenta ſui.

K   Pa-

Pacem habet in amaritudine.

INter Amaritiem, Pacemque exercita quondam
  Zelo plena ſuo lis, ſtudioque fuit:
Utra cor addictum deberet habere Joſephi,
  Inque cor arbitrio jura tenere ſuo.
Illa ait: ò quot erunt poenae! quot vulnera Martyr
  Sentiet ad Mariae fata, Deique cruces!
Indubitare meo nunc ergo deſine regno.
  Cogitur in Dominae triſte cor eſſe manu.
Iſta autem: divina quies, & amica Beatis
  Otia Jeſſaei pectus Amantis alent.
Legibus ergo meis concede; quid irrita tentas?
  Pacificum debet cor mea jura ſequi.
Talia jactabant animi molimine, Joſeph
  Cùm vigil aure ſibi jurgia grata bibit.
Demeret ut litem, placeat concordia, Divae;
  Tam tuus en totus, quàm tuus, inquit, ero.

Mutuus Joſephi, & Mariae honor.

CEdis ubi thalami caſtiſſime juribus Heros,
  Sponſa fovet caras Virginitatis opes.
Cùmque Maria ſuo veneranda pudore coruſcat,
  Numinis eligitur Mater, idemque parit.
Grande tamen compenſat opus. Tu Numinis illam
  Eſſe facis Matrem, te facit illa Patrem.

Joſeph Pater Virgo.

NEmo ſimul Pater eſſe poteſt, & Virgo per Orbem,
  A' Patre Virginitas, prole oriente, fugit.
In te. Dive, ſuum mutat natura tenorem.
  Tu Patris, & dotem Virginis unus habes.
Nempe ubi conjugium tuque, & tua Sponſa ſubiſtis,
  Virginitas nupſit Virginitate comes.
Numine utramque ſuo conjunxit gratia, & hujus
  Virginitas fructus foederis ipſa fuit.
Si fructum ſine labe ſuum pudor obtinet ergo,
  Rite tuo feretis nomine Virgo Pater.

Ino-

Inopina Mariae foecunditate vexatus, Virginem potius, quàm Matrem credit.

Qualiter in bivio ſpeculatus multa Viator
Haeret; & in dubio pectora merſa natant;
Neſcit, an illa ſibi det ſemita tangere metam,
Decipiat curſum callis an iſte ſuum;
Non ſecus huc animum Sponſus trahit aeger, & illuc,
Viſcere ubi Prolem claudere Virgo notat.
Bella gerunt oculi, niveique idea pudoris.
Hi gravidum, haec caſtum dimicat eſſe ſinum.
Non capit aſt Joſeph, ceu tempore poſſit eodem
Sponſa pudore frui, prolis & eſſe parens.
Nec quid agat, reperit; nec iter ſibi cernit apertum.
Res labyrintheum non niſi tegmen habent.
Quid faciat? potior ſententia mente triumphat.
Nullam oculis praeſtat facta ſub ipſa fidem.
Virgineo puram ſic credit honore Mariam,
Non gravidam, clauſo cùm tumet illa Deo.
Haec Sponſae laus magna. Pudor vel certior ipſâ eſt
Prole, licet clamet viſcere: Mater adeſt.

Simul cum Virgine praegnante à Bethlemiticis rejectus, ſibi uni hoſpitum inhumanitatem adſcribit.

Virgo puella ſuum jam jam paritura Satorem eſt,
Parvula nec tenuis commoda ſedis habet.
Hunc precibus Joſeph ferventior ambit, & illum,
Motus ut hoſpitium cedat amore ſuum.
Bethlemicos negat iſta Tribus, negat illa penates,
Juncta licet veteris foedere amicitiae.
Communem Senior cùm cernit utrinque repulſam,
Sunt mea, ait, tanti crimina cauſa mali.
Quid ſceleris potuit committere candidus Heros,
Virginis ut partu tecta negata forent?
Ah! fruitur Joſeph Juſti cognomine. Juſtus
Vitae accuſator fit prior ipſe ſuae.

Dolet negari Deo locum, in quo naſcatur.

Triſtitiâ cor parce tuum vexare, repulſam
Si Deus hoſpitio nunc oriturus habet.
Poſt mortem excipiet lacero ſub pectore vulnus;
Natalem ante diem vult quoque probra pati.

Joſephum hortatur Virgo ad injurias alacriter ſuſtinendas.

SE videt ejectum, Sponſamque, Deumque Joſephus;
Sentit & in tenero vulnera facta ſinu.
Et dolet, & cordis ſuſpiria ducit ab imo.
Nam ferit ingenuum culpa aliena animum.
Alloquitur triſtem Virgo, cùm talia cernit;
Utque alacri ſubeat pectore probra, docet.
Audit ubi vocem, ſubitò mutatur ab illo,
Cujus in afflicto ſubſtitit ore dolor.
Vnde poteſt vox miſſa Virum mutare dolentem?
Jlla ſacrae vox eſt Virginis; ergo poteſt.

Vocat nomen Unigeniti Jeſum.

SOlus ubi Omnipotens animantia cuncta creavit,
Impoſuit ſolus nomina rebus Adam.
Gloria communis ſic inter utrumque refulſit.
Nam creat ille Opifex, iſte creata vocat.
Haud aliâ (mihi crede) ſuper mirabile Verbum
Se Deus, & Joſeph conditione gerit.
Unus producit Verbum, vocat alter Ieſum.
Ille nitet Genito, nomine & iſte nitet.
Nomine at impoſito, fertur Pater alter Ieſu.
Plauditur ille Polo, plauditur iſte Solo.

De eodem.

MEnte Pater generat Verbum, dat nomen Ioſeph.
Diviſum ergo decus cum Patre Divus habet.

Quaeſivit Jeſum Diabolus per Herodem; Joſephus autem texit.

IN Bethlehem Omnipotens ex Virgine naſcitur antro,
Ducat ut humanum libera ad aſtra Genus.
Pluto rapi praedas è faucibus ingemit Orci;
Millenoſque agitat damna per ipſa dolos.

Hero-

Herodem aggreditur, ſtimuliſque prementibus urget,
Ne ſinat Externum tollere jura Throni.
Arma procax, fremit arma, novum proſternere Regem
Rex *Solymae*, Rabido tanta ſtat ira ſinu.
Carpit ubi ſcelus aure Pater, non Templa, domoſve,
Aut nigra ſepta petit, Numen ut ille tegat.
Septa, domoſque, & adhuc luſtraſſet Templa Tyrannus,
Unde cruentandum perderet enſe Deum.
Niliacas Dominum transfert animoſus in Urbes.
Sic Puerum ſervat victor ab hoſte ſuum.
Si peragit quicquid munimina cuncta nequiſſent,
Unica Joſephi plus valet ergo manus.

De eodem.

NUmine productum Verbum ſervavit Ioſeph.
Aut Numen Joſeph, aut prope Numen erat.

Chriſto contra Herodis iram Judaea tota non ſufficit; ſufficit verò Joſeph.

VAſta ab inhumani Judaea furore Tyranni
Servatura ſuum non habet arma Deum.
Abdere nec tacitis Puerum penetralia in umbris,
Nec cava, nec rupes, caeca nec antra valent.
Per loca (quis credat?) ſtrictum furit omnia ferrum:
Morſque cruentatas turget ad exuvias.
Solus ab hoſte Deum tutatur inermis Ioſeph;
Et potis eſt facili vincere ſorte minas.
Si ſuperat ſine Marte, foret victoria quaenam,
Si manus in Solymum ſtringeret arma Ducem?

Accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum.

MAndat in Aegyptum vox Alitis aethere ab alto
Imperioſa fugam; datque ſubire metum.
Conſueto neque, Dive, vocat te nomine Joſeph,
Quo tibi magnificum reddidit ante decus.
Aeterni neque Patris ait pius accipe Natum,
Et Sponſam, Omnipotens quam ſibi legit Amor.
Exprimit aſt Puerum, Matremque, fugitque per auras;
Fertque tibi nullam, cùm timor urget, opem.

Digitized by Google

Sermo quid obſcuris ambagibus expetit? aut te
Quid Mariae, & Jeſu non levat ille ſono?
Scilicet explorat, tua mens an obediat ultró,
Sit licet implicitum nubibus imperium.
Imperio pares. Sic cuncta pericula vincis.
Praemia Victoris, quiſquis obedit, habet.

Joſephum Angelus monet, ut fugiat in Aegyptum.

NEſcius Aegypti Joſeph quam tendet in Urbem,
Ales praecipuum ſi tacet ore locum?
Aut habitanda Seni cur tecta recludere omittit?
Non opus eſt monitu dicere plura ſuo.
Divus habet Verbum. Docet hoc abſcondita cordis.
Verbum aperit quicquid Nuntius ille tegit.

Fugam praecipiens Angelus, profugum non comitatur.

ERgo Paraetonias Joſeph contendere in Urbes
Cogitur? inque viâ dux modó nullus erit?
O Solymis qui regna jubes incognita ab oris
Quaerere, cur dubium non regis, Ales, iter?
Ignarum malus error aget per iniqua locorum.
Ne ruat in caſus, nocte dieque praei.
Decipior. Magni ſtat praeſens Angelus olli
Conſilii; Ductor non eget iſte duce.

Septem annis moratur in Ægypto.

NIliaco quid, Dive, tuam ſub tegmine vitam
Ducis, ubi impietas torquet in aſtra minas?
Nec Patriae te tangit amor? nec concipis aeſtum
Sancta Palaeſtinae viſere regna tuae?
Noſco moram. In tenero tua vita quieſcit Ieſu.
Permanet ille Phari, tuque redire nequis.

De eodem.

TE, Samuel, renuit ſeptem expectare diebus
Rex Saul; unde ſibi parta corona foret.

Septem

Digitized by Google

Septem annos Joſeph Phariis expectat in oris,
Donec ab Angelicâ nuntia voce legat.
Ergo dies ſeptem Sauli ſi ſerta dediſſent,
Septem annis Joſeph quot ſibi ſerta parat?

Labore manuum ſuarum ſacram alit Familiam.

TUrba laboranti noctuque diuque Joſepho,
Vita tibi poſthac quam gravis, inquit, erit!
Multa feres, facieſque Pater ſudore, geluque,
Suſtentes manuum pauper ut arte domum.
Dura labor pariet tibi taedia; laſſus & annis
Pondera non poteris ferre moleſta Senex.
Tunc Joſeph: veteres tandem dediſcite mores.
Non ullus labor eſt, eſt ubi ſolus amor.

Virginem, & Jeſum debitores ſibi facit.

INtegritate Deum parit unica Virgo puellum;
Fitque Deus Matri debitor ipſe ſuae.
Hic Pater, & Sponſus Matremque, Deumque tuetur;
Et fit uterque ſuo debitor auxilio.
Gloria quae major reputabitur? utraque conſtat.
Haec, Joſephe, tua eſt; Virginis illa tuae.

Joſephi ad Virginem, & Virginis ad Joſephum, in afflictionibus converſio.

TU me ſpectabas, ego te, pateremur uterque
Cùm mala dura fugae, cùm mala dura domûs.
Tu, mea Sponſa ſoror, mihi vulnera corde ſub imo
Feciſti, infixis ſaucia cuſpidibus.
Corde & ego Sponſus frater tibi vulnera feci,
Intortis Animam fixus arundinibus.
Poenae cauſa oculus. Sic vulnera danſque, ferenſque,
Victor uterque fuit, victus uterque fuit.

Joſeph Pater Jeſu.

QUae virtus, ò Dive, Patrem te fecit Ieſu,
Delituit quondam, nunc manifeſta patet.

Digitized by Google

Candida Virginitas Matrem dedit eſſe Mariam.
Ergo Virginitas te dedit eſſe Patrem.

Puer Jeſus ſuper Joſephi brachia quieſcit.

APpoſitis cùm ſacra epulis ſit coena, recumbit
Joannes Domini pectora amica ſuper.
Et bibit ex illo myſteria fonte, ſuoque
Edocet eloquio qualiacunque bibit.
Joſephi quoque natus Amor requieſcit in ulnis.
Hic trahit ille dies, hic tener ore jocat.
Inque Patris ferventem Animam ſua lumina fundit,
Lumina divino multiplicata ſinu.
Sic Joſeph tribuente Deo myſteria longùm
Potat, & alta ſuo percipit ingenio.
Nanque arcana, Pater cùm circumfunditur aureo
Lumine, clara videt; viſaque nota facit.
Confer Joannis nunc munera, & illa Joſephi.
Myſtica cùm biberint, amplius iſte bibit.

Semper in ſomnis ab Angelo admonetur.

DUcere cum Sponsâ ſeu Joſeph debeat annos,
Seu Peluſiaci quaerere regna ſoli;
Iſrael in terram Phariâ ſeu parte reverti,
Seu Galilaea ſuis viſere tecta focis;
Accipit in ſomnis ſemper mandata; nec unquam,
Cùm vigil eſt, miſſum reſpicit Aligerum.
Quid ſibi vult ſomnus ſub tanta negotia rerum?
Scilicet eſt pacis teſſera, & omen habet.
Filius ille ſuus, Princeps eſt pacis, Ieſus.
Arca etiam pacis myſtica, Sponſa ſua eſt.
Ergo ſi Joſeph recipit myſteria ſomno,
Et Patrem, & Sponſum pacis hic eſſe docet.

Joſeph Archelaum timet.

FIlius Herodis ſolio dum regnat in aureo,
Inque ſuum exercet jura vagata Gregem,
Obſeſſos tibi, Dive, gravis timor occupat artus;
Menſque repentino frigore tacta jacet.
Quid ligat hic animum ſubducto robore torpor?
Quidve pavore tuae diriguere comae?

Totus

Totus ineſt Genitor Genito. Foit ille Tyrannus;
Hujus inardeſcens corda Tyrannis habet.
Sanguineâ Patrem timuiſti caede rubentem,
Cùm rubet & Natus ſanguine, jure times.

Puerum Jeſum amittit.

FOrte Pater tenerum Joſeph amittit Ieſum,
Nazareth à Solymâ dum redit Urbe ſuam.
Et gemit, & crebris latè loca queſtibus implet;
Salſaque ſqualentes obruit unda genas.
Per cava, per montes, per inhoſpita, perque receſſus,
Moeniaque illacrymans per Solymaea tuit.
Quid faciunt lacrymae ad curſum? mare flebile formant,
Ut Pater in tanto naviget ipſe mari.

Puerum Jeſum invenit.

TRes errat Joſeph tenero ſine Numine Soles
Per juga, per vicos, per cava, perque vias.
Filiolum tandem myſteria ſumma docentem
Primatum in mediis invenit agminibus.
Agnoſcenſque Dei vocemque, atque ora, paterno
Currit in amplexus motus amore ſuos.
Jamque tenet ſtrictum, nec jam per devia ſolum
Amplius, aut Urbes, ceu prius, ire ſinit.
Mutantur geminis haerentia brachia vinclis;
Et manicis circùm lactea colla manus.
Non ita vis hederae frondentem germine quercum
Implicat, ut Puerum Divus in Aede ſuum.
O' Animae! ò Animae! pia cernite facta Joſephi.
Hic ſine caeleſti vivere Prole nequit.
Perditis heu Dominum culpâ, nec quaeritis ultrà!
Vita carens Domino, dicite, qualis erit?

Tacens Jeſum invenit amiſſum.

TE peto, Nate meus, clamoque: revertere Jeſu:
Tu tamen ad Patrem non retro flectis iter.
Te peto, nec clamo velut ante: revertere Jeſu:
Tuque moves ad me, Nate, repente pedes.
Quis capit haec? Audis, cùm ſtricta ſilentia ſervo;
Non audis vocem, cùm magè clamo, meam.
Auribus ergo tuis dant ipſa ſilentia vocem.
Ipſa vel elato vox taciturna ſono eſt.

Non

Non intellexit quae Puer Jeſus in Templo inventus ſibi dixit.

ANnuat aut Jeſus, aut myſtica verba reſolvat,
Scit penetrare Senex mente, quid ille notet.
Cùm me Patris ait tractare negotia oportet,
Ingenio ſenſus non capit ipſe ſuos.
Verba quid in medio non percipit edita Templo,
Si fuerunt voces, captaque ſigna prius?
Laetitiâ abſorptus, Jeſum cùm repperit, haeſit.
Cetera mens aliò rapta ſubire nequit.

Cum Joſepho Jeſus Nazareth revertitur.

AMplius in Solymâ Jeſus vult ſede morari,
Doctuṛus Populum, conciliique Senes.
Reſpuit haec Joſeph, redeatque ut Nazareth Urbem,
Annuit; & ſubitum cum Patre carpit iter.
Conjice quis fuerit Joſeph. Deus ipſe Joſephi
Pluris nolle facit, quàm bene velle ſuum.

Domus Nazareth Joſepho Caelum videtur.

ESt Fabro, quam Dive habitas, accommoda ſedes.
Tu tamen hanc Caelum vi potiore putas.
Et bene. Summus ubi Caeli ſua tempora Factor
Ducit, ibi Caelum dicitur eſſe ſuum.

De eodem.

SOl, & Luna domo Joſeph verſantur in unâ.
Quid mirum ergo, domum ſi putat eſſe Polum?

Imperium ſuper Jeſum.

QUid tumet Iphicrates, dum coetibus imperat illis,
Quos Populorum acies per fera bella tremunt?
Mili-

Militiam regnare ſuper quae gloria tandem,
Si Ducis in proprium eſt jura tenere gregem?
Maxima praecipui dicetur pompa Joſephi,
Et reliquas inter maxima ſemper erit.
Imperat ille Deo, Deus edita juſſa faceſſit,
Cui parent ſtudiis Terra, Poluſque ſuis.
Quaeque ſuo cedat Dominantum gloria regno.
Celſius in toto non datur Orbe decus.

Joſepho Jeſus ſubditur.

Cui mare, cui tellus, cui ſtyx, cui ſidera parent,
Quem tremit ad nutus Mundus uterque ſuos,
Ecce tuo pendet ſubmiſſus ab ore, tuoque
Imperio obſequitur, ceu minor ille foret.
Sed Deus eſt, hominum, Divûmque ſuprema poteſtas;
Tuque manùs fereris cunctipotentis opus.
Ergo Creaturae ſi pendet ab ore Creator,
Sique, Joſephe, tuo ſubditur arbitrio,
Deprimitur quantò ſub juſſa profundior ille,
Tantò ageris titulis altior ipſe tuis.

Joſepho miniſtrans Jeſus, Cruces interdum componit.

Ferramenta manu fabrilia tractat Ioſeph,
Pauper ut hac domui conſulat arte ſuae.
Filius auxilio eſt, ſcalpitque, ſecatque, dolatque,
Conficit & patrio digna miniſterio.
Saepe ſuas tamen ille Cruces ex ſtipite format:
Hiſque ſuper fixum corque, animumque tenet.
Sive labore Deus ſudet, ſeu caſibus actus
Frigeat, ad triſtes vertitur ille Cruces.
Aſpicit haec Joſeph, Crucibuſque minacibus aeger
Languet, ubi dirae mortis imago ſubit.
Hunc ego non miror Crucibus languiſſe dolentem;
Miror at ad tantas non periiſſe Cruces.

Triginta annis Joſepho deſervit.

Numinis à Solymo vitam Pater hoſte tuetur,
Cùm fremit ille ſuâ tingere caede ſolum.

Et bene apud memorem tanti ſtat gratia facti:
Namque Patri inſervit funera aduſque ſuo.
Haec merito quàm jure facit! Sibi funere vitam
A' Patre ſervatam, noverat eſſe Patris.
Debitor hanc Jeſus Joſepho impendit. Ad ipſum
Sic redit Authorem tradita vita ſuum.

Joſephi nomen operibus conſonum.

SOrs, Joſephe, tibi quàm conſona nomina fecit!
Augmentum Domini diceris eſſe tui.
Et bene divinis accreſcis honoribus, unus
Electus ſupero, Dive, miniſterio.
Sponſa Maria tibi eſt ullâ ſine labe pudoris;
Plauderis aeterni Numinis eſſe Pater.
Ille Deus, Deus ille potens tibi ſubditur; illa
Subditur imperio caelica Virgo tuo.
Quàm bene, Dive igitur fortunatiſſime rerum,
Conveniunt factis nomina tanta tuis!

Joſephi imago.

PErgebant comites, Dea pulchra rubore Juventa,
Et Dea lacteolis cana Senecta comis:
Cùm tabulâ expreſſum circumſpexere Joſephum,
Vincula conjugii qui ſubiturus erat.
Illa ait: ò rerum ſtultiſſime corrige Pictor.
Sponſus erat Juvenis, tu facis ore Senem?
Iſta autem contrà: Quin eſſet honore Magiſtrum.
Non caret ingenio picta tabella ſuo.
Aetatis non ille gravis ratione, ſed omnium
Hauſtu virtutum prodidit hiſce modis.
Virtutes hunc nempe Senem fecere ſeniles.
Pingere Joſephum debuit ergo Senem.

De eodem.

QUalis erat, quem laude refers, tuus ille Joſephus,
Dixit Amatori gens mihi, qualis erat?
Peniculum accipio, telamque, habileſque colores;
Et pingo effigiem, Chriſte, decuſque tuum.
Tunc tabulam exponens dixi: vis noſcere, qualis
Ille Joſephus erat? reſpice, talis erat.

Joſe-

Joſepho aſtat Angelus.

ANgelus, & Joſeph ſimiles virtute coruſcant;
Numinis ille faces nutrit, & iſte faces.
Ille verecundo vultum ſibi Sole colorat:
Depingit rubeis huic pudor ora roſis.
Vindicat ille ſibi formam candoris in aevum:
Et ſibi in aeternum vindicat iſte diem.
Ille liguſtra gerit, gerit iſte. Uno attamen impar.
Nuntius ille Dei, ſed Pater iſte Dei eſt.

De eodem.

TU Joſephus eris, ſi pennas liqueris, Ales.
Si pennas, Joſeph, ſumſeris, Ales eris.

Joſeph Angelus potius, quàm homo.

NUntia qui Mariae retulit, venerabile Verbum
Gigneret ut cœlebs, Angelus ille fuit.
Qui fuit & Verbi Pater, & Vir Virginis, an non
Debuit omnigenis Angelus eſſe modis?

De ſeptem S. Joſephi luctibus, totidemque gaudiis.

MUtat agens fortuna vices. Ad vulnera Joſeph
Pectora nunc vaſto merſa dolore gerit;
Soſpite nunc tantis Sponſâque, Deoque periclis,
Laetitiae immenſas fluctuat inter opes.
Cedite triſtitiâ undantum genus omne dolorum.
Cedite totius gaudia plena ſoli.
Neſcio quid Joſeph ſit toxico amarius uſquam.
Neſcio quid Joſeph dulcius ambroſiâ.

Joſephi luctus.

TOt Jeſum monumenta Virum dixere dolorum.
Impulit hunc contrà quilibet arma dolor.

Digitized by Google

Martyribus Virgo praecelluit unica; & horum
Reginam celebres accinuere Animae.
Joſeph ille Pater Jeſu, Sponſuſque Mariae
Anne dolore carens, martyrioque fuit?
Hei mihi quot luctus, quot pertulit intima Martyr
Vulnera! bella ſuum corripuere ſinum.
Elige poenarum minimam, minimamque ſuarum.
Quam fingas animo, grandior illa fuit.
Nazareth, & Solyme, Bethlehemque, ſolumque Canopi
Hoſpitis ad caſus ingemuere Senis.
Cur Jeſus dedit alta pati tormenta Joſephum?
Cur habuit paſſum plura Maria Virum?
Nempe ſuâ ſimilis virtute refulſit utrique.
In poenis ſimilis debuit eſſe ſuis.

Joſephi gaudia.

TE ſibi adoptavit Patrem mirabile Verbum;
Legit & in Sponſum cælica Virgo ſuum.
Largiflui implerunt te miſſa chariſmata Amoris;
Anguſtumque ſacrâ cor fuit eluvie.
Clara Beatorum recreavit viſio ductum
Luminibus, quamquàm, Dive, viator eras.
Teque Heroa ſuum firmavit gratia; & annos
Munera per longos laeta habuere ſinum.
Quàm bene! lance pari reſpondent omnia, Joſeph.
En tibi dat magnus gaudia magna dolor.

Petit mori.

ARdet amore Pater, Natoque Cor ignibus uſtum
Mittit, ut in flammas nuntiet ire ſuas.
Mentem etiam mittit memorem; ſed utrumque moratur,
Intellectus abit; nec magis iſte redit.
Ergo moram ſpeculatus, ait: mea vade Voluntas.
It, ſed apud Jeſum non reditura manet.
Ut totum poſſit ſe denique dedere Nato,
Exardentem Animam mittit & ille ſuam.
Expectat Joſeph, è Numine an afferat ullum
Reſponſum; reducem nec ſibi adeſſe videt.
Cùmque Anima, & ſibi Cor, triplexque Potentia deſit,
Quis ſtupeat poſthac, ſi petit ille mori?

Joſephi tranſitus.

Corpore languebat toto moriturus Ioſeph,
Nigranteſque oculi more natantis erant.
Stabat & hinc Jeſus Patrem miſeratus hebentem,
Hinc & Virgo ſuum collacrymata Virum.
Altera ſudorem tergebat frontis, ab uno
Membra regebantur vix animata Senis.
Cùm Mariae, & Jeſu prolato nomine, diam
Exhalavit agens inter utrumque Animam.
Ah poſſint, Joſeph quâ vixit ſorte, perire;
Poſſint ſorte homines vivere, quâ periit!

Super omnes Angelorum, & Apoſtolorum choros collocatur in Caelo ad dexteram Virginis.

Augmenti proh quanta tui ſuper aſtra refulget
Gloria! te quantus, Dive, decorat honor!
Hàc Triadis ſolium vel Sole nitentius aureo,
Illac luce tuus ſtat radiante Thronus.
Reginaeque ſedes ad dextram Virginis; ac te
Praepoſitum gaudet Sponſa tenere locum.
Tu ſuper Aligerûm famulas attolleris alas,
Sub pedibuſque vides agmina mille tuis.
Splendet Apoſtolici biſſena caterva Senatus
Te minor; inque gradu par tibi nemo datur.
Tu Verbum in terris, te Verbum exaltat in aſtris.
Quàm ſimiles tanto ſunt in honore vices!

Epitaphium.

Hoc jacet in tumulo, Regum de ſanguine Joſeph,
Virginis electus Vir, Dominique Pater.
Humanus fuit ille, genus ſi reſpicis unum;
Si Sponſam, & Genitum, Divus utroque fuit.

CARMINUM
LIBER III.

De ſeptem Doloribus Beatae Mariae Virginis.

Tuam ipſius Animam pertranſibit gladius. Luc. II.

DOLOR I.

SAepe ſuperfuſis ruit imbribus arduus aether;
 Agricolûmque habiles depopulatur opes.
Flumina cum rauco turgentia murmure creſcunt:
 Deucalionaeis & mare fervet aquis.
Saepe renitentum concurrunt bella notorum,
 Bella ſub auſpiciis, Aeole, dura tuis.
Ingentique ſonant ſilvaeque, & littora motu:
 Arboreaeque comae, pulſaque arena volat.
Tempus at exitio non ſemper inhorret eodem.
 Pax ſine lite datûr: ſtat ſine nube dies.
Sola ciet Virgo lamenta perennia luctu:
 Sola trahet poenas fixa dolore ſuas.
Hanc timor, & clades, hanc plurima mortis imago,
 Moeror, & anxietas hanc comitata prement.
Quae ſociis miſerae ſine luctibus hora feretur?
 Triſtis erit menſis, triſtis & annus erit.
Non dabitur vel mera gravi, mediumve dolori.
 Se pariet ſtimulis acrior ille ſuis.
Qualis ab infixo magis Hydra repullulat ictu;
 Totaque in Herculeum vertitur ira ſinum.
Flebilis heu quanto dotabitur ulcere Mater!
 Spiritus heu quantis naufragus ibit aquis!
Vivet, & hoſtilem ducent ſua ſpaſmata vitam:
 Spaſmata ad interitum deperitura ſuum.
Unicus eſt Jeſus tot cauſa, caputque laborum;
 Et tener in Jeſum fert grave vulnus amor;
Vulnus inhaeſurum, & nullis medicabile ſuccis,
 Sive tuis Chiron, ſive Epicharme tuis.
Fallor? an ancipites Simeon denuntiat enſes?
 Hei mihi quot luctus, quot mala fata canit!
Infelix, nimiùm infelix! Quem ſiſtis ad aram,
 Sanguinis emiſſâ nabit in eluvie.
Unius in Nati exitium Judaea nepotes
 Incitat; & caecus ſuggerit arma furor.

En horret ſtrictis ſeges enſibus aenea; equorum
En Solymae tellus pulſibus icta tremit.
Spiſſa laceſſitae dant lumina ab igne machaerae;
Stringit & attonitos lux geminata oculos.
Quò, quò Carnifices ruitis? quid dextera ferro
Cingitur? aut qualem praeparat ira luem?
Anne parum innocui diffuſum eſt ſanguinis aſtu
Principis? ingenti compita caede rubent.
Vincla quid, & virgae, quid ſerta rigentia ſpinis,
Pilaque, & infamis Crux, quid & haſta petit?
Scilicet haec mortis ſcenam paritura cruentam
Virginis in Puerum machina tota ruit.
Non ſecus ignito tormenti è turbine fertur
Concita in immeritam plumbea grando Fetam.
Sic eſt. Poſt certas hiemes furiale flagellum
Vertet delicias, Mater amara, tuas.
Tunc ſegnis ſine luce dies orietur; & axem
Sol ferrugineis conteret aeger equis.
Terra ſuâ quin ipſa petet tunc mole relinqui;
Et cadere excuſſis diruta ponderibus.
Omnia inhorreſcent, atque omnia confundentur,
Cladibus extinctum collacrymata Deum.
Audit ut haec Virgo, perterrita funere Virgo,
Oſſa repentinum ſentit inire gelu.
Uda oculos, ſtupefacta ſinus, & pallida vultum,
Par ſcopulis haeret, nobilis Oeta, tuis.
Sanguis hebet, fractaeque cadunt è corpore vires.
Matris amor tanto proditur exitio.
Exul ubi rediit virtus in priſtina primùm,
Et ſtetit in medio vis revocata animo,
Humentes oculorum acies ad ſidera torquet,
Unde ſibi auxilium deproperare putat.
Aſt Polus inſueto portendit triſtia vultu:
Inque cor implacidi tela doloris agit.
Dona tamen confert, & Templum thure vaporat,
Flagret ut aeterno victima grata Deo.
Expletiſque, ſuo quae Sacra volumine Moſes
Praecipit, in Patriae tecta relicta redit.
Sive domi arguto percurrat pectine telas,
Serica ſeu tenui ſtragula pingat acu:
Verſato ſeu torta trahat ſua ſtamina fuſo,
Seu reliquum Mater provida carpat opus;
Numinis ante oculos morituri excurrit imago,
Plenaque ſanguineis amphitheatra vadis.
Hìc Jeſu vincire manus, hìc vincula collo
Injicere exultat ſtragibus apta cohors:
Lapſantemque Deum Solymes raptare per Urbem,
Summaque dentatis aſtra ferire jocis.
Nunc virgis, hamiſque ſuos crudeſcit in artus:
Ictibus & denſis crebra flagella ſonant.
Qualiter effuſi praerupto ex aethere nimbi
Permultâ crepitant grandine tecta ſuper.

Tem-

Tempora nunc vepribus circùm penetrantur acutis.
Proque manûs ſceptro vilis arundo datur.
Concretam divellit ovans pars ſanguine batbam;
In faciem foedo pars ſpuit ore ſuam.
Nec mora, nec tequies. Pugniſque, alapiſque, flagiſque
Uritur, in rubro qui natat Oceano.
Nec conceſſum irae ſatis eſt. Judaica Jeſum
Dextera ad infamem pertrahit interitum.
Semianimis, membriſque tremens, plagiſque cruentus
Fert oneroſam humero deficiente trabem,
Quâ ſuper exhauſtus vitales deſerat auras;
Finiat & poenas per nova probra ſuas.
Jamque Deum clavis diſtendunt ſtipite fixum.
Jamque rigens toto corpore plaga fluit.
Jamque reclinatum ponit caput, expirando.
Suntque obitâ tandem cuncta peracta nece.
Talia Virgo ſuae cùm mentis acumine cernit,
Frigida continuus pectora torpor habet.
Languentemque Animam terebrans tranſverberat enſis;
Inque novum aſpectus penè cadaver abit.
Quid faciat mortis tam duto exterrita caſu?
Figere in inſontem lumina cogit amor.
At Puerum ſpectare nocet. Dant vulnera ocelli:
Et riſus lacrymas, triſtitiamque trahit.
Ille tener Matri manibus, pedibuſque jocatur,
Cùm ſua faſciolis cingere membra parat.
Blandiculas meditata manus, claviſque forandos
Virgo pedes, moeſtas irrigat amne genas.
Crinali dum comit acu caput, & ſua ludens
Colla per, atque humeros incipit ire coma,
Heu caput (inquit) erit ſpinis penetrabile: virgis
Caeſi humeri: & nodis colla ligata ſuis!
Reſpicit ad latus (id deerat cruciatibus unum)
Te quoque transfiget lancea truſa manu.
Quid queror? Ipſa ego tantarum ſum cauſa ruinarum.
Heu patior ſtudiis damna peracta meis!
Ni ſua mortali genuiſſem tegmine membra,
Nulla foret Genito poena ferenda meo:
Nec mihi Carnificum crudelia corda querenti
Transfoderet pectus nocte dieque dolor.
Poſthac me Solymae neu Matrem dicite Alumnae;
Dicite crudelem, cùm meruiſſe puto.
Tuque tuos ex me, Puer unice, noſce dolores.
Sum pariter mortis pars ego magna tuae.

Fuge in Aegyptum. Matth. II.

Flexerat in dulcem duo ſidera Puſio ſomnum,
Sidera lacrymulis humida facta ſuis.

Digitized by Google

Cùm ſeram defeſſa ſimul per membra quietem
Virgo dat, appoſitis nixa caput manibus.
Dormit; at in placido ſibi viſa ſopore per umbram
Haec levis ante ſuos pergere imago oculos:
Accipiter natum magnâ de ſtirpe palumbum
Norat; & hunc hoſtem credidit eſſe ſuum.
Ille tamen Matri juncto dabat oſcula roſtro,
Mulcebatque tuos, Ephrata amica, lares.
Carmine prata hilari circùm pulſata ſonabant.
Plauſitat iſte ſuo, plauſitat illa joco,
Ergo libratis meditatur in aëra pennis
Irruere, ut moriens ales ab ungue cadat,
Mater ubi inſidias animo praecautior hauſit,
Cum tenero vertit pignore terga fugae.
Latro inhians praedam, nunc huc, nunc pervolat illuc,
Obſervans, ubi ſit, quóve ſequatur iter.
Aſt acie nequiere oculi ſervare volantes.
Scilicet ignotae ſub cava rupis erant.
Tum dolet, irarumque omnes effundit habenas,
Et tener exitium quilibet ales habet.
Per nidos, per aperta ruens, per inhoſpita fertur,
Atque avium natos, quâ valet arte, necat:
Ut numero in tanto prenſus ſimul ipſe palumbus
Intereat roſtri praeda cruenta ſui.
Vidiſſes (tantum ira furit) ſpoliata tenellis
Arva ſuis puncto temporis alitibus,
Turba gemens volucrum ſibi pignora caeſa queruntur;
Et nemus, & valles, & juga triſte ſonant.
Flebilibus pax nulla modis: nam funere paſſim
Blanditiaeque ſuae, deliciaeque jacent.
Ille alacris pipat, credens in clade peremtum,
Qui cum Matre avido fugit ab ungue prius.
Marcuit aſt demens eluſus imagine rerum.
Ales in inſidias non ruit ille ſuas.
Excutitur Virgo, cùm luſtrat talia, ſomno,
Et prior ante alias fit ſua cura Puer,
Reſpicit ad poſitas, motanda cubilia, cunas,
Parvulus an ſomno corripiatur Amor.
Ridet Amor, blandiſque invitat ad oſcula ſignis.
Haec renuat Siculis quis meliora favis?
Evolat, ac tenerum ſtringens ad pectora Numen,
Mellea dat labris oſcula Virgo ſuis.
Seque explere Puer neſcit, dans ſaepe Parenti
Suaviolum dulci dulcius ambroſiâ.
Tunc Virgo: ſimilis proh quantùm, Nate, palumbo es,
Oſcula qui Matri praeſtitit ante ſuae.
Heu quid in augurium cecinerunt ſomnia nuper!
Somnia pennatis exitioſa choris!
Ah vereor, ne quid portendant omina veri:
Mortis & infelix exitus acta probet!
Quis ſcit, an alituum quos ſubter imagine vidi,
Mutatâ pueros conditione notent?

Accipiterque aliquis rabidâ ſit mente Tyrannus,
Hoc ſibi qui properet fonte levare ſitim?
Ergo viae, & latebrae, turreſque, & tuta natabunt
Plenis innocui ſanguinis aggeribus?
Quid Puer in Regem potuit committere tantum,
Quo cadat Infantum copia trunca ſolo?
Quid Matres potuère, quibus tot ſpaſmata paſſis
Pars Animae rapitur, dimidiumque ſuae?
Proh! tantum prohibere nefas, pia Numina Olympi,
Si ſedet hoc animo, quod miſerata precor.
Talia jactabat, nunc figens lumina Nato,
Nunc geminas tendens conſcia ad aſtra manus.
Cùm trepidus rerum Joſeph haec nuntia pandit,
Nuntia de ſuperis miſſa cacuminibus:
Nunc nunc ignoti ſeptemflua flumina Nili
Sunt adeunda. Fremens hoſtis in arma ruit.
Rex Solymae heu mortem Infanti molitur acerbam!
Acceleremus iter. Sat mora quaeque nocet.
Haec ubi in aure ſonant, quantus ruit oſſibus horror
Quàm ſitit exanimis laſſa per ora color!
Credite. Non aliter ſtabulis deprenſa relictis
Appula ſub ſaevo contremit agna lupo.
Quid Matri poterat ſub durae pondere ſortis
Eſſe animi, ſi mens torpuit aegra malis?
Anne quod eſt cervae biparenti in tramite ſilvae,
Hoſtica latrantum cùm videt ora canum?
Jam morſus audit concurrere, jamque teneri
Se putat, & lacerum dentibus eſſe cibum.
Ergo timens capiti tam caro regia Virgo,
Anxia diſcurrit per loca nota domûs.
Quâ celeri potis arte, inopis rem colligit uſûs:
Eſtque laboranti ſarcina ſacta manu.
Nec mora. Feſtinat ſceleratâ abſcedere terrâ:
Inque ſuo Puerum celat amica ſinu.
Jamque fugit tacitae per opaca ſilentia noctis;
Jamque Paraetonium ſuſcipit exul iter.
Heu quàm multiplices per inhoſpita regna dolores;
Quot mala cogetur dia Puella pati!
Ante Theramnaeo paſcentur in aequore damae,
Squammigerumque colet ſaxa Matina pecus:
Stabit & impoſitum glaciali Pelion Oſſae,
Junctus & Armenio Tigride Aternus erit:
Ante diem Phoebe, Sol noctem ducet Olympo
Et vetus inſpiciet Terra voluta Chaos;
Pectora quàm miſerae gladius pervadere Matris
Deſinat, & meritam det ſine felle moram.
Quilibet anfractus, rumorque, periclaque, & umbrae
Terrificant animum, ceu fera monſtra, ſuum.
Ah! pavet, implacidi rabiem qui noverit hoſtis;
Inque ſuas credit jam cecidiſſe manus.
Nulla deerranti tellus eſt viſa Parenti
Fida; licet pateant omnia tuta, timet.

Auto-

Digitized by Google

Autumat armato jam jam lictore Puellum
Interimi, & madidas caede natare vias.
Hinc quatit obſeſſos ſudor ſibi frigidus artus;
Carpere nec vitae munera pace ſinit.
Corporis unde poteſt, aut mentis habere quietem
Tot ſtimulos inter, ſollicitoſque metus?
Aut quaenam afflictis reperire levamina rebus,
Quaeve fatigato gaudia digna animo,
Si ſimul & Caros, Patriamque, & ſanguine junctos,
Remque, ſuaeque fugit commoda parta domûs?
Eſt dulcis (mihi crede) Suos ſpectare voluptas;
Aſpera ſed patrio poena carere loco.
Virgo abit ignotos exul viſura penates,
Dividuâ Nilus quos rigat uber aquâ.
Gens inimica habitat, ſat cladibus apta nefandis,
Hebraeum veteri bile peroſa genus.
Huc tamen urgetur celeres intendere greſſus:
Huc ſequitur tacitis cura premens pedibus:
Cura tot aerumnis, tot amaris aucta periclis,
Quot ſolet in longâ ſors geminare viâ.
Nunc ventos patitur, tempeſtateſque ſonoras;
Solis inardaſcens nunc fluit illa foco.
Hoſpitii nunc laſſa pedes excluditur uſu;
Nunc gelidae noctem ſub cava rupis agit.
Praeduros dat terra toros, umbracula amictum,
Saxaque cervical, luſtraque aperta domum.
Pauperies anguſta premit Matremque, Puellumque;
Et lacrymae in longos ſunt alimenta dies.
Fur, ſitis, atque fames, nemora horrida, iterque ſiniſtrum,
Culminaque agreſti vix adeunda pedi;
Poena Dei, & Solymi mens conjurata Tyranni
Colchiacis Animam figit arundinibus.
Ergo tot adverſis premitur, quot littus arenas,
Quotque habet errantes Marſica ſilva Feras.
Quot pulſant volucres reſonantibus aëra pennis,
Piſcibus Ionii quot ſcatet unda maris.
Vere prius natos per amoena roſaria flores,
Poma per autumnum pendula ab arboribus;
Aeſtiferoque die flavas numerabis ariſtas,
Atque hiemis miſſas aſperitate nives;
Quàm mala, quae ſuffert patriis extorris ab oris,
Dum tua ſeptemplex littora, Nile, petit.
Quae ſi forte meo comprendere carmine tentem,
Icariae guttas dicere coner aquae.
Plurima credibili vicit majora ferendo;
Vixque ratam Populis ſunt habitura fidem.
Ardua palmoſae gemuere cacumina Idumes;
Haeſit & ad poenas triſtis Eluſa ſuas.
Terra oleae foecunda, Aſiam quae dividit Afris,
Novit, & Anthedon fata inimica Deae,
Quin etiam argutis bacchantia limina ſiſtris,
Hermopoliſque ſuo turgida Mercurio,

Poe-

Digitized by Google

Penſilis & Thebe centum celeberrima portis,
Et quotquot niveo contudit arva pede;
Virgineos (ſi vera canunt) doluere dolores.
Caſus atrox etiam ſaxea corda movet.
Denique poſt duplicem Memphitica littora menſem
Attigit: hìc longam legit habere moram.
Ecce Paraetonias alis devecta per oras,
Flebilibus reſonat ſqualida Fama tubis.
Regibus Herodes (memorat) deluſus Eois,
Quòd juſſi ad Solymos non rediere lares,
Exardens rabie ſuſpectam miſit ad Urbem
Enſibus armatas, ſaevitieque acies,
Moenia quae furto ingreſſae, quicunque reperti,
Vulneribus Pueros corripuere ſuis:
Dius ut exeſo Bethlehem Puer ortus in antro
Hoc pariter caderet ſaucius interitu.
Membra jacent paſſim canibus data victima, & omnia
Infantum excidio tecta, viaeque rubent.
Sanguine cuncta natant, diluta eſt ſanguine tellus.
Et Bethlehem, & fines pignora caeſa dolent.
O' quot ibi matrum gemitus! qualique ululatu
Et plateae, & vici, culmina & alta crepant!
Quocunque aſpicias, nihil eſt, niſi funeris horror.
Zelotypi tantum Principis ira poteſt.
Ore recens pallet ſceleratae ad nuntia cladis,
Filiolumque ſinu territa Virgo premit.
Congelat, & tenero ſuſpiria pectore rumpit;
Et gemit Infantum fata cruenta ſuper:
Hoc illud fuit ergo, mihi quod ſomnia noctis
Praedixere ſuis triſtia imaginibus?
Care Deus, tu ſolus eras tener ille palumbus,
Et volucres Pueri. Rem modò facta docent.
Fatifero exiſti tu liber ab enſe Tyranni.
Illi autem cupidae praeda fuere manûs.
Nate, meae vires, mea magna levamina ſolus,
Ecce tui incipiunt omina ſupplicii.
Te petit ad mortem tumido Rex percitus aeſtu:
Te ſuus inſequitur per media arma furor.
Ah! Patris aeterno quamvis haec omnia fiant
Conſilio, & ſtabili numine, Nate, tuo,
Attamen aegra dolor cùm pectora vincit, ad ictus
Sentio languentem deficere hanc Animam.
Non animo vis ulla meo eſt, tibi vulnera mortis
Facta videre, Malis cor mihi molle tuis.
Ergo tuo, & Patris ſi fert ita corde voluntas,
Haec ego utrumque meo fixa dolore rogo:
Aut prius in longam claudam mea lumina noctem,
Auferat aut eadem funeris hora duos.

Digitized by Google

Num quem diligit Anima mea, vidiſtis ? Cant. III.

DOLOR III.

Quid metamorphoſi fingis deliria, vates?
Fabula ridetur non habitura fidem.
Acis (ais) Fauno, Nymphâque Simaethide cretus,
Eſt, Galatea, tibi verſus in amnis aquam.
Doridis, & Nerei Siculos pulcherrima proles
Humida per campos nunc Arethuſa fluit.
Rex Achelous agros Calydonius irrigat amnis.
Eſt aqua, Nympharum quae fuit ante cohors.
Blandula Cecropiae ſunt haec mendacia linguae,
Quae pudet in ſacris commemorare modis.
Virginis (hoc verum) duo flumina lumina fiunt,
Cùm tenerum Solymâ perdit in Urbe Deum.
Balnea nec longos oculis emiſſa per annos
Sive tuis David, Magdala ſive tuis;
Vena nec irrumpens plorabilium lacrymarum,
Quâ tibi, Petre, duplex ſulcus in ore riget;
Largifluis manare poteſt par Virginis undis,
Diluvie rivos exuperante tuos.
O' ut praecipitant crebris torrentibus imbres!
Ut gremium geminas fluctuat inter aquas!
Cùm data verba ſibi tacito ſub pectore captat:
Dic, Deus ille tuus, quo recrearis, ubi eſt?
Sola Animae ſpes illa tuae, tua vita, tuum cor,
Mater, ubi eſt? miſeram! quàm malè prole cares!
Triſtior hoſpitium Solymâ procul Urbe revolvit;
Nanque Deo ſentit ſe viduata mori.
Culminaque, & latebras rimatur, & omnia latè;
Atque infrà Puerum laſſa, ſupràque petit.
Qualiter infixo ſilveſtris caprea telo,
Quam Dictaea agitans per juga laeſit Eques,
Praecipitem molita fugam, nemus omne peragrat,
Si quà vulneribus ſit medicina ſuis.
Dictamnum foliis, & rubro flore comatum
Quaeritat; aſt haerens urget arundo latus.
Virgo Deum explorat, nec ſors datur ulla videndi;
Aure nec eloquii vox ſonat ulla ſui.
Tum Conſanguineos, ſcitatur & anxia Amicos,
Et quot ibi cives Nazareth Urbis erant.
Ille meus, vitâ qui jam mihi carior hac eſt,
Cui quoque ſum vitâ carior ipſa ſuâ,
Dicite, ubi eſt? has nonne comes ſimul attigit aedes?
A' Solymâ veſtrum nonne ſequutus iter?
Hi contrà: Tuus ille, tuus ter amabilis ille
Solus abeſt, noſter nec comes ille fuit.
Matri Animam data verba premunt, latèque fluentes
Eliciunt lacrymas inſtar euntis aquae.

Fit trepidis peregrina oculis gens obvia, & uxor
    Hoſpita cum natis, hoſpes & ipſe ſuis.
Hos, ait, hos inter, quem diligo, forte manebit;
    Supplicibuſque modis, reppereritne? rogat.
Illi oculorum orbes cum magnâ evolvere ſannâ,
    Et pia ridiculis temnere verba jocis.
Heu quid agat? quànam Jeſum regione requirat,
    Intercluſa avido ſi via quaeque pedi eſt?
En hominum miſerata genus, duroſque labores
    Nox requiem feſſis rebus amica refert.
Jam Mundo color unus ineſt, caeciſque teguntur
    Omnia ſub tenebris; jam tacet omnis ager.
Cogitur ergo Parens inſomnem ducere noctem,
    Donec agat roſeos Lucifer ortus equos.
Flebilis interea tacitâ ſub mente volutat,
    Cur fuerit caro ſola relicta Deo.
Terque quaterque Animam penetranti hac ſaucia curâ,
    Lethiferum in medio pectore vulnus alit.
Vulnus alit, jaculator opem cui ferre ſalubrem
    Puſio tu ſolus, Puſio belle, potes.
Telephon edulcans ut Achilleos haſta refecit,
    Vulnera quâ miſero facta ſtetere prius.
Inventura ſuum, ſine quo triſtatur, Amorem,
    O' quoties madidos vertit ad aſtra oculos!
Aegra ſinu quoties ſuſpiria fudit in auras,
    Queſta gravi Noctem tardius ire pede!
Multoties dixit: fors tempus ad oſtia ducit
    Nunc aliena, rogans ſic tener ore Puer:
Pande fores mihi cara ſoror: Nox roſcida Caelo
    Praecipitat: moto cardine pande fores.
Jam mihi cincinni ſparſis maduere pruinis:
    Jam caput, & veſtes humida rore gero.
Vox mea nota tibi eſt: poteris depellere Amantem?
    Pande fores Sponſo Sponſa venuſta tuo.
Se negat illa tamen tunicis veſtire relictis;
    Cordis & ad teneras fit magè dura preces.
Tempus, ait, ſomni eſt: procul hinc abſcede: recenter
    Num potero lotos contemerare pedes?
Crudelis! Sponſae, nomenque recuſat Amicae;
    Formoſam quamvis, & ſine labe vocet.
Blandula vel pectus vox illa refringeret aeteum.
    Una ſuis obſtat Sponſa cupidinibus.
Cur apud ingratam non proficientia mittis
    Verba? revolve tuos huc age, Nate, pedes.
Hae pandent tibi ſponte fores ſeſe undique, & edent
    Laetitiae adventu ſigna beata tuo.
Peſſulus ipſe rogat, rogat ipſum limen, & ipſa,
    Huc iter acceleres, janua prona rogat.
Quin orat te Mater amans, quae ſemper amorem
    Pectoris agnovit, Puſio belle, tui.
Ecce ſinum tibi pandit: Amor dilecte quid haeres?
    Huc ades: illa tui deficit aegra foco.

Talia

Talia dum jactat, caecam ſubitura cavernam
Nox gemino alarum verbere proſipitur.
Jamque Aurora novo ſpargebat lumine terras,
Gaudens Tithoni deſeruiſſe torum.
Tunc Virgo hoſpitium, Notoſque relinquit, & omnia,
Et redit in muros, Urbs Solymaea, tuos.
Forte deerrantem ſpectaret ut anxia Natum,
Quot juga, quot campi, quot loca trita pede!
Ut ſua maternas vox mellea tangeret aures,
Quot per inacceſſum compita facta ſolum!
Vos rigidae rupes, vos rupta cacumina teſtor,
Vos juga montivagis vix ſuperanda Feris:
Non oculis tamen ille avidis Amor aſtitit uſquam,
Aura nec eloquium detulit ulla ſuum.
Saepius indoluit: ſic me, mea vita, relinquis?
Siccine Nate meus, matre gemente, fugis?
Quò ſequar? aut quae te reſidem domus invida, quae te
Culmina, quae valles, quae nigra ſilva tenet?
Aſt domus, & valles, & ſilva, & culmina circùm
Immiſerabilibus conticuere ſonis.
Tum Caelos, campumque novis clamoribus urget;
Sed neque dant Caeli, dat neque campus opem.
Nulla gravem matris pietas ſolata dolorem eſt.
Ad querulos fiunt omnia ſurda modos.
Moeſta Animam, madefacta ſinus, & ſqualida vultum,
Curarum in medio fluctuat Oceano.
Et videt, & quaerit, ſpeculâque è montis in imum
Fertur, & heu redeas ò meus, inquit, Amor.
Et tamquam prope ſit, poſſitque audire vocantem,
Dat ſignum, quo ſit flebilis ipſa loco.
Et clamat: dilecte mihi ſuper omnia Jeſu,
Ad matrem, Jeſu belle, veniſne tuam?
Nuntia anhelando, quotquot per compita cernit
Virgo viatores, poſt pia verba rogat:
Dicite, an eſt vobis longâ regione viarum
Filius inventus, Filius ille meus?
Tranſit hic, ille ſuas vix accipit aure querelas.
Pars ridet, Puerum pars reperiſſe negat.
Et quidam: num, pulchra Parens, ſine nomine noſci
Poſſe putas, triſti quem petis alloquio?
Parcite, respondet; diſtantia noſcere rebar
Regna etiam, Natus quis foret ille meus.
Nec mage vel Moſis notum, vel nomen Aaron,
Neve tuum Judith, Debora neve tuum.
Ille Parentis Amor, Puer ille vocatur Ieſus.
Ah! mihi reſponſum, videritiſne? date.
Tunc gens: ſpectandi data copia nulla vagantem.
Quaere: tibi Omnipotens det, bona mater, opem.
Virgo abit; aſt campos hos dum tranſmittit, & illos,
Sol curſum in prono conficit axe ſuum.
Jamque maris defeſſus equos mergebat in undas;
Jamque nigro exibat nox latebroſa ſpecu.

Cùm tot poſt lacrymas, curaſque, viaeque labores
Ingreditur Solymae limina prima domûs.
Quos videt in portâ, mox ſciſcitat: ò bona pubes,
Num meus hàc Jeſus tranſiit? anne manet?
Apta dolorificis non ſunt reſponſa loquelis:
Et nova ſqualentes diluit unda genas.
Hoc trepidi moerore animi veſtigia in aedes
Torquet, ubi affinis ſanguine coetus erat.
Hic ſolamen habens, inconſolabilis arcet.
Virgineo fugiunt gaudia ab intuitu.
Non ſecus expoſitas ſtridentum ante ora notorum
Mox aliò ſtipulas turbo ſonorus agit.
Quae miſeram lenire poteſt recreatio Amantem,
Anxia Dilecti ſi caret ore ſui?
Aſſiduis ergo ferit aurea ſidera votis,
Matris in ingenio cùm Puer ipſe ſedet.
Hunc vocat illacrymans, hunc & ſuus ardor anhelat,
Cervus uti fontem praetereuntis aquae.
Aſt ubi nec reducem, nec baſia cara petentem
Cernit, ad immanem languet amaritiem.
Quàm fera ſint Animae tormenta, porenſque venenum,
Conſcia nox facti, dicere ſola poteſt.
Virginis indoluit triſtiſſima Luna dolore,
Martyrium tantae commiſerata Deae.
Terque ſuae cecidere manus, ter flebilis haeſit,
Cùm bijugos curru vecta regebat equos.
Sidera inauratas pertaeſa profundere flammas,
Ora ſibi nigris occuluere peplis.
Voxque per aërios audita excurrere tractus,
Unde, Sion, colles inſonuere tui:
Tempus erit, cùm Luna ſuis, factura ſcabellum,
Gaudebis pedibus ſuppoſuiſſe caput.
Et vos aeternum radiantibus aſtra favillis
Nectetis meritae regia ſerta comae.
Nunc pateant luctus, & turbida noctis imago,
Tempore moeſtitiae conveniente ſuae.
Et verè perculſa jacet pia Mater Amoris;
Nam potuit medio pax abiiſſe ſinu.
Spes tamen una viget, ſed cùm differtur, acerbo
Diſcruciat miſeram dura rigore Animam.
Ergo ſuis mora quaeque apetit nova vulnera fibris,
Vulnera Paeoniâ non medicanda manu.
Atque ideo ſub mane novo data tecta relinquit,
Et profugum totâ Numen in Urbe petit.
Qualis ubi paſtu ſub veſpere cerva propinquo
Montibus ex altis ad cava luſtra redit;
Imbre recens terram ſi ſanguinis illa rubentem,
Et catulos raptos in ſua damna videt;
Continuò volvens oculos circùm omnia luſtrat:
Et gemit, & peragrans jam nemus omne terit.
Raptoris tum ſi qua Lupi, vel ſigna Leonis
Noverit, hàc curis ocyor urget iter;

Haud ſecus huc, illuc errat pia Virgo per Urbem,
Veſtigatque oculis, omniaque aure bibit.
Haurit ubi concurſum aliquem, vel murmura, ad illum
Exacuente locum vertit amore pedes.
Has lacrymis, votiſque acies exorat, & illas,
Nuntia de Puero quò ſibi certa ferant.
Vota tamen, lacrymaeque cadunt ludibria ventis,
Se Geniti ignaram turba profeſſa, tacet.
Porticibuſque vagam matres, altiſque feneſtris
Spectant; & pietas mollia corda movet.
Illa domos, turreſque, & ſumma palatia ſcandit;
Quin ſubit anguſtos, commoda parva, lares.
Undique & amiſſo de pignore ſciſcitat omnes:
Nec datur erranti ſcire, ubi degat Amor.
Ictibus hic Animam quantis tranſverberat error!
Occupat ó quantus Virginis ora pudor!
Ducere ſueta prius tacitis penetralibus annos,
Nunc varia urgetur per loca ferre pedem.
Non fora, non vici, plateaeque, viaeque ſuperſunt,
Quae non ſint avidis viſa cupidinibus.
Sed quid tres juvit toleraſſe haec ſpaſmata Soles,
Si Puerum petiit, nec reperire datum eſt?
Ergo domum illacrymans retro veſtigia flexit:
Ceu ſine dilecto fida columba viro.
Perque viam Nympharum aciem ſpeculata, parabat
Vulnera conferto pandere colloquio.
Tunc citó ſingultus vocem excitus interrupit,
Sic tacuit cordis merſa dolore ſui.

Digitized by Google

Judas ergo cùm accepiſſet cohortem, & a Pontificibus, & Phariſaeis miniſtros, venit in hortum cum laternis, & facibus, & armis = Miniſtri Judaeorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt = Apprehendit Pilatus Jeſum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus, & veſte purpureà circumdederunt eum, & dabant ei alapas = Judaei autem clamabant: tolle, tolle, crucifige eum = Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Suſceperunt autem Jeſum, & eduxerunt. Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum.
Joan. XVIII, & XIX.

Moeſtiſſimo Filio moeſtiſſima Mater occurrit.

DOLOR IV.

Viderat è ſolio diri Regnator Averni
Diminui partum calliditate decus.
Bellaque erant illata nigris fera bella cavernis:
Pronaque nutabant vertice ſerta ſuo.
Non Animarum acies, velut ante, in aperta ruebant
Tartara; non comitum carmine plauſus erat.
Saepius ipſe Charon ſulcator tetricus undae
Monſtrarat vacuam pondere habere ratem.
Littora Cocyti, ſtygiaeque vacare paludis
Queſtus, & eſſe ſuis otia remigiis.
Tum Pluto furiis agitatus, & igne pudoris,
Haec ſub acerbato pectore dicta movet:
Ceu Nemeae excuſſis autumni frigore primo
Plurima ab arboribus lapſa cadunt folia:
Ad terram glomerantur aves ut ab aequore multae,
Has ubi trans pontum frigidus annus agit:
Sic piceas Phlegethontis aquas collecta ſubibant
Undique, praeteritis agmina temporibus:
Matres, atque viri, heroes, juveneſque, puellaeque,
Et gremio natos, Terra ſuperna, tuo.

Tunc

Tunc magnas ego pace animi moderabar habenas;
Majeſtasque meo ſtabat in Imperio.
Verſa procelloſo nunc turbine ſcena videtur.
Tartareae titubat gloria priſca manûs.
Quis mihi regna agitat? quis dextram audentior in me
Armat, & infandum nuntiat excidium?
Vix ea; cùm manes deſcendit Fama ſub imos
Viſa Palaeſtinas deſeruiſſe plagas.
Pallenteſque domos, & regna nigrantia circùm
Terrificae implevit Diva ſonore tubae:
Nazareth in Chanaam dux venit ab Urbe penates,
Cujus in aſpectu gratia tota micat.
Non homines inter magis eſt affabilis alter,
Non candore animi, non pietate prior.
Non vultus mortalis ineſt, hominemque nec aurea
Vox ſonat. Eſt aliquis (ſi licet eſſe) Deus.
Hunc noto appellant ſuper aethera nomine Jeſum,
Qui modò per Solymas itque reditque vias.
Hic medicam laturus opem tot mentibus aegris,
Omnia ſollicitus per loca ſponte petit.
Sicubi mortales ſtygiâ caligine preſſos,
Inque Animae errores jam cecidiſſe videt;
Non patiens tenebris male degere, nocte profundâ
Eripit, & miſeros lumina ad alta vocat.
Omnibus aeternae ſerit aurea dogmata vitae,
Dogmata culparum depopulata luem.
Id Superos, Superùmque unum exoptare Parentem,
Seque ideo miſſum nuntiat eſſe Polo.
Huic dociles pueros, & primo flore puellas
Submittit cupidâ mente parentis opus;
Quò teneris ardentem animis virtutis amorem
Inferat, & ſtudiis imbuat Angelicis.
Nunc populum in Templo, nunc ſedibus in deſertis,
Melleus in mediis nunc docet ore viis.
Vidi ego, cùm cymbâ liquidas progreſſus in undas
Dulcibus affari vocibus orſus erat,
Littore ſtare animos mirâ dulcedine captos;
Et bibere arrectâ longiùs aure melos.
Cùmque loquebatur, laté aequora firma ſilebant,
Multa licet flabris tunderet aura ſuis.
Et volucrum frondoſa domus, ſine murmure amabat
Silva immota cavis ſiſtere littoribus.
Quin morbos fugat, extinctoſque reducit ab umbris.
Stant portenta ſuis obſequioſa notis.
His mortale genus ſuper aetheris elevat arcem,
Unde trahit vitae ſemina priſca ſuae.
Hinc ſcelerum inventor quiſquis, contemtor & aequi,
Aetherei flammas pectore amoris alit.
Ergo patens olli domus omnipotentis Olympi eſt,
Cùm pax, & pietas, ſpeſque, fideſque vigent.
Tunc Pluto: hic equidem eſt, qui praedam ex faucibus Orci
Diripit, atque audax haec mea regna quatit.

Quid

Quid juvat humanum genus infeciſſe veneno,
  Et Mundum tenebris implicuiſſe meis;
Si Jeſus Animas complere ſedilia Caeli
  Sublevat, & vitae pandit in Orbe jubar?
Et patiar? nec damna videns, ulciſcar honorem?
  Nec conſueta animo vimque, dolumque ciam?
Non ita: ſed ſceleri poenas luat improbus aequas,
  Sic fas, ſic ratio, ſic decus omne petit.
Coeumque, Iapetumque, Typhoeaque Juppiter igneis
  Terrigenas potuit perdere fulminibus;
Ac ego Pluto Jovis frater, qui linquere inauſum
  Nil ſoleo; & celebri victor honore feror;
Uni concedam? haec nunquam pia Numina faxint.
  Irrita in aequoreas verba ferantur aquas.
Si ſolus tractare ſatis non omnia poſſum,
  Sunt Phlegethonteo Numina magna Choro.
Haec ubi dicta dedit, verſutam ab ſede Sororum
  Alecto tonitru terrificante vocat.
Monſtrum informe, horrendum, ingens, cui bella, dolique,
  Iraque, & exitium, & crimina dira placent.
Hanc odit Styx ipſa; feris tot ſibilat hydris,
  Tot ſubit aſpectus, tot patit ore metus.
Quam Pluto, ut Numen vultu venerata profundo eſt,
  His monuit verbis, exacuitque Deam:
Virgo potens, fata Nocte, vetus ne cedat Averni
  Gloria, fas operam nunc adhibere tuam.
Urbs in Judaeâ eſt, animoque inſignis, & armis,
  Taenariae longùm cognita militiae.
Hanc Hieroſolymam Salomonis ab aede vocarunt.
  Hic Erebi, hic noſtri barbarus hoſtis adeſt.
Nomen habet Jeſu. Fac poenas crimine ſolvat;
  Noſtra ubi funeribus vertere regna fremit.
Unius in Ducis excidium, mortemque cruentam
  Cogere Judaeas tu potes una manus.
Tuque odiis implere animos, tu vertere in iram
  Pectora, funereas tu geminare faces.
Calliditas tibi multa, artes tibi mille nocendi.
  Concute foecundum, concute, Diva, ſinum.
Ut velit extinctum Populus, mactentque cohortes,
  Robur in toto Numine prome tuum.
Vix ea; Gorgoneis Alecto infecta venenis
  Evolat, & Solymae moenia celſa petit.
Limina principio obſedit, quibus apta ſolebant
  Judicio litis bella forenſis agi.
Pontifices hic forte, Senes, Phariſaeaque turba,
  Scribaeque, atque ſacri coetus honoris erat.
His Dea correptos de crinibus injicit angues;
  Inque ſuos ſubdit viſcera adusque ſinus.
Illi inter veſtes, & nullo pectora morſu
  Lapſi, decipiunt agmina tota Patrum.
Vipereamque animam inſpirant, odiumque, necemque
  Te contrà, ò Mariae ſanguine nate Deae.

Nanque lues hominum praecordia in intima ſerpit,
Serpit, & obſeſſas inficit uda fibras.
Protinus ad muros delata per aëra pennis
Fertur, ubi Iſcarium norat habere moras.
Nempe erat infandae peſti devotus Iudas;
Diſcipulus quamquàm Numinis ille foret.
Exuit Alecto vultumque, & Erinnyos artus,
Et Comitis miris induit ora modis.
Tunc ſpecie ſimulans fidas in amore favillas,
Vocibus ante oculos utitur hiſce ſuos:
O' nimium dilecte Animae, nunc tempus agi res.
Nunc potes Attalicâ conditione frui.
Pontifices, Populique Senes nova juſſa dederunt,
Ut ſibi de Jeſu nuntia quiſque ferat.
Qui dabit hunc manibus, pretioſa numiſmata habebit.
Trade, precor: citius rem gere: dives eris.
Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora? tu vetitum crimen inire doces.
Ductus avaritie, circumdare fraude Magiſtrum
Ardet: aperta ſuo ſemita flagitio eſt.
Proditor haec tacitâ dum mente revolvit Iudas,
Alis in Populum vertitur illa ſuis.
Seque inter turbam immiſcens, lacrymantis adinſtar
Quae fera tempeſtas nos (ait) intus agit!
Heu quo ſumma loco res eſt! male prodimur aſtu,
Subdola nec blandi noſcimus arma Ducis.
Quae, Cives, quae tanta animis dementia? Jeſus
Eſt Solymaea lues, & dubitamus adhuc?
Melleus ille ſuo multos ſermone fefellit,
Nam gravidum obtecto crimine pectus habet.
Virtutem mentitur (opus ne credite) honeſto
Ore, patens agnus tegmine, more lupus.
At vitium nequit ille diu fallacibus auſis
Diſſimulare; ſuum res notat ipſa animum.
Colloquiis audax muliebribus utitur; & ſe
Per loca fert celeri qualiacunque pede.
Nec monitus fugit à vetitis conventibus uſquam;
Nec ſcelerata hominum tecta ſubire timet.
Quin petit & menſas, epuliſque hilareſcit opimis:
Scilicet ingenio crapula amica ſedet.
Famoſum ſi quem ante alios ob crimina novit,
Hunc, ſibi conſimilem cernere lactus, adit.
Nec pacem reperit, donec ſibi rebus amicum
Conciliet. Scelerum tanta cupido viro eſt.
Quid memorem? ſunt nonne ſacri per ſaecula ritus
Iſacidum? Omnipotens nonne piacla dedit?
At ritus docet ipſe novos; nova ſacra per Urbes;
Et vetus infandâ lege retractat opus;
Quò ſeri ſua jura colant aetate Nepotes,
Subſannentque operam, Legifer alme, tuam.
Seditione potens miſerandas excitat Urbes.
Effluit hinc Solymi turbida origo mali.

Info-

Inſonat armatus dextram furibunda flagello
    Verbera. Tam demens aeſtuat ira ſinu.
Solus habet factis contraria pectora noſtris;
    Ridet & Hebraeae Relligionis opes.
Quod ſcelus haud aliter poterit, quàm ſolvere letho.
    Flagitii poenas impius ergo luat.
Talia nec poſthac auſit molimina quiſquam,
    Unanimi mortem quaerite voce ſuam.
Dixerat: atque omnes eadem ſimul ore frementes,
    Murmura diſcurſu progenuere ſuo.
Haud ſecus incluſas latebroſo in pumice paſtor
    Cùm fumi applicito turbine vexat apes,
Hae trepidae rerum per cerea caſtra vagantur;
    Intus & exorto murmure ſaxa ſonant.
Interea Judas argenti pondere, & auri
    Captus, adit vigilum limina Pontificum.
Praemia ob immanem ſibi danda paciſcitur auſum,
    Promptus anhelatum perdere fraude Deum.
Dant pretium, dant & ſocias in crimine turmas,
    Armaque probroſo digna miniſterio.
Heu quot arundinibus caput unum exquiritur! heu mens
    Caeca hominum in vetitum currere prona nefas!
Jamque oleas, montemque alacres infraque ſupraque
    Cingunt; jamque truci ſilva referta choro eſt.
Haſtaeque, clypeique virûm, galeaeque frementum
    Longius ad Lunae lumina fuſa micant.
Multifidaeque faces, nec non funalia longo
    Ordine mox tenebras ingeminata fugant.
Inventor ſceleris dat ſigna patentia Judas;
    Et Jeſum rabidis objicit agminibus.
Stulta Juventa ruit, captumque indagine cingit;
    Promit & audaces in ſua damna animos.
Rara velut canibus conjectum in retia cervum
    Agricolûm circùm ſaevit acerba manus;
Ilicet agglomerant haſtas: it ad aethera clamor:
    Pulſaque ſtridenti culmina voce crepant;
Obſeſſum ſic dira premit fulgentibus armis
    Turba Deum; inque unum machina tota ruit.
Ergo operi inſiſtunt. Pars ſtupea vincula collo
    Inſerit; immotum pars furiata tenet.
In flavos hic dextram avidam jacit impete crines;
    Hic tacitum pugnis irrequietus agit.
Funibus ultrò alii cedentia brachia nectunt.
    Quiſque datis addit turpia verba probris.
Hac ſpecie Solymam trahitur mactandus ad Urbem,
    Tot Balatronum inter, Carnificumque manus.
Armorum, pulſuque pedum, & clamoribus altis
    Fit ſtrepitus. Latè compita tunſa ſonant.
Turgida Judaeum teſtatur gaudia pectus;
    Ardet & inſontem fata ad iniqua rapi.
Audit ut haec Mater, placidiſſima Mater Ieſu,
    Transfodit oppreſſum cuſpis acuta ſinum.

Nili-

Niſibus omnigenis capto ſuccurrere vellet;
    Quamlibet aſt Genito ferre inhibetur opem.
Urget amor reparare luem: procul arcet Amantem
    Conjurata phalanx clade necare Deum.
Cùm ferrì pia vota videt ſine pondere ventis,
    Vertitur aggreſſis languida ſpaſmatibus.
Quid tentet? Populus jam bile, odioque fremens ſtat.
    Jamque tremendum inhiat Numinis excidium.
Ferratâ Deus ecce manu, virgîſque, cateniſque
    Uritur; atque natans ſanguine corpus hiat.
Tabe fluunt humeri; livenila membra tumeſcunt:
    Tunſaque diſcerptis carnibus oſſa patent.
Ipſe autem roſeo craſſum vomit ore cruorem;
    Et cadit, ut poenae eſt addita poena ſuae.
Cernin, ut horrentes paliuro intexere dumos
    Saevities manuum convenit artificum?
Utque cruenta premunt millenis tempora ſpinis;
    Calcatiſque novant ſpaſmata arundinibus?
Tormenti genus acre; Animae nam ſede recluſâ,
    Tranſadigunt Animam vulnera adacta manu.
Parte in utrâque Deus lacer eſt; & vertice ab alto
    Plaga repercuſſos turget aduſque pedes.
Siſtite crudeles; rigidis an rupibus horrens
    Caucaſus? an Libycae vos genuere ferae?
Sed neque ſic tigris, neque vipera plena veneno,
    Nec ſaevire leo ſic, nec hyaena poteſt.
Vos rear eſſe homines, aliquâ de matre creatos?
    Pectore in humano non viget iſte furor.
Hei mihi! ſubſannant captum, irridentque ſilentem:
    Oraque ſunt reſonis ſaepius icta alapis.
Purpureo exornant oſtro, Regemque ſalutant;
    Curvatiſque iterant ludicra poplitibus.
Ceu pueri cùm ſorte legunt ex millibus unum,
    Imperitans ſociis qui nova jura ferat;
Aſſurgunt omnes, denſantur & agmine circùm,
    Regnantiſque obeunt juſſa jocoſa Ducis:
Tum geminant plauſus; ſubit actus in aſtra cachinnus:
    Ridiculoque ſtrepunt atria tota ſono;
Carnificum ſic ludum acies exercet iniquum.
    Fitque Deus ſummis meta petita probris.
Nec mora: totâ agitant rabie, verſantque ferentem
    Omnia, & undantem ſanguinis Oceano.
Non tulit hanc ſpeciem Caelum; ſeſe induit umbris.
    Praecipites vertit territa Luna rotas.
Aſtra nefas lacrymata, Polo cecidere profundo.
    Aſtitit & Solymae moenia turbo ſuper.
Non tamen hoſtilem valuit lenire furorem.
    Barbara crudeſcunt ſanguine corda magis.
Scilicet infernis dimiſſa miniſtra cavernis
    Eripit & lucem mentis, & agmen agit.
Illa volat, ſtimuliſque animos furialibus urget,
    Numen ut infami concidat interitu.

Imme-

Immerito ergo necem intendunt, atque ultima poſcunt
    Fata: agitat tantus pectora Hebraea furor.
Jamque tuba horribilem ſonitum gravis aere canoro
    Increpat, & mortis ſigna dat alta ſuae.
En malos ſecat aërios accincta nefandis
    Gens odiis: audin verbere ut arma ſonant?
Ardua quadrifido crux fit de robore, culpis
    Pendeat unde hominum victima caeſa Deus.
Aſpice, ut inſontem, magnâ ſtipante catervâ,
    Dirum ad ſupplicium per media arma trahunt:
Utque colorat iter per ſcrupea ſaxa cruento
    Imbre, tremens artus, ſemianimiſque ſuos.
Golgotha, quae Solymae ſuperimminet altior Urbi,
    Funeris, & durae meta petita viae eſt.
Golgotha lugubris, pendent ubi marcida tabo
    Corpora, & humanis oſſibus albet humus.
Infamem gerit ille trabem, ſed pondere preſſus
    Turpe ſuo tangit ſaucius ore ſolum.
Calcibus impingunt lapſum, tractiſque fatigant
    Funibus, ut rubrâ ſurgat ab illuvie.
Genua labant; toto manat de corpore ſanguis.
    Exitiale tamen cogitur ire jugum.
Spirantes immane animi per compita raptant
    Aſſiduis quaſſum Numen anhelitibus.
Lictorum clypeata phalanx hinc inſtat, & illinc
    Denſa; pedum pulſu terra ſubacta tremit.
Spiculaque, clypeique jubar ſub nubila jactant,
    Et capitum criſtis tegmina fulva ſuis.
Strictis ergo ſeges laté mucronibus ardet:
    Ardet, & horroris neſcio quicquid habet.
Pars pedes inſequitur ſub pondere ſaepe labantem:
    Pars in compoſitis alta triumphat equis.
Aerea terrificis pulſant clangoribus auras
    Cornua, vicinae triſtia ſigna necis.
Excita funereo ſuccreſcunt murmura cantu.
    Ad ſtrepitum reboant arva propinqua Sion.
Talia proſpiciens, ſtygiis Dea tollitur alis,
    Nuntia tartareo laeta datura Duci.
Audit ubi Genitrix Natum, Calvaria rupes,
    Ad tua ſupremo funere ſaxa trahi;
Pallet, & in mediis horreſcunt vocibus artus,
    Scilicet arma ſinu figit acuta dolor.
Hanc fidae Comites lacrymantem, & amara gementem
    Triſtitiâ tentant ſolvere; at illa negat.
Ergo ubi concurſum ingentem, clypeataque cernit
    Agmina diſtrictis enſibus, urget iter.
Urget iter, pedibuſque agiles Amor ingerit alas,
    Divus Amor, flammis qui ſua corda coquit.
Ac veluti venantum avido circumdata coetu
    Caprea, in hoſtiles perfurit inſidias;
Proſilienſque ſuper venabula fertur, & haſtas;
    Vique ſibi reſerat, quà data porta, viam;

Non aliter perque arma ruit, medioſque per hoſtes
   Virgo, neci dandum contuitura Deum.
Jamque hos, jamque illos praevertitur excita curſu,
   Innumeri quamvis ungula tundat equi.
Matrem infelicem! triſtem ſuper omnia Matrem!
   Spectat; at in Jeſum lumina ferre nocet.
Acrior immanes exauxit, poena dolores,
   Poena vel aeterno non peritura die.
Diriguit venis formidine ſanguis in arctis:
   Et vires trepido mox cecidere ſinu.
Attrectique novo molles horrore capilli:
   Ipſaque vox haeſit faucibus aegra ſuis.
Tantum Natus erat faciem mutatus, & artus.
   In lacero tantus corpore livor erat.
Exierunt tamen acta levem ſuſpiria in auram
   Pectore, queis ibat lacryma ſpiſſa comes.
Non procul agnovit lamenta Parentis Ieſus:
   Quotque ſuo gemitus funere moeſta dabat.
Ut Matrem ſpectaret Amans, ſibi ſanguine grumum
   Squalidus obductis ſuſtulit ex oculis.
Alter in alterius figentes lumina vultum,
   Virgo Dei exitio laeditur, ille ſuo.
Ille dolet Matris, dolet haec fera ſpaſmata Nati.
   Altera ab alterius poena dolore venit.
Maxima poena Dei eſt, Matrem ſpectare gementem.
   Matris, ſeminecem ſub feritate Deum.
Sic eſt, o patiens Jeſu: te ſaeviùs urunt,
   Quàm tua, quae Matris vulnera corde novas.
Teque cruenta magis, Virgo o foecunda dolorum,
   Numinis illa tui, quàm tua fata premunt.
Vos praeruptarum Solymae ſalebroſa viarum,
   Sanguinis eluvie vos loca plena ſui:
Gethſemani colles, & te Calvaria moles,
   Teſtes, amborum ſciſſa dolore, voco.
Ingens Martyrium vos corde in utroque notaſtis;
   Dius at excidii duplicis author Amor.
En jacet, aſpectu dum ſubtrahit effera Jeſum
   Turba ſuo, geminis hoſtia Virgo malis.
Ah Amor! ah crudelis Amor! ſic ſpicula torques?
   Heu quàm ſunt dextrae vulnera dura tuae!

Stabat juxta Crucem Jeſu Mater ejus.
Joan. XIX.

DOLOR V.

SIſte iterum jaculare faces, Amor arte magiſter;
Siſte: tuis Virgo cedit arundinibus.

Si

Si precibus locus eſt, laſſae miſereſce Parentis.
Sit ſatis ad flammas ingemuiſſe tuas.
Corde quid in medio renovas incendia, Natum
Viſendi ſtudio, quem petit ira mori?
Aut quò, Dive, tui plenam rapis acrior? in quae
Agmina, quodve agitur Mater amara jugum?
Sat poenis, lacrymiſque datum. Renovare dolores
Ante cruentati nil juvat ora Dei.
Mortis an infami ſub vertice carpere praedas
Vis geminas? Victor deſine: palma tua eſt.
Victor es, & victam Solymitides applorantes
Inſpexere tibi jam dare ſponte manus.
Ergo triumphator pharetramque, arcumque ſonantem
Projice: miſſilibus ne mage tende tuis.
Heì mihi! Carpathios lacrymae funduntur in euros;
Et mea vel nullo pondere vota cadunt.
Jam tua conſcendit feralia, Golgotha, Mater
Culmina: languenti Dux praeit unus Amor.
Unus Amor Nati conſiſtere funere cogit,
Illius ut ſubeat, martytiumque ſuum.
Filius ingeminat ſub pectore ſpaſmata Matris.
Crux miſerae in poenam non ſatis una riget.
Virginis eſt lacerum crux altera cernere Jeſum.
Plus haec ſupplicii, quàm ſua, forſan habet.
Quàm dolor immanis, non poſſe levare dolentem:
Fixaque vulneribus lumina habere ſuis!
Nec minor eſt luctus, rabidam ſpectare cohortem
Semineci poenas ingeminare Deo.
Diripiunt, concreta tenent quam vulnera veſtem:
Impete quo trahitur, detrahit illa cutem.
Sit ſatis: in corpus crudeſcere parcite tandem.
Nil niſi diſcerptum, quod lanietur, ineſt.
Horrida quid tantâ quid vulnera rumpitis irâ?
Non habet in miſero plaga vel una locum.
Parcite. Me laſſum! quid verba precantia jacto?
His ego deſertas alloquor Alcyonas.
Nil ago: praecipites torrentis adinſtar aguntur,
Qui ſata, & excultos depopulatur agros.
Ecce tremit nudus: procul eſt amethyſtina veſtis;
Veſtis texta tuâ, provida Virgo, manu.
Plus ſibi, quàm plagae, gignit pudor ipſe doloris.
Tormentum! nuſquàm quo ſibi majus erit.
Jamque humeros nudum, nudumque a vertice corpus
Lethiferae tendunt parte ab utrâque trabi.
Fune trahunt duplices utrinque, ligantque lacertos;
Et teretes, odio conſiliante, pedes.
Mota ſuis edunt compagibus oſſa fragorem:
Disjungi ex humeris brachia forte putes.
Omnia ſolvuntur crurum internodia; & iſtis
Carnificum ſtudiis non habet ira modum.
Ut ferat ingentes crudeli morte dolores,
Barbarico intendunt ſeque, animumque operi.

Quàm

Quam dirae facies! quàm lumina torva latronum!
   Quanta ſub Hebraeis vultibus ira rubet!
Conſona ſanguineis hic arma furoribus aptat;
   Ille manus aperit, jungit & iſte pedes.
Dextera malleolum, ſcabrum tenet aemula clavum
   Laeva; nec excuſum clavus acumen habet.
Numinis ergo adigunt diſtenti in ſtipite ferrum
   Perque manus caſſum cuſpide, perque pedes.
Triſtia dant gemitum confixis robora clavis.
   Tota ſonat crebris Golgotha verberibus.
Dum geminant ictus, atque aſpera vulnera Jeſu,
   Perfurit o quantus laeſa per oſſa dolor!
Heu Matris quot tela iterum ſub pectore figunt!
   Omnia ſunt animo plaga cruenta ſuo.
Quis Scytha, quis Maurus, quis talia ſanguine paſtus
   Aſpiciens, largis temperet a lacrymis?
Haec oculis dum luſtro, mihi cor ſcinditur aeneum;
   Indicat & ſenſu commiſerante trahi.
Innumeraeque Animae, pietas quas excita torquet,
   Forte putant tantâ ſub gravitate mori.
Sola fovet ſilicis circùm praecordia venas
   Urbs Solyme; & ferro durior, & chalybe eſt.
Proh! Pater omnipotens, nutu qui concutis uno
   Æquoraque, & terras, aſtraque, & antra Stygis;
Cernis ab Iſraëlidis haec Natum indigna ferentem,
   Et pateris? ſtomacho nec furit ira tuo?
Fulmina an intorquens innoxia Gargara terres;
   Nec cadit in meritum juſta ruina caput?
En gravis erigitur cùm corpore in aëra pinus;
   Lapſa ſed impoſito pondere tundit humum.
Oſſaque rumpuntur, venaeque, & Numinis artus;
   Corpore & è toto ſanguinis unda fluit.
Quae viridis prius ore fuit, diſcrimine nullo
   Terra rubens dio murice germen habet.
Inſtant vi multâ. Crux tollitur ardua tandem:
   Effractusque patet praeda cruenta Deus.
Suſtentant ſoli corpus lacrymabile clavi:
   Hiſque ſibi pendens vulnera adauget onus.
Cùm Genitum in mediâ vidit jam morte teneri
   Affixum rigidae Mater amara Cruci;
Non potuit lacrymas pleni dare fluminis inſtar.
   Vel ſtupor impediit, vel ſine more dolor.
Alpino ſtetit ut ſurgens in culmine rupes,
   Caelorum validis obvia turbinibus;
Quam non imber edax, miſtique Aquilonibus Auſtri
   Nec quatiunt ſaevi tela triſulca Jovis:
Vimque minaſque ſuo bacchantum robore perfert.
   Illa immota manet, vertice & aſtra ferit.
Ipſi etiam montes, ipſa aſpexere Parentem
   Flumina; & exitium ſunt miſerata ſuum.
Non amnem quadrupes, teneram non attigit herbam.
   Hac ego clade feras ingemuiſſe rear.

E'que

E'que ſacro viſae lacrymare cacumine cedri.
De torpente dolor Virgine tantus erat.
Filius at poſtquam conſpexit ab arbore Matrem,
Commiſerans poenis tabuit ille ſuis.
Lumina, ceu potuit, morientia fixit in aegram;
Lumina, queis patuit fortis Amantis amor.
Semianimem viſu, ſummiſque doloribus ictam
Hoc demum affari, corque levare ſono:
Ventum ad ſupremum eſt; ſtetimuſque huc uſque. Labori
Nunc tamen adde modum, luctibus adde tuis.
Ne tua tantus edat, Mulier, praecordia moeror.
Nam Patris haec patior non ſine mente mei.
Hic tibi Natus erit (ſibi vidit adeſſe Joannem,
Qui ſua collacrymans ora rigabat aquis)
Mox caligantes oculos converſus, Amicum
Alloquitur: poſthac haec tibi Mater erit.
Tu viduam defende, precor; communis amorem
Tu Matris refove, ſi tibi cura mei.
Æternum fervente Patrem quin ore rogavit,
Mitis ut infeſtis parceret agminibus.
His dictis, lacrymarum imbres fudiſtis amaros,
Aligerum plenis turba beata vadis.
Pallor, & anxietas, luctusque, dolorque, ſodales
In cor adegerunt funeris arma tuum.
Ipſa vel impietas ſceleratum exoſa furorem eſt;
Et proprium ingemuit tacta dolore nefas.
Talia quis credat? perculſi mentibus hoſtes
Ferre modum lacrymis non potuere ſuis.
Reddita maternis hic tandem faucibus eſt vox.
Hic gemitum ingentem felle referta dedit.
Tum Nati complexa ſui miſerabile lignum,
Largiùs effuſâ lavit amaritie.
Non ſic, oppoſitus cùm gurgite vincitur objex,
Et ſinus abruptis panditur aggeribus,
Praepes in arva ſuo mox impete ducitur amnis,
Et pecus, & celeri turbine ſepta trahit;
Ut lacrymae erupere oculis. Tunc naufraga fletu
Hoſce dedit querulo triſtior ore ſonos:
Fili, Matris amor (nomen ſuſpirat ad iſtud,
Pectoraque appoſitis moia premit manibus)
Fili, Matris amor, Patriſque perennis imago,
Cujus in Aligeros gaudia ab ore fluunt;
Pendentem quae ſaeva manus te ſtipite fixit,
Corporis omne tui depopulata decus?
Quis furor ah! dium turpavit ſanguine vultum,
Quem pinxere prius lilia miſta roſis?
En penetrant laceras tibi ſpinea ſerta medullas;
Altaque ſunt capiti vulnera facta tuo.
Trajectique rigente pedes, & cuſpide palmae
Sanguinis emittunt, fluminis inſtar, opes.
Quò madidos converto oculos, ſatis obvia livor
Corporis, & ſanies, plaga, tumorque patent.

Integra aduſque tuas a ſummo vertice plantas
    Pars vel nulla datur : vulnera corpus habent.
At non iſta mihi dederat promiſſa paventi
    Aliger aurato miſſus ab Imperio.
Sic ego femineis benedicta in coetibus? aut me
    Dulciflua his recreat gratia deliciis?
Sic ego Caelorum incedo Regina? triumphis
    Ante alias Mater ſic ego laeta feror?
Hic ſolii altus honos? haec ſceptra reponor in aurea?
    Hei mihi quàm capitis gloria verſa mei eſt!
Vos ego felices dicam, Solymitides: omnes
    Una ſuper turbas ſum mage preſſa malis.
Gratia carpſit iter; nec plena renuntior illâ.
    Plena ſuperfuſâ vertor amaritie.
Non tot habet gelidus campis abſynthia Pontus;
    Terra quot in medio ſervo venena ſinu.
Nec laetâ mihi fronte poteſt nunc dicere, ut olim:
    Omnipotens tecum eſt, Virgo puella, Deus.
Filius iſte meus, Deus iſte abſcinditur ex me:
    Et viduos cogor ferre relicta dies.
Plena quid admovi tenero ducenda palato
    Ubera tam vigili ſedulitate Parens?
Et tua faſciolis quid mollia membra revinxi:
    Haerebaſque ſinu ſarcina grata meo?
Nocte quid effugiens ad territa pectora preſſi,
    Cùm te ſubripui Principis inſidiis?
Scilicet ut Solymo caderes data praeda furori;
    Pendereſque gravi victima fixa Cruci?
O ut mutantur puncto res mobilis horae!
    Nube fit atra dies, quae dedit ante jubar.
Jam florum ſparſere tibi cunabula nimbo;
    Dignaque Paſtores ſerta dedere comae.
Jam Bethlehem Eoo delati è littore Reges
    Obtulerunt manibus myſtica dona tuis.
Quin Solymam occurrit venienti nuper ad Urbem
    Et Puerûm, & Juvenum carmine laeta cohors.
Perque viam, ut Regi, velamina, perque plateam
    Floreſque, atque oleas, arboreaſque comas
Sub pedibus ſtravere tuis uno ore canentes:
    Magnus io meritâ laude triumphe Deus.
Venit io noſtri Regnum admirabile David.
    Conſona ſit Caelo gloria, ſitque Duci.
Nunc autem tibi dura torum Crux praeſtat habendum:
    Non niſi pungentes dant tibi ſerta rubi.
Munera Carnificum ſunt itaque, & impius ardor,
    Quaeque rigent membris vulnera aperta tuis.
Proque triumphali dat Golgotha honore cachinnos;
    Probraque blaſphemi, ſcommata & alta animi.
Hinc, atque inde manus jam tabe, pedeſque fluentes
    Aſper habet nullis clavus acuminibus.
Ulcera quot video, & clades, clavoſque, vepreſque,
    Singula ſunt Animae plaga profunda meae.

Nunc

Nunc equidem mucro, nunc vulnera adacta ſub imum
    Pectus; & atra mihi ſunt aconita cibus.
Hos, hos horribili luctus ſperare jubebat
    Omine, terrificans triſtia corda Senex.
Felix ſorte tuâ, Simeon. Tu morte quieſcis.
    Ut magis emoriar, mors mihi nulla venit.
Te fortunatum, Joſeph caſtiſſime, dicam,
    Qui mihi dulce decus, qui mihi Sponſus eras.
Æternum tu pace jaces compoſtus in aevum:
    Diaque nunc vallis Joſaphat oſſa tegit.
Ipſa ego vivo, tamen morior ſine morte; nec ictum
    Seminecem in vitam mors inimica rotat.
Talia jactabat lacrymans, cùm multa parantem
    Dicere, vox Nati reddita ab ore tenet.
Ille inhiat potum: ſudorque, cruorque profuſus
    Auxerunt nimiam Cruxque, laborque ſitim.
Tunc Virgo: Ah! fontem lacrymarum care mearum
    Nate bibe: has undas nunc tua Mater habet.
Heu deſolatam! nec dona ſuprema petentem
    Mì datur auxilio poſſe levare meo.
Ferte citi lymphas, date vaſa, extinguite flammam,
    Arentem gelidae ſublevat hauſtus aquae.
Proh crudele nefas! morienti lympha negatur.
    Spumea Carnifices pocula felle gerunt.
Haec libat tamen ore Deus. Lethalis amaror
    Plus cruciat fauces, quàm ſitis ipſa, ſuas.
Tandem voce ſonans: En cuncta peracta, quid ultra eſt?
    Nunc Pater hanc Animam numine ſume tuo;
His ſupremam auram cum vocibus expiravit:
    Et caput in pectus triſte pependit onus.
Continuò obſcurae cinxerunt aethera nubes:
    Incubuitque ſuper nox inopina ſolum.
Sol ſpecie exanguis, tenebrisque nigrantior ipſis
    Inſolitum celeri turbine vertit iter.
Condidit horrificis argentea lumina velis;
    Praecipitesque retro Cynthia flexit equos.
Perſonat axe fragor: micat erumpentibus aether
    Ignibus; & latè murmura caeca ſtrepunt.
Sub pedibus mox terra gravi diſcrimine mugit;
    Concuſſuque tremit vim geminante ſuam.
Tectaque, & aëriae nutant è vertice turres;
    Vicinumque monent tendere in interitum.
Diſſiluiſſe putes convulſo cardine Mundum.
    Tanta mali facies, tantus & horror erat.
Haec nequiere tamen compeſcere monſtra furorem.
    Iſacidum extincto ſaeviit ira Deo.
Unus adhuc miles, largo cui lancea ferro,
    Auſus inhumanâ crimen obire manu.
Irruit, & dias tranſverberat abiete coſtas.
    Sanguineos latices haſta cruenta bibit.
Extincti non illa Animam trajecit Ieſu
    Lancea; ſed Matris corda, Animamque ſuae.

Tum

Tum ſibi membra novo langueſcere frigore ſenſit;
Ægraque vox laſſam vulnere deſtituit.

Rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathaea, ut tolleret corpus Jeſu; & permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jeſu. Venit autem & Nicodemus.
Joan. XIX.

Accepit Maria exanime Filii ſui corpus, & gremio ſuſtinuit.

DOLOR VI.

QUadrifidà exanimum pendebat ab arbore Numen:
Et propior Nato ſqualida Mater erat.
Cùm ferrugineum Pietas circumdata pannum,
Paſſa comas, vultum flebilis, uda genas,
Aſpicit extincti lacrymabile corpus Amoris
In viduo Mariam velle fovere ſinu.
Tum juvenem dictis Arimathide ab Urbe Joſephum
Talibus affari, corque ciere ſuum:
Macte tui virtute animi, praeſtanſque triumphis,
Qui tacitus noſti Numinis ire comes;
Quandoquidem ſilvis alii formidine capti,
Inque cavernoſâ ſe modó rupe tegunt;
Tu, Joſeph, ne cede malis: audentior ergo
Judicis ad Latii limina tende pedes.
Dic: miſerae Jeſu det ſaltem exangue Parenti
Corpus. In arbitrio res ſedet illa ſuo.
Sit ſatis, extinctum vidiſſe furore Magiſtrum.
Anne animo eſt, Matrem penè dolore mori?
Haec ſua dilecti petit inter brachia Nati
Membra fovere; aliàs mors feret una duos.
Vix ea; continuò Praetoris ad ardua Joſeph
Tecta volat: fortis dat ſibi calcar amor.
Cùm ſubiit ſedem, & coram data copia fandi,
Pectore verba ſuo ſic generoſa dedit:
Optime Romulidum, quem, cauſa ubi cognita Jeſu,
Fama pias reſonat non ſceleraſſe manus;
Inque frementum iram, ſuccreſcentemque tumultum
Placidum, ſtudiis nil potuiſſe tuis;
Quod potes, exciſum ſaltem concede cadaver.
Hoc ſine (crede mihi) pignore Mater obit.
Anne dolore feres ſimul hanc occumbere morti?
Heu ſatis eſt, Natum deperiiſſe ſuum!
Romulus haec contrà: ut mallem concedere vivum;
Et recreare tuam, Mater amara, Animam!
Sidera vos Caeli, vos conſcia Numina teſtor,
Intima queis cordis, menſque, animuſque patent.

Omnia

Omnia tentavi, me cautus in omnia verti,
Iret ut immerito ſoſpes ab interitu.
Omnis at in rapidas abiit labor irritus auras.
Barbarus Hebraeâ vicit in Urbe furor.
Nunc totâ quod mente petis, tibi cedo lubenter.
Et pietas animo, relligioque meo eſt.
I celer ergo, dato Matrem ſolare jacentem
Corpore: quàm vellem, ſit ſua poena minor!
Dixerat: ille agilis flectit veſtigia, multis
Oſſibus in clivum Golgotha cana tuum.
Se dedit Heroi comitem Nicodemus: acerbo
Hic pariter Domini funere moeſtus erat.
Jamque propinquabant monti, cùm denſiùs arma,
Culmina & armato milite ſepta vident.
Huc ſeſe in medios animis audentibus ambo
Injiciunt: pietas explicat ipſa viam.
Conſcenduntque trabem, corpuſque exangue refigunt;
Dantque fatigato Matris ineſſe ſinu.
Cernit ubi propiùs palmaſque, Deique retuſâ
Cuſpide trajectos moeſta Puella pedes:
Demiſſoſque oculos, concretos ſanguine crines,
Tempora tot vepribus laeſa, alapiſque genas:
Largiùs & vaſto patefactum pectus hiatu,
Ipſaque juncturis oſſa remota ſuis:
Collaque, brachiaque, & coſtas ſub verbere apertas,
Totaque membra feris dilacerata flagris;
Ingemit: hunc ego te poſt tanta pericula vitae
Aſpicio, o Animae ſpes ſtudioſa meae?
Quem te, quem miſerae Matri, pulcherrime rerum
Montis in hoc duro vertice, Nate refers?
Tune tuae requies, tu lux, atque unica Matris
Gloria? tu vitae vita beata meae?
Heu fera barbaries! quantùm mutatus ab illo,
Cui nova majeſtas, cui decor omnis erat!
Quò color, & ſpecies, quò vultûs gratia fugit?
Tota nihil formae forma prioris habet.
Es lacer, & toto tot vulnera corpore paſſus,
Fluctibus Adriacam quot mare pulſat humum.
Caeſus es, & ruerunt tot tempeſtatibus ictus,
Quàm multâ in virides grandine nimbus agros.
O qui ſaecla tuum genuiſti ante omnia Natum,
Ni piget, huc oculos huc age flecte tuos.
Reſpice, an aeternum, Genitor, cognoſcere poſſis
Pignus, ubi in gremio pondus inane meo eſt.
Hinc ſui illi oculi, frons haec, haec ora, genaeque
Nuper Apollineâ lucidiora face?
Haene manus, quarum nutum ſtetit Orbis ad unum?
Suntne pedes illi, queis via facta Polo eſt?
Omnia nunc livor: cruor undique, & undique tabum;
Omnia ſunt unum vulnus, & uſque fluunt.
Dura tuis, & dura meis ſpectacula rebus!
Cogor ad horrores collacrymare ſuos.

Obruit heu tantis quiſnam te, Nate, ruinâ?
    Quis tua foedavit ſanguine membra furor?
Cui tantum in Superos licuit? quae ſaeva repenti
    Te mihi barbaries turbine diripuit?
Sola ferar? cui me ſolam, exanimemque relinquis?
    Quì potero in viduâ vivere ſola domo?
O dolor! exanimo pro fratre rogare Sorores,
    Proque ſuis Natis te potuere Patres.
Aſt ego quem pro te exorem, ſi vota recuſat
    Nunc Pater? aut vertam quò cor, & ore precer?
Vos ego per lacrymas, ego vos; inferre petenti
    Neu pigeat mortem: mors mihi munus erit.
Quot flagra, quot vepres, quot vulnera, quotque dolores
    Suſtinuit veſtrâ Filius iſte manu;
Tot membris renovate meis: ſaevite cohortes
    In me: ſit poenis addita poena meis.
Me, me (ſi precibus locus eſt) infigite trunco.
    Me comitem Nato reddite, quaeſo, meo.
Vel tu dilectam, Sanguis meus, eripe Matrem;
    Eripe, ut inceptis ſim comes una viis.
Ipſa ego te caecas aeternâ nocte per umbras,
    Per Styga, per Ditis tetrica regna ſequar.
Da mihi ferratos rumpentem cardine poſtes
    Cernere, & urgentem pectora adorta nefas.
Da pulchro Everſorem Erebi ſudore madentem
    Matris amatrici tergere ſaepe manu.
Quid moror? ire juvat, clariſque videre trophaeis
    Expoliata tuum Tartara ad arbitrium:
Feliceſque Animas tandem ſuper aethera ituras
    Carmine plaudentes te, mea vita, ſequi.
Sed querulis quid moeſta ſonis precor, auribus ullis
    Si neque Carnifices, nec bibis ipſe preces?
Huc ſaltem vos ferte oculos, quicunque tenetis
    Ingenuae hàc tutum nunc pietatis iter.
Cernite, an hòc major poſſit dolor eſſe dolore.
    Me laſſam! innumero vulnere deficio.
Hos Virgo, atque alios vultum dabat humida queſtus;
    Cùm Nati exanimum concidit in gremium.

Poſuit eum in monumento. Luc. XXIII.

DOLOR VII.

JAm ſatis humanam penſavit morte ſalutem
    Ille ſuâ rerum Conditor, ille Deus.
Jamque ſuum amiſſo teſtata Satore dolorem
    Vidimus inſolitis cuncta elementa modis.
Nunc autem officium quiſnam ferale ſequetur?
    Quis meritas peraget funeris exequias?

Cae-

Digitized by Google

Caeleſtes Genii, Patriae felicis Amores,
Queis tenerae lacrymis immaduere genae;
Agmine nunc facto, deſcendite ab aethere, & urnae
Mox ſucceſſuro ducite juſta Deo.
Fallor? an Aligeros video properare per auras;
Funeribuſque ſequi triſte miniſterium?
O quae luctificae ſurgunt ſpectacula pompae!
Ut referant, pro me quot mala paſſus Amor!
Pars funes, & lora gerit, crineſque revulſos:
Virgaſque, atque hamos pars, tereteſque ſudes:
Hic Tyrio lanas imitatam ardore Columnam:
Compactum rigidis hic diadema tubis.
Suſtinet ille Crucem nodoſo robore onuſtam:
Iſte manu clavos, malleolumque tenet.
Eſt qui felle nigro ſpumantia pocula monſtrat:
Et cui ſtat rubeis lancea acuminibus.
Praeterea multo qui ſparſum è vulnere rorem
Collegere ſuis cautiùs in pateris.
Nec mora: compoſito lacrymantes ordine Amores
Procedunt: initae meta fit urna viae.
Pallentes violas alii, triſteſque hyacinthos
Diffundunt calathis, puniceoſque crocos;
Narciſſumque, anemonemque, atque comas cypariſſi,
Et caſiam, & nardum, malobathrumque Syrum;
Calthaſque, & ciſtos, granadillaſque, roſaſque,
Gelſiminumque, lytrumque, & meliloton humi.
Nec caryophyllon, cyamoſque, deeſtque amaranthus;
Quicquid & Alcinous, vel Dea Chloris habet.
Fert ſocio Joſeph exangue cadaver Amico,
Grandia in anguſtâ pignora ſandapilâ.
Tu quoque rebus ades, comitans fidiſſime rerum
Joannes, triſti triſtis in officio.
Tum Cleophae Conjux, & Magdala, & aegra Salome,
Quaeque manu tundens pectora, ponè ſubit.
Lamentis, gemituque, & femineo ululatu
Mox reboant campi, Caelicolûmque domus.
Percuſſi circùm reſponſant flebile montes:
Et nemora, & valles flebile ſaepe ſonant.
Audires miſerum feſſas erroribus undas
Obſtrepere, & lapſu moeſta per arva queri.
Aurarumque animas aegrum ſpirare ſuſurrum;
Signaque feralis prodere triſtitiae.
Omnia flere putes tam lamentabile lethum.
Quis valeat Domini fata dolere minus?
Natum Virgo ſuum ſequitur poſitura ſepulcro.
Fixa Animam, pectus ſqualida, fuſa comas.
Nec jam ſingultus, gemituſque dat amplius ullos.
Stat propè ſuppliciis exanimata ſuis.
Pallet, & ore ſilet, frigetque ſimillima ſaxo.
Tantus amara dolor corda Parentis habet.
Ut ventum ad tumulum, ecce oculis oblata repentè
Res eſt, perpetuo non reticenda die.

Ingenio-

Ingenioſa manus conſtructi in marmore buſti
  Elatum tumidis finxerat aequor aquis.
Littus erat ſabulone ſcatens, in littore piſcis;
  Piſcis vel ſimilis membra per ampla jugo.
Qualia nare ſolent immania in aequore cete,
  Inſolitum Nautis progenitura metum.
Monſtrum ingens, vaſto quod ab ore vomebat Ionam,
  Aëris hic iterum ſalvus inibat opem.
Scilicet in caecâ velut ille voragine ventris
  Delituit carâ tres ſine luce dies;
Sic primus tumulo clauſus jacuiſſet in illo:
  Liber at ad vitam poſt rediturus erat.
Numinis hic Virgo (poenis id defuit unum)
  Exiccat manibus membra cruenta ſuis.
Componit nunc ora fovens, nunc pectus apertum,
  Nunc laceras palmas, nunc laceroſque pedes.
Vulneribus ſuper accumbens, ſiſtenſque profundis,
  Oſcula dat Jeſu (dona ſuprema) ſuo.
Haerentem vix inde viri divellere poſſunt.
  Cum tenero junctus firmat amore dolor.
Denique ſqualentem ſub texta volumina Natum
  Squalidior triſti contegit in tumulo.
Cùmque effata Parens extrema, recedit; at ipſa,
  Ipſa Animam pariter continet urna ſuam.
I ſeptemgeminûm Mater ſaturata dolorum,
  I, melior quamvis pars ſit ademta tui.
Qui creſcens ad ſumma dolor faſtigia venit,
  Retrorſum poterit nunc dare vela notis.
Hoc precor, ut fiat: ſatis eſt gemuiſſe; quid ultra eſt?
  Sola levet poenas aura ſecunda tuas.

De

De ſeptem gaudiis Beatiſſimae Virginis Mariae.

Angelus Domini nuntiavit Mariae, & concepit de Spiritu Sancto.

GAUDIUM I.

Dixit ubi Omnipotens priſca ſub tempore: fiat,
Imperio fuerunt cuncta creata ſuo.
Tum vidit bona adeſſe Deus quaecunque crearat;
Senſit & in medio gaudia lecta ſinu.
Nunc etiam, aligeri cùm percipit aure Miniſtri
Nuntia, Virgo humili carmine, fiat; ait.
Æternumque ſuâ Verbum mox concipit alvo;
Concipit, & noſtris induit exuviis.
Noſcit ut intacto ſub viſcere claudere Numen
Virgo, voluptatis dona beata fovet.
Nunc Domini, & Mariae confer laetabile fiat:
Illud res dices, hoc genuiſſe Deum.

Peperit Filium ſuum primogenitum.

GAUDIUM II.

Virgo parit, nulloſque intra praecordia motus,
Ponderis aut ictus exilientis habet.
Immotis, velut ante, manent ſua viſcera clauſtris;
Viſcera vel purâ candidiora nive.
Virginis, & Matris gemino micat ergo triumpho,
Quo neque par Mater, par neque Virgo datur.
Gaudia ſervati capit hinc aeterna pudoris;
Gaudia foecundi non peritura ſinûs.
Quis poſthac hilarem ſtupeat ſine more Mariam?
Duplex, unde fluant gaudia, flumen habet.

Magi intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

GAUDIUM III.

NIl niſi praeſepis congeſtum ceſpite culmen,
Et pecudum pedibus ſigna relicta vident;
Infantemque inopem, rigidis qui fultus ariſtis
Contremit, & vagit, lacrymulaſque ciet.
Bos cunas comes ante ſuas, & tardus aſellus,
Et pauper tremulo cum Sene Mater adeſt.
Se tamen incurvant Reges, noſcuntque quis inter
Ille ſit aerumnas, pauperiemque puer.
Regia ſuſpendunt miſeris diademata cunis.
Ad teneros ſternunt fulgida ſceptra pedes.
Dant aurum, & myrrham, Nabathaeaque thura puello.
Hac Regem, atque hominem merce, Deumque colunt.
Virgo ſerenato teſtatur gaudia vultu,
Agnoſcens meritum dona ſub illa decus.
Datque Deum manibus, Regumque haerere lacertis
Gaudet, & eſſe ſuis oſcula fixa labris.
Mollia quot libant venerantes oſcula, Mater
Oſcula caeleſtis tot bibit ambroſiae.
Et meritò: anne poteſt quid dulcius eſſe, videre
Pignus adoratum quàm Deitate ſuum?

Manifeſtatus eſt Jeſus Matri ſuae, cùm reſurrexiſſet à mortuis.

GAUDIUM IV.

FUlgida non tantis ardeſcunt ſidera flammis;
Nec tot ab aurato Sol vomit ore faces;
Quantâ luce Deus vitales prodit in auras,
Qui jacuit gelido ſaucius in tumulo.
Aſpicit ut roſeo vincentem lumine Jeſum
Aſtraque, & ardores, limpide Phoebe, tuos;
Quodque fuit mortale modò, & violabile corpus,
Immortale nitens ingeminare diem;
Concipit expulſis Virgo nova gaudia curis;
Gaudia ſuppliciis aequiparata ſuis.
Summa tulit Genitrix extincto ſpaſmata Nato.
Quae legit ex vivo gaudia, ſumma legit.

Dominus Jeſus aſſumptus eſt in Caelum.

GAUDIUM V.

Qua-

Digitized by Google

QUalis ubi ſenium prorepſerit, unicus ales
Finit odorato tempora longa rogo;
Et novus exoritur ſubitò, pulchrâque juventâ,
Criſtiſque, & pennâ verſicolore micat:
Hinc acies, atque inde avium mirantur euntem:
Ipſe tamen caros tendit ad Aethiopes;
Taliter è caeco poſt aſpera fata ſepulcro
Ille reſurgit amor Virginis, ille Deus.
Caeſariem Genitor Nato, roſeamque juventam,
Et laeto nitidos afflat honore oculos.
Illuſtratque novis membra immortalia donis;
Unde patet Phoebo clarior ire ſuo.
Conflua divinum ſtupet undique turba decorem.
Natus at amplexum fertur in aſtra Patrem.
Virgo Choros inter ſcandentem nubila Jeſum
Suſpicit, ac tantum laeta ſalutat iter.
Expleri mentem nequit, exultatque tuendo
Et jubar, & vultus, & tot euntis ope.
Gloria nimirum Nati fit gloria Matris.
Ergo Anima exultat ſi ſua, jure facit.

Erant perſeverantes unaminiter in oratione
cum Maria matre Jeſu.
Et apparuerunt illis diſpertitae linguae tamquam
ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti
ſunt omnes Spiritu Sancto.

GAUDIUM VI.

FErvida Virgo precans mittit ſuſpiria Caelo,
Alite ut adveniat Spiritus igne Deus.
Ecce repentè oculis ruere ardua regna videntur:
Et Domus ingenti dia fragore tonat.
Lucis ab aurato delabitur aethere nimbus;
Candeſcitque novo clarior aura foco.
Ecce Deus (pia Virgo refert) Deus ecce: medullis
Inſere te noſtris, inſere dius Amor.
Omnibus extemplò ſupra caput inſidet ignis,
Et ſtudioſa beat numine corda ſuo.
Turbine at ipſa ſacro correpta ter alitis aurae,
Flammea ſuſcepto tota ab amore rubet.
Igneſcitque animo, exultatque cor ignibus, & ſe
Ignitam penitus laeta Puella videt.
Unde poteſt hilaris tot Virgo reſiſtere flammis?
Cui Sponſus Amor dicitur: ergo poteſt.

Aſſumpta

Aſſumpta eſt Maria in Caelum.

GAUDIUM VII.

Filia, Sponſa, Parens triplici diademate Virgo
    Ornanda, innumeris fertur in aſtra Choris.
En volat Aligeros inter, plauſuſque ſonantes,
    Et circumfuſo lumine ſignat iter.
Atria fulgentis latè reſerantur Olympi.
    Scilicet expectant, ſceptra datura, Deam.
Jamque alacri ingreditur patefacta palatia vultu;
    Gemmatumque Dei ſiſtitur ante Thronum.
O quae forma Domûs! quae gloria! quaeque voluptas!
    Tota ſuis geſtit Regia blanditiis.
Quae dominantis erunt ſub pectore gaudia Divae,
    Si vultu exhilarat Regna beata ſuo?

Digitized by Google

Feſtivitates Sanctiſſimae Virginis Mariae.

In Conceptione.

I.

Viderat Auroram tenebris Pater ipſe fugatis
    Luminis in mediâ naſcier eluvie.
Viderat & Lunam nil primae amittere lucis
    Filius; in toto nox licet Orbe foret.
Et Patris, & Nati quoque viderat ardor in auras
    Cum ſociis Solem ſurgere luminibus.
Tum dixere: novae conceptio fiat Amantis,
    Quam triplex meritis dotibus ornet honor.
Prodeat Aurorae, Lunaeque, & Solis adinſtar.
    Sic Triadis magnum perſpicietur opus.
Vix ea: Concipitur quaſi Virgo Aurora reſurgens;
    Inque ſinu Divam gratia priſca fovet.
Pulchra ut Luna micat; nec quam dat gratia lucem
    Perdit, Adam, in tenebris criminis illa tui.
Progreditur puris, ut Sol electa, favillis.
    Fitque comes tenerae gratia amica Deae.
Quis poſthac, Virgo, Triadis cùm munera norit,
    Conceptam veteri te ſine labe neget?

In Nativitate.

II.

Virgo ſub aethereas cùm parvula naſceris auras,
    Proſiliunt miris grandia ſigna modis.
Plauſibus exultat reſonantibus undique Olympus:
    Terraque compoſitos ducit amoena choros.
Solus Avernus agit trepido ſuſpiria fundo;
    Et fremitu auditur mox ululare ſuo.
Quàm bene! nanque oriens vacuata ſedilia comples.
    Hinc reparare ſuas gaudet Olympus opes.
Incipis antiquas diſrumpere Virgo catenas.
    Et ſalit exempto libera Terra pede.
Spaſmata Avernus habet. Veniunt neque talia caſu.
    Sentit adeſſe tuas in ſua damna manus.

Digitized by Google

In Praeſentatione.

III.

TRrimula adorato ſe Virgo dicare Tonanti
Ardet, & illecebras linquere, Terra, tuas.
Numinis haurit amans teneram ſub pectore vocem:
O' mea (tempus adeſt) cara Columba veni.
Nec patitur magis eſſe domi: petit excita Templum;
Et majeſtatem greſſus euntis habet.
Cùm ſedem ſubit illa, gradus praevertitur atae,
Et volat, & Domino ſe vovet uſta ſuo.
Unde facit volucri Virguncula talia motu?
Aligero nullae ſunt in amore morae.

In Annuntiatione.

IV.

ALiger ora Deo propior delapſus Olympo
Nazareth ut Mariam ſub penetrale colit,
Ante alias, ait, ó Caelo gratiſſima Matres,
Maxima felices inter habenda nurus:
Gratia dia tuo ſub pectore abundat; & omnium
Ipſe tibi pleno numine Factor adeſt.
Virgo tamen laudem turbatis auribus haurit;
Et ſubitus currit victa per oſſa tremor.
Ille autem: Quin parce metu; tibi nanque reperta eſt
Gratia, & una Deo lecta Puella places.
Tu paries exacta ſuum poſt tempora Natum.
Liliaque intacti ſalva pudoris erunt.
Nempe hominum, Superûmque poteſt Rex cuncta, miniſtrum
Qui tibi me fauſto mittit ab Imperio.
Talibus ancillam Domini ſe Virgo fatetur;
Obſequiturque humili nutibus ore ſuis.
Nec mora: momento praegnans fit Mater eodem,
Hac hominem factum voce datura Deum.
Reginaeque decus, Dominaeque lucratur honorem,
Quae prius ancillae nomine adhaeſit humi.
Diſcite ab exemplo nunc diſcite Virginis omnes:
Summa petit meritis qui ſubit ima ſuis.

In Viſitatione.

V.

CUlmina Judaei graditur ſuper ardua Regni
Virgo gravem foetu viſere mater Anum.

Co-

Cognataeque tribus jam Numine plena miniſtrat
Menſibus Eliſabeth; laetaque complet opus.
Majorem miremur adhuc ſervire minori?
Filius iſta docet; diſcit & iſta Parens.

In Purificatione.

VI.

Corpus Chriſte tuum ſacras Infantule Patri,
Cùm tener obtutum ſiſteris ante ſuum.
Es mundus, Superûmque potens, hominumque Repertor,
Credier & noſtrâ ſorde notatus amas.
Aſpicit haec Genitrix, & ſe, propriumque pudorem
Conſecrat, exemplar rite ſecura tuum.
Innumeris immunda Choris cupit illa videri,
Sit licet arcanis Virgo Parenſque modis.
Tuque ſubis legem, & legem quoque Mater adimplet.
Hac ò quàm pulchrae ſunt novitate vices!

In Aſſumptione.

VII.

Quae pennis petit aſtra ſuis, ceu virgula fumi
Suavibus ex myrrhae, & thuris aromatibus?
Candida quae vultum, rubicundaque, odore decentes
Pigmentata genas, totaque pulchra ſubit?
Gratia quanta labris ridet! quantum inſtar in ipſâ eſt!
Unde venit? non has Terra habet ima Animas.
Quaenam ergo eſt, flammas quae vincit Apollinis aureas,
Vincit & argentum, plena Diana, tuum?
Quà volat ipſa, novum dat ſurgere lumine Caelum.
Inſolitae tantum nunc Deitatis habet.
Aligerum ſtupefacta ſupra circùmque volantum
Talia fundebat carmina ab ore phalanx,
Cùm vox aethereas audita ſonare per aulas:
Non illo memores noſcitis ore Deam?
Haec Terrae Regina potens, Caelique profundi:
Huic parent ſtudiis cuncta creata ſuis.
Virtutes animi ingentes fecere decoram,
Quà Polus, & faſtu tota triumphat humus.
Neu ſuper, Aligeri, decus ergo ſtupeſcite tantum.
Quae virtute venit gloria, dia venit.

CAR

Digitized by Google

CARMINUM
LIBER IV.
In Sanctorum laudem EPIGRAMMATA.

Menſe Januarii.

Sanctus Hilarius Pictavorum Epiſcopus, Catholicae Fidei, & Sanctiſſimae Trinitatis defenſor acerrimus, ab Arianis in Phrygiam relegatus, ibi mortuum reſuſcitat.

Semper habent ſincera ſuam miracula vocem,
Quâ reſerant verae Relligionis opus.
Suſcitat hunc ergo ſi Praeſul ad aetheris auras,
Praeda triumphantis qui modó mortis erat,
Noſcite, Ariani, per facta Fidemque, Deumque,
Quem trinum, atque unum praedicat ore Pater.
Tum conferte Fidem veſtramque, & Praeſulis. Inde
Dicite: num ſimiles, diſſimileſne patent?

Sanctus Antonius Abbas omnem rei familiaris jam venditae pecuniam diſtribuens pauperibus, nihil ſibi reliquit.

Mercari juvenis Caelum ſuper omnia amabat.
Se Caelum juveni vendere amabat idem.
Obtulit argentum: argentum citò reſpuit. aurum
Obtulit: aſt auro noluit illud emi.
Obtulit & gemmas, & opes quot habebat in uſum:
Sed gemmas, & opes ſprevit habere ſuas.
Omnia ſponte dabat: rejecit at omnia Caelum,
Si quid adeſt reliquae ſuſcipe mercis, ait.
Tunc Caelum ridens: quid inutile, dixit, Amator
Hoc mihi das pretium? ſit tibi nil, & emes.

De

De Sancto Canuto Danorum Rege, qui Eccleſias redditibus auget, & regia ſupellectili exornat.

PRoh Pietatis amor! Templis pretioſa ſupellex
Fulget; at illa tuae eſt, Rex venerande, manûs.
Tu ſacra redditibus delubra Tonantis adauges,
Ut ſua majori gloria honore micet.
Aſt opibus, palmiſque Deus te ditat opimis.
Dic mihi nunc felix: hoc dare, an accipere eſt?

In Converſione Divi Pauli.

HIc ferus eſt Saulus? quantùm mutatus ab illo,
Horrida qui fremuit damna, hominumque necem!
Quò rabies, quò fervor iit, quibus ante petebat
Ferre catenatos compede Chriſticolas?
Cùm circumfulget lux reddita ab aethere euntem,
Agnus fit ſubitò qui lupus aſper erat.
Ceſſaruntque minae, ceſſavit & improbus ardor
Cladis, ubi in terram concidit actus equo.
Felicem lapſum! in melius cùm crimina mutas;
Et Domini comitem, diſcipulumque facis.
Quis poſthac Saulum dicat cecidiſſe, cadenti
Si venit ex lapſu gloria tanta ſuo?
Non cadit, ut tanto cadat in diſcrimine Saulus,
Ut melior ſurgat caſibus, ille cadit.

In Sancti Joannis Chryſoſtomi laudationem.

SEu ſcribat diverſa, Fidem ſeu praedicet unam,
Aurea de calamo copia, & ore fluit.
Aureus eſt ſermo, ſonus aureus, omnibus aurea
Partibus ingenii ſunt monumenta ſui.
Haec ego non mirer. Dum ſcribit, & alta Tonantis
Praedicat ille ſui dogmata, Paulus adeſt.
Paulus adeſt, Divoque libens quàm plurima dictat,
Verbaque pro Populo, geſtaque pro Hiſtoriis,
Si ſecum haec igitur Paulus facit otia, utriſque
Aurea quis ſtupeat cuncta fuiſſe modis?

De Divo Franciſco Saleſio, qui ab Haereticis ad mortem appetitus, Dei protegente gratia ſervatur immunis.

QUis rabiem Haereticae, conjuratamque phalangis
Non ſtupeat mentem, dum necis arma fremit?

Dogma ſalutis amat reſerare Saleſius Heros,
Omnibus ut pateat vita beata animis.
Illa autem tamquam ſit febre phrenetica, amantem
Nititur in Medicum vertere fata ſuum.
Aſt Deus illaeſum fervore tuetur ab impio;
Inque vorans ventis dat mare ferre minas.
Hac ope millenas ad jura fidelia turmas
Attrahit, unde vetus mentibus error abit.
Quis damnum poſthac neget utile? qui ſibi mortem
Quaeſierant, vitae dona perennis habent.

Menſe Februarii.

Sanctus Andreas Corſinus antequam naſceretur, Matri gravidae per quietem non ſecus ac Lupus viſus eſt, qui cùm ad Carmelitarum Aedem pervenit, in Agnum converſus apparuit.

CUm venit in mentem Lupus, angeris optima Mater;
Cùm ſubit aſt Agnus, gaudia plena bibis.
Et gemis, & rides, geſtiſque, doleſque. Retentant
Proh quantùm oppoſitae nunc tua corda vices!
Parce metu tamen acta Parens, ſenſuſque beato
Nectare corripiant gaudia ſola tuos.
Annis vel brevibus Lupus iſte videbitur, at poſt
Innocuis ſemper moribus Agnus erit.
Agnus erit, ſacram Carmeli ubi legerit Aedem,
Filius acceptus Relligione tuus.
Nam ſi Relligio mutat mala in optima, in Agnum
Illa Lupum merito vertere jure poteſt.

De Diva Agatha, cui mamilla abſcinditur juſſu Quinctiani Siciliae Praetoris.

MOllis init fortem caeleſtia praelia in hoſtem,
Et Fidei palmas addere Virgo ſtudet.
Ille furit, ſibimetque inhians ſpolia ampla, Puellae
Vulnere ſit crudo caeſa mamilla, jubet.
Mammulâ at abſciſsâ, fit maſcula robore Amazon,
Nec cadit, aſt Fidei promptior arma movet.
Quid facias Divae, neſcis improvide Praetor.
Quam cecidiſſe velis, ſic ſuperaſſe facis.

Sancta Dorothea Virgo ab Apricio Cryſtae, & Calliſtae tradita, ut eam à Catholica Fide removerent, illas potius ad Chriſti religionem,

à qua

à qua defecerant, virtute ſua reduxit.

Fallitur Apricius, ſapiens dum Virgo ſororum
Traditur argutis decipienda dolis.
Detegit haec fraudes, & poſt certamina rerum
Ad primum Fidei ducit utramque jubar.
Hac Praeſes novitate fremit, mactatque ſorores.
Martyrii palmis ſic ſuper Aſtra volant.
Fortunatae ambae, Dorotheae lumine victae!
Hoc ceſſiſſe fuit, * an ſuperaſſe fuit?

De Sancto Joanne de Matha, Redemptionis Captivorum Inſtitutore.

Eſſe tibi ſimilis, Chriſte ò dulciſſime, vellem,
Lucrer ut innumeras, motus amore, Animas.
Sed divina tui mihi vis, portentaque deſunt,
Queis gens per Superûm regna tetendit iter.
Ah! ſcio quid faciam. Factus tu, Chriſte, Redemptor
Funere lucratus jam genus omne tuo es.
Ergo aliquâ, ut ſimiler ſaltem tibi parte, phalangis
Captivae vivens ipſe Redemptor ero.

Diva Scholaſtica è Caelo pluviam impetravit, ne Sanctus Benedictus frater, qui redire ad Monaſterium ſtudebat, ſe nocte deſereret, de bonis caeleſtibus uſque mane colloqui cupientem.

Myſtica nocte loqui cum Fratre Scholaſtica poſcit,
Donec ab Eois Sol oriatur aquis.
Supplicis ille negat ſtudio indulgere Sororis.
Ad ſua nox ſuadet Clauſtra redire Patrem.
Fervida dum ventis ſine pondere vota feruntur,
Diva madens lacrymis irrigat ora ſuis.
Protinus horriſono ruit excitus aethere nimbus,
Et remeare Domum te, Benedicte, negat.
Si neſcis, ſubitò cùr impete fluxerit imber,
Flentis aqua è Caelo (diſcito) traxit aquam.

De Sancta Margarita Cortonenſi.

Margaris incuſat veteris mala crimina vitae,
Et largo roſeas obruit amne genas.
Per fora, per vicos, per culmina, perque plateas,
Quàque frequens Populi fluctuat unda, ruit;
Suppliciiſque ream ſe clamitat omnibus unam,
Laeſerit infami cùm Venus arte Deum.

Quid

Quid facit ad tantum reſonans confeſſio curſum?
Hac vocat, hoc Dominum repperit illa ſuum.

Menſe Martii.

Ad Sanctum Caſimirum lilia habentem in Virginitatis ſuae argumentum.

ORabam Caelum: tenero num lilia culmo
Sunt tua, virgineus quae Caſimirus habet?
Caelum autem contrà, non ſunt mea lilia, dixit,
Quae Dominus vigili mente Polonus alit.
Tum Terram: Omnigenos ó quae paris unica flores,
Anne tuus genuit lilia tanta ſinus?
Illa ait: innumeros uberrima procreo flores;
Lilia at haec gremio non viruere meo.
Cùm neque ſint Caeli, neque ſint haec lilia Terrae,
Corpore dicemus lilia nata ſuo.

Sanctus Thomas de Aquino impudicam mulierem titione fugavit.

FLava comas, depicta genas, & lactea pectus
Idaliae mulier ſuſcitat arma Deae.
Turpis Aquinatem certamina ad aemula amoris
Allicit, illecebris fallere docta ſuis.
Divus at illaeſo victurus honore Puellam,
Hanc celer arrepto mox titione fugat.
Foemineae hoc Thomas domat igne libidinis ignem;
Scilicet exardens ignis ab igne perit.

Sanctus Joannes de Deo inter flammas, in Granatenſi Valetudinario excitatas, per dimidiam horam, quouſque tum Infirmos, tum lectulos ab incendio vindicavit, verſatus, tandem illaeſus exivit.

NOn reprimit flammam, quò ſtrata cubilia, & aucto
Providus Infirmos ſervet ab igne ſuos.
Tollit at Infirmos, & nota cubilia ſolùm,
Et flammae ignoſcit qui face plenus erat.
Perque ſuas pia flamma Patri dat tempore longo
Ire, redire vias, & nihil illa nocet.
De flammâ Divus, de Divo flamma meretur,
Reſpondens paribus ſalvus uterque modis.
Miramur poſthac flammam ignoviſſe Joanni?
Novit ab exemplo parcere flamma ſuo.

San-

Digitized by Google

Sanctus Gregorius Magnus adeò Eutychium, qui veram corporum reſurrectionem negabat, rationibus convicit, ut is morti proximus pellem manus ſuae tenens coram aſtantibus dixerit: Confiteor, quia omnes in hac carne reſurgemus.

PErfidus Humanum cùm litigat ore Magiſter
Non ſurrecturum poſt ſua fata Genus,
Robore Gregorius temeraria dicta refellit,
Et Fidei Eutychium corrigit articulo.
Arma fremens movet ille armis contraria, & ardet
Vertere in Authorem tela retuſa ſuum.
Praeſul at haereticus ſtùdio contendit inani;
Inque leves abeunt impia geſta notos.
Obſtantem Magnus validis aſſultibus urget,
Suadet & eloquio, dogmatibuſque premit.
His ergo Eutychius ſe victum jure fatetur,
Et quae ſancta Fides dat documenta, probat.
Tum moriens, homines in carne reſurgere firmat.
Sic ſurrecturus fata ſuprema ſubit.
Gregorii ò longos memorabilis ardor in annos!
Nobilis ò ſuperis palma canenda Choris!
Quàm praeclara operum ſunt, Dive, trophaea tuorum,
Magnus ubi duro victor ab hoſte redis!
Non aliter poterat ſeries ſuccedere rerum.
Magnus es, à Magno non niſi magna fluunt.

De Sancto Joachim, quem Iſſachar, ceu maledictum, quia non habebat Prolem, ejecit de Templo.

MYſtica ſi neſcis Caelorum arcana Sacerdos,
Immeritum opprobriis parce notare Senem.
Parce; nec expellas tumidas accenſus in iras.
Integer hic vitae eſt, criminibuſque caret.
Non ſuſcepit adhuc ſenio confectus, & annis
Pignora conjugii ſaepe petita ſui;
Nanque ſacrum Natura nequit praevertere foetum;
Sed facit illa ſuas ingenioſa moras,
Donec adorandum producat Gratia fructum.
Tunc & erit tanto Filia digna Patri.
Dilectam Domini nunc praeparat ille Parentem.
Cùmque ſtatuta ſibi venerit hora, dabit.
Quid tibi mentis erit, Prolem cùm videris ortam?
I tunc, & probris, ſi potes, ange Senem.

Sanctus Benedictus Abbas in vepribus ſe volu-

Digitized by Google

tavit, ut laceri corporis dolore libidinem extingueret.

Adde perurentem Venus adde libidinis ignem;
Et juvenem ſtudiis allice blanda tuis.
Nil ſtudiis facies, nil igne; retundere fortis
Scit Pater indomito turpia tela animo.
Aſpice, ſe veprium ceu ſepta per aſpera volvit:
Urque fluit membris ſanguinis unda ſuis.
Dum fluit illa, tuae cedunt certamine flammae.
Nec mirum. Extinguit ſcilicet unda focum.

Menſe Aprilis.

Sanctus Franciſcus de Paula Siciliae fretum tranat; extenſo ſuper fluctibus pallio.

Nauta, petis naulum, ſed nulla numiſmata Divus
Cùm ferat, in navi non habet ille locum.
Quid faciat pauper? tumidas ſuper aequoris undas
Palliolum ſternit, tutus & urget iter.
Talia reſpectas miracula, & ore rubeſcis.
I nunc, & navim, perfide Avare, nega.

De Sancto Vincentio Ferrerio, qui cùm tremendi Judicii diem oſtenderet appropinquantem, Auditores omnes terrore concuſſos ad unicum Dei amorem excitavit.

Judicii ſuprema dies (advertite Gentes)
Stat prope; & heu quanto plena dolore venit!
Magna dies, & amara nimis, quae turbida cunctos
Terrores gremio continet una ſuo.
Quid vobis, quid mentis erit, cùm Numine laeſo
Omnigenis fient crimina aperta malis?
Quantus erit luctus! confuſio quanta reorum!
Quanta Animas ſemper poena ferenda premet!
O' dolor! ò terror! nimis ò lacrymabile tempus!
O' nimiùm miſerae per mala facta Animae!
Haec tonat elato Vincentius ore; ſtatimque
Hic dolet, ille gemit, moeret hic, ille cadit.
Ergo per oſſa tremor Populorum exterrita currit,
Et veniam truncâ non niſi voce petunt.
Tum Domini ignitis fervens Amor oſſibus ardet,
Seque tibi, Omnipotens, turba novata dicat.
Aſt qui judicii ceſſit Gens impia dictis,
Si fuit ingenio, perfidiâque tenax?

Nuntius huic fuerat Vincentius. Omnibus ergo
Omnia debuerat vincere corda modis.

Sanctus Leo Pontifex Attilam Hunnorum Regem in Urbem Romam cum copiis ſuis tendentem, divinitus repreſſit.

ATtila, ſanguineis populaſti regna ruinis,
Viſus inhumanâ ſub feritate Lupus.
Auſus fata eadem Romanam vertere in Urbem.
Sed ruit in celeres cura protervâ notos.
Nam Leo Pannonicam compeſcuit obvius iram,
Et tua conſpectu depulit arma ſuo.
Nec fuit hoc caſu. Majori obſtare Leoni
Non poterat nixus dote minore Lupus.

Sanctus Maximus, Almachii Cubicularius, conſtantem Sanctorum Martyrum Valeriani, & Tiburtii virtutem admiratus, & ſe Chriſtianum profeſſus, Martyrium conſummavit.

MAximus es Terris (Virtus tibi vivida dixit)
Diſce etiam Caelo Maximus eſſe meo.
Si cupis exemplar, me Fratribus aſpice in iſtis,
Dein ſequere; & tali nomine dignus eris.
Vix ea; Chriſticolam ſubitò te, Dive, fateris,
Martyriumque alacri fortis amore ſubis.
O felix! gemino ſic dignus honore fuiſti,
Maximus eſſe Solo, Maximus eſſe Polo.

De Divo Anſelmo Cantuarienſi Epiſcopo, qui aſſiduitate jejunii omnem penè ciborum ſenſum extinctum habere videbatur.

PRotrahit Anſelmus jejunia longa per annos,
Et ſtimulos durae deſpicit ille famis.
Quin etiam nulli ſpectantur ineſſe ciborum
Senſus; ſeque habitâ paſcere fruge negant.
Unde ſui in longum poſſunt jejunia ſenſus
Ducere? ab Anſelmo ſic didicere ſuo.

Sancta Maria Aegyptiaca peccatrix ab aſpectu Sanctae Crucis divina virtute repellitur. At veram ſpondens lacrymis poenitentiam,

ſpe-

Digitized by Google

ſpectatum admittitur.

UT reſono portus intrare furore notorum,
Indomitiſque ratis fluctibus acta nequit;
Arcetur Solymi ſic Templi è limine pellex.
Scilicet indignam vis tenet alta procul.
Quaeritat ingreſſus; iterumque, iterumque repulſa eſt.
Nec ſpectare Crucis poſſe trophaea datur.
Ergo mali tanti cauſſam ſua crimina noſcit;
Moeſtaque largifluis fletibus ora rigat.
Territa culparum dolor atterit oſſa ſuarum;
Et rigidum vitae ſpondet inire genus.
Ingreditur facili tunc paſſu Aegyptia Templum;
Illacrymanſque Crucem Religione colit.
Felices lacrymae! felix quoque ſponſio! ab illis
Crimina merguntur: ſublevat iſta Animam.

Menſe Maii.

Sanctiſſimus Pontifex Pius Quintus de Selimo, potentiſſimo Turcarum Tyranno, apud Echinadas celebrem reportavit victoriam.

QUò tumor ille abiit, cùm tingere credidit audax
Sanguine Rex undas, ó Achelöe, tuas?
Quo fugere acies, quae nuper Echinadas armis
Corripuere, gravi vertere clade Fidem?
Tela virûm, criſtaſque, & Thracia corpora volvit
Fluctus, & eſt mediis obruta claſſis aquis.
Turbine Threicias ſubmerſit in ima phalanges
Aequora Pontificum maximus, ille Pius.
Miſerat ille ſuo ferventia vota Tonanti,
Et rediit ſpoliis victor ab hoſte ſuis.
I nunc ſtulte Getes, & robore fide tuorum,
Teque, Aſiaeque precans ſi Pius arma domat.

De Sancto Stanislao Epiſcopo, cujus corpus à Boleslaò Rege obtruncatum, & per agros diſperſum, à Feris, quibus objectum erat, ſervatur illaeſum.

COrpus inhumanis, Rex impie, Martyris offers
Faucibus. Ira tuo pectore tanta fremit.
Mitia ſed rabido plus te ſapuere Ferarum
Agmina, ubi mores dedidicere ſuos.
Expoſitam norunt impunè relinquere praedam,
Quam male juſſiſti dilacerare Feras.

Mar-

Digitized by Google

Martyris ergo Ferae ſi norunt parcere membris,
Illae Rectores, tu Fera, Rector, eras.

Ad Sanctum Pomponium Epiſcopum Neapolitanum, ex cujus ſacro corpore prodigioſus poſt mortem liquor effluxit.

MUlta facit Paſtor, per fertilis arva Veſevi
Suppeditans gregibus pabula digna ſuis.
Et ſudat, Gothici ne peſtis acerba furoris
Afferat aeternam per genus omne necem.
Talia Paſtor agens, nitidis petit aethera pennis.
Non tamen in triſti funere linquit oves.
Corpore ab exanimi dat providus ille liquorem,
Unde juvans miſeris gratia, ut ante, fluit.
Comperiuntque Animae, dioque liquore medelam
Corpora: fit cunctis vita, ſaluſque malis.
In gregis auxilium ſi talia Paſtor adimplet,
Non obiit; fato vivit at ille ſuo.

De Sancto Ubaldo Epiſcopo, cujus virtus praecipuè in expellendis Spiritibus immundis elucet.

PRaeſulis ad nomen fugiunt immunda malorum
Agmina Spirituum; Tartara & ima petunt.
Nec poſſunt enixa datis obſiſtere dictis;
Corpus at obſeſſum vivere pace ſinunt.
Nempe diu oravit, jejunia & addidit; ergo
Quemlibet obſeſſis Daemona jure fugat.

Ad Sanctum Joannem Nepomucenum, cujus lingua poſt tria ſaecula prorſus incorrupta reperta eſt.

SI tua poſt annos eſt vivida lingua trecentos,
Nulla quid appoſito tempore verba refers?
Nempe Sacramenti ſecretum, Dive, ſigillum
Te jam compoſito non ſinit ore loqui.

Sancta Maria Magdalena de Pazzis illud frequenter repetebat: Pati, non mori.

VElle pati, ſed nolle mori, mea ſola cupido eſt;
Neu, Deus, ergo mori, fac, Deus, uſque pati.
Si patiar, veniet poſthac mors ultima paſſae;
Sed mihi, ſi moriar, non datur inde pati.

Tu pro me paſſus longùm duriſſima rerum;
 Ut patiar pro Te, neu ſine, Sponſe, mori.
Sponſa pati, non veró mori, cur ſaepe requiram,
 Neſcere vis cauſſam, Numen amoris? amo.

Menſe Junii.

Sanctus Norbertus pellicea melote indutus, nudiſque pedibus, & lacera veſte incedens, verbi Dei praedicatione innumeras Animas lucratur.

QUi ſua fatidici non fixit in ora Joannis
 Lumina, cùm tonuit vocibus ille ſuis;
Aſpit, & hunc oculis Heroem perbibat unum,
 Gratia quem turbis legit amica Ducem.
Squalidus ora, pedes nudus, laceratus amictum,
 Pellem tectus ovis, per loca adurget iter.
Eloquioque tonans, ad jura ſequenda Tonantis
 Denſum humeris recto tramite vulgus agit.
Quiſque & in errores odio implacabilis ardet,
 Seque ſui gaudet poenituiſſe mali.
Talia Norbertus, Baptiſtaque fecit. Hic ergo
 Aut idem, aut ſimilis vultu, operâque fuit.

De Sanctis Martyribus Primo, & Feliciano, in quos licet duo Leones immiſſi eſſent, hi tamen ad eorum genua proſtrati, capite, & cauda ipſis blandiebantur.

DUctus in horrendum eſt hic Frater, & ille Theatrum,
 Sub gemino ut poſſent ambo Leone mori.
Squalebantque fame Divorum corpora, & actum
 Debilitate genu, more cadentis erat.
Horruit has praedas impaſta cupido Leonum;
 Et coluit ſacros blandus uterque Viros.
Venantum gravis unde fames eſt victa Leonum?
 Sic docuere Viri, ſic didicere Ferae.

Sanctus Antonius de Padua Haereticum, in auguſtiſſimo Euchariſtiae Sacramento Corpus Chriſti negantem, miraculo convincit.

LArgius Haereſeos nova ſuggere pabula Fautor,
 Ut recreet longam Bellua fracta famem.

Sug-

Suggere, ne verum ſpecie ſub panis adoret
Prona Deum, manibus quem Patavinus habet.
Sed tua praecipites abit irrita cura per auras,
Geſtaque prodigio ludificata cadunt.
Deſerit illa cibum, quamvis ante ora paratum;
Et potis eſt ſeſe vincere longa fames.
Tum Dominum noſcens rerumque, hominumque Satorem,
Cernua poplitibus, relligione colit.
Ergo Deum novit ſi Bellua, tuque negaſti,
Bruto hominis, Bruti jam tibi ſenſus erat.

Sanctus Aloyſius Gonzaga imaginarias culpas ſuas innocens lacrymatur.

CRimina ab Angelico fugiunt exterrita Ephebo.
Nulla valet puram noxa ſubire Animam.
Non ceſſat tamen ille oculis effundere fletus,
Perdere nec roſeas imbre ruente genas.
Jam duo lucentes abeunt in flumina ocelli.
Prodiga jam geminis fontibus unda fluit.
Aureus Eoo ſeu Sol de climate ſurgat;
Pronus in Heſperias ſive feratur aquas;
Luget, & in medio fluitant ſuſpiria luctu;
Ingentemque notus ventilat eluviem.
Quid facit intentus lacrymis Aloyſius iſtis?
In Caelum lacrymis navigat ille ſuis.

Sancto Joanni Epiſcopo Neapolitano, qui a Beato Paulino ad Caelum invitatus eſt.

RUmpe moras, quid Praeſul agis? pete ſoſpes Olympum.
Expectant reditum ſidera amica tuum.
Blandula te Virgo ſtudio vocat icta fideli:
Te Superos inter vult numerare Deus.
Ergo praepes abi: ſi tardas ire Joannes,
Forſitan huc venient ſidera, Virgo, Deus.

De Sancto Petro Apoſtolo, qui viro claudo eleemoſynam petenti, argentum, inquit, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu ſurge, & ambula. Et protinus conſolidatae ſunt baſes ejus, & plantae.

FAlleris, argenti ſi conſona habere, vel auri
Dona ab Apoſtolico Principe, Claude, putas.
Talia (crede mihi) non ille numiſmata curat.
Sunt procul e manibus, quae petis ore, ſuis.

Dat

Dat facilis quid habet. Tibi, ſurge in nomine Jeſu,
Hic ait; & ſtabili mox pede ſanus abis.
Neve tamen mirere, ſuae ſi redditur unum
Vocis ad imperium nunc tibi promta ſalus.
Triſtibus umbra Petri morbos ejecit ab aegris,
Quò magis id Petrus per data juſſa poteſt?

Menſe Julii.

Divus Bonaventura S. Franciſci vitam ſcribit.

SCribe tui monimenta Patris memoranda per aevum.
Talia tu ſolus ſcribere geſta potes.
Ille fuit Seraphim per vaſta incendia Amoris;
Nutriit & vitam non niſi flamma tuam.
Scribatur Seraphim quò vita, requiritur alter.
Tu Seraphim flammis diceris eſſe tuis.
Scribe igitur. Duo ſic Seraphim noſcentur amorum.
Unus ſcriptus erit, ſcriptor & alter erit.

Sanctus Athanaſius Epiſcopus Neapolitanus, Sancti Athanaſii Alexandrini interceſſione donatus parentibus, reſiſtens Sergio Eccleſiaſticae libertatis everſori, ejus opera in exilium pulſus eſt.

E Caelis te, Dive, dedit qui nomine eodem,
Quà Nili trepidant oſtia, rexit oves.
Hic tibi dixit: io roburque, graveſque labores
Ex me diſce, meum dum bene nomen habes.
Libera ut haereticis Eccleſia ſtaret ab armis,
Quot mare, quot tellus dat mala dura, tuli.
Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito.
Sic mores ſolidâ mente ſequère meos.
Talibus inſtructus, ceu murus ahencus obſtas,
Sergius oppoſito cùm tibi prava jubet.
Teque animo ſacra jura Dei, Templique ruentem
Nec prece, nec rabie, nec quatit ille minis.
Exilium in longum forti imperterritus auſu
Mitteris; & paſſus plurima, Praeſul obis.
Nunc equidem duplex ſurgit tibi gloria: quid ni?
Auctori ſimilis nomine, reque tuo es.

De Sancto Alexio.

ALigerumque Choros, Caelumque, Patremque reliqui,
Inque Solum veni, tot mala dura pati.

Si

Si patiens calcare pedum vis ſigna meorum,
    Seu tenet in gremio nunc mea flamma locum,
Deſere, Alexi, torum cum Conjuge, deſere ſedem,
    Extera & exilio regna require tuo.
Vix ea dicta Deus tenerorum emiſit amorum,
    Martis ab Urbe procul tendit Alexis iter.
Et patitur, Dominique ſui veſtigia luſtrat;
    Luſtrat, & in venis vulnus Amoris alit.
Hac vocat arte Deus, reſpondet, & ardet Alexis:
    Proh quot divino ſunt in amore viae!

De Diva Margarita Virgine, & Martyre.

SEu rabidi ſub formâ hominis mala fata minantis,
    In nova te Daemon perdere fruſta fremat:
Seu Draco terribili ſuperurgeat oris hiatu,
    Teque Acheronteâ fraude vorare petat:
Nil hoſtis, mea Virgo, tui feritate moveris;
    Sed premis illaeſo turgida colla pede.
Cogis & in duro ſe victum Marte fateri
    Daemona, & in Stygium praecipitare lacum?
Non valet antiquus te, Margari, vincere Serpens.
    Huic caput ut frangas, tu lapis Armeniae es.

De Diva Maria Magdalena.

DUm celebri Jeſus diſcumbit in aede Simonis,
    Irruit ad lautnm Magdala ſympoſium.
Ante ſibi laeſum genibus revoluta Magiſtrum,
    Criminibus veniam flebilis ore rogat.
Oſcula dat nudis pedibus, lacrymiſque profuſis
    Irrigat, & flavis tergit honeſta comis.
Tum caſiam, & nardum, atque auram depromit amomi,
    Effuſoque ſacros ungit odore pedes.
Nec ſinit e pedibus divelli Numinis: igneo
    Hos tenet, hos cordis Magdala amore fovet.
Noſcere vis cauſſam? veſtigia recta requirit.
    Quae prius errando tam male fecit iter.

Stans retro ſecus pedes ejus, lacrymis coepit rigare.

MAgdala ſtat retro, Domini nec cernere vultum
    Audet; at uda pedes imbre cadente rigat.
Si veniam ab Jeſu ſcelerum petit illa ſuorum,
    Stare quid aſpectum reſpuit ante ſuum?
Criminibus faciem avertit prius oſor ab ipſis,
    Poſtea delet amans crimina fleta Deus.

Digitized by Google

Capillis capitis ſui tergebat.

VUlnera ſenſit Amor ſibi facta profundiùs uno
Sponſae in crine ſuae; vulnera ſenſit Amor.
Nunc Amor ille tuus quot vulnera, Magdala, ſentit,
Tergit odoratos ſi coma tota pedes?

Oſculabatur pedes ejus.

DIlecti pedibus ſua Magdalis oſcula figit;
Oſcula dat Sponſo Sponſa novella ſuo.
Quantùm mente ſapit! dat Numinis oſcula plantis,
Ne capiat Sponſus per malefacta fugam.

Unguento ungebat.

UNgis ubi, lacrymis oculos ſuffuſa nitentes,
Unguento Dominum, cur mea Diva taces?
Quin loquere: en facilem precibus Deus omnibus aurem
Applicat; ergo Deo, quid petis, ore refer.
Nil proſunt tot verba: meo ſatis explicat, inquis,
Unguentum Medico, tabe quid aegra velim.
Hoc vocis ſua pondera habet, Medicumque precatur,
Ut plagis Animae ſit medicina meae.

Dilexit multum.

JUſtitiae cùm Sole procul vaga Magdala abiret,
Friguit heu multum, facta in amore gelu!
Nunc redit ad Solem, flammiſque potentibus intus
Aeſtuat, & multum plena caloris amat.
Et bene; nam factis reſpondent ultima primis.
Ignis debuerat non minor eſſe gelu.

Remittuntur tibi peccata: vade in pace.

O Nimiùm felix! tibi crimina cuncta remittit
Qui tua ſe ſentit per malefacta mori.
Nunc equidem, cùm ſorde cares, in pace bearis.
Solus habet pacem qui ſine ſorde Animae eſt.

De Sancta Anna, cui Angelus Gabriel annunciavit, naſcituram ex ipſa Filiam, Meſſiae Genitricem.

Po-

Digitized by Google

Pone tuas, David de ſanguine nata, querelas
Anna; ſat eſt lacrymis, ſuppliciiſque datum.
Jam ſteriles fugere dies. Nunc Aliger Aethrae
Mater io laetâ voce triumphe canit.
Progeniem emittes certo ſub luminis auras
Tempore; & illa Dei non niſi Mater erit.
In magnum ſic probra tui vertentur honorem,
Et dolor aeternam cordis in ambroſiam.
Et bene. Amaritie ſterilem ſi poena replevit,
Facta Parens, animi gaudia plena meres.

Sanctus Ignatius de Loyola, litterarum inſcius, admirabilem Exercitiorum librum componit.

Myſtica componit ſcriptis Ignatius aureis,
Spiritus unde ſibi ſternat ad Aſtra viam.
Ingenio nec parta ſuo eſt ſapientia rerum,
Sed virtutis adhuc dicitur eſſe rudis.
Ille profunda tamen, quo tramite creſcat eundo
Spiritus, excelſo dat documenta ſtilo.
Qua ratione poteſt mirandas ſcribere normas,
Cùm procul a ſtudiis duxerit ipſe dies?
Nempe viro Omnipotens Manreſae oracula pandit.
Myſtica, quid mirum, ſi monumenta notat?

Menſe Auguſti.

In laudem Divi Cajetani Thienaei, qui nocte natalitia Infantem Jeſum a Sanctiſſima Virgine in ulnas ſuas accepit.

Nox erat, & Divus teneri ad praeſepia Jeſu
Fervidus orabat cordis amore ſui.
Hic placuit ſibi cordis amor, natumque precantis
Depoſuit manibus Virgo Puella Deum.
Pura Thienaeus tunc figens oſcula labris,
Urier admoto ſenſit ab igne ſinum.
Hunc ego non miror tantis arſiſſe favillis;
Miror at in tantas non abiiſſe faces.

Sancta Clara, allato Eucharistiae Sacramento ad Monaſterii ſui portam, Saracenorum hoſtium fugat exercitum.

Arma ſonant, fremit arma phalanx inimica pudori,
Virgineoſque ſtudet depopulare Choros.

Damna timent caſtae, turpiſſima damna, Sorores;
Debilis horrendum ceu pavet Agna Lupum.
Sed quid tantus habet menteſque, & pectora terror?
Tuta avidas fugiunt lilia veſtra manûs.
Cernite. Clara Parens turmarum ante ora frementum
Suppliciter Dominum fert venerata ſuum.
Non opus eſt alio. Veſtra eſt victoria. Turmas
Perdat ut hoſtiles, ambulat ecce Deus.

In dormitione Beatae Mariae Virginis.

ARdet Virgo Parens ſuper aethera viſere Gnatum,
Dimidiumque Animae, deliciumque ſuae.
Seu legat Occiduum, ſeu littore ſurgat Eoo
Phoebus, inexhauſtâ reddere luce diem,
Ingenio ſedet uſque ſuo Dilectus; & aureo
Illius ore carens, vivere Virgo nequit.
Haec ſibi ſola Animam, tacitas haec flamma medullas
Excoquit, Icarii ceu Canis ardor agros.
Nec longas ſcit ferre moras. Inceditur aeſtu;
Et potis eſt ſolo Martyr amore mori.
Cur tot, Chriſte, faces? poteras ſibi dicere ſolùm:
Ceſſit hiems, imber ceſſit: Amica veni.

In Divi Bartholomaei encomium.

SI mihi (dixiſti) debentur vulnera, totis
Sim, Deus, in membris unica plaga, precor.
Sanguinis ex venis largus fluat omnibus imber,
Regnet & in toto corpore nulla ſalus.
Haec tua vota Deus facili bibit aure Magiſter,
Votaque conceſſit pondus habere ſuum.
Nanque tibi Aſtyages, Fidei cùm vera docebas
Dogmata, detraxit, Bartholomaee, cutem.
Scilicet ut meritò tu dicere, Apoſtole, poſſes:
Non habet in nobis jam nova plaga locum.

Ad Sanctam Patriciam Virginem.

DEſeris intrepido Byzantia moenia greſſu,
Connubiale procul diffugitura jugum.
Teque tacens committis aquis, properaſque per aequor;
Virgineoque petis limina tuta foco.
Regis at inſtructam mox expedit ira triremem,
Comprimat ut curſus gens furibunda tuos.
Ocyor ergo agiles jaculis aequantibus euros
Evolat undoſi regna per ampla Jovis.
Inſequitur, jam jamque premit: tamen aequore aperto
Teque, tuamque nequit turba videre ratem.

Non

Digitized by Google

Non videt haec meritò praedam, ſit proxima quamvis.
Caecus enim reddit lumina caeca furor.

In linguam, & cor incorruptum Beati Joſephi Calaſanctii, Scholarum Piarum Fundatoris.

FErvida cùm Pietas, Joſeph, te duceret, ad cor
Eſt Deus, eſt Virgo ſaepe locuta tuum.
Lingua dein retulit quid corde effluxit ab igneo;
Et ſapientis opes emicuere animi.
Linguaque, corque tuum nunc ſpirant vivida, nullas
Mortis abhinc longo tempore paſſa vices.
Unde vigore ſuo poſt ſaecula vivere poſſunt,
Labilis in cinerem ſi caro quaeque redit?
Tu Cherubim linguâ, Seraphim tu corde fuiſti.
Vivida jure igitur linguaque, corque vigent.

In ejuſdem Beati ſanguinem, qui perinde atque recens effuſus, ad haec uſque tempora conſpicitur.

DIvus obit, Mariae repetens, & nomina Jeſu:
Sanguis at emiſſus funere vivit adhuc.
Longa perire nequit quidnam poſt tempora ſanguis?
Creſcere vel vivax qua ratione poteſt?
Ille eſt virginei de venis ſanguis Ioſeph.
Creſcere rite poteſt, rite perire nequit.

In decollatione Sancti Joannis Baptiſtae.

FLava genas, redimita comas, auroque crepanti,
Et ſaturum argento pulchra Puella ſinum:
Pictaque acu tunicas, collumque revincta monili,
Aſpectumque nitens, blandaque tota modos;
Circinat orbe ſolum Galilaei ante ora Tyranni,
Et nimis ad choreas illecebroſa jocat.
Ad numerum dum membra movet, Veneriſque calorem
Suſcitat, Herodes gaudia plena bibit.
Tum choreae in pretium, Saltatriciſque levamen,
Quicquid amet, largâ tradere jurat ope.
Reſpuit haec Regni promiſſam callida partem,
Baptiſtaeque ſibi quaerit habere caput.
Ergo ſi poſito Regno caput appetit unum,
Pluris adhuc Regno ſcit valuiſſe caput.

Menſe Septembris.

De Sancto Stephano Hungariae Rege, cujus dextera, cetero reſoluto corpore, permanet incorrupta.

LIs Caelumque inter, Terramque increvit, & alto
    Plena fuit zelo, plenaque honore fuit.
Unum vult Stephanum, Stephanum petit altera ſecum.
    Illud, & iſta animo dimicat eſſe ſuum.
Vult Caelum, meritos ineat ſuper Aſtra triumphos.
    Pauperiem recreet munere, Terra petit.
Quid faciat? litem componit amabile Numen;
    Et laetum proprio pignore utrumque facit.
Evocat Omnipotens ad Caeli culmina Regem;
    Regis & intactam dat tibi, Terra, manum.
Plura quid optatis? viciſtis utrumque viciſſim.
    Caelum, palma tua eſt; palmaque, Terra, tua eſt.
Plaude tuo, Caelum, nunc Regi plaude. Triumphos,
    Vivit io tecum, ducat ut ille ſuos.
Terra, ſimul plaudas. En tecum dextera, egenis
    Ut ſua diſtribuat munera, vivit io.

Sancta Candida junior vitam ſuam poſuit pro Filio, & Conjuge, infirmis.

VIrque, puerque tuus morbi ſub pondere ſqualent.
    Vix tenuem ſervant, quae tegat oſſa, curem.
Nec ſeſe morti parat aeger uterque propinquae.
    Scilicet haec animo ſurgit amara ſuo.
Quid facias Sponſo, tenero quid, Candida, Nato?
    Triſtibus ambotum conſulis una malis.
Ut mors te rapiat, productaque vita ſit illis,
    Multa Deum lacrymis, & prece multa rogas.
Sic tibi, Diva, mori dat Numen amore; ſuamque
    Funere habent vitam Virque, puerque tuo.
Cedite nunc Aſiae, Romanae cedite flammae.
    Neſcio, quid Tellus hac face majus habet.

In Exaltatione Sanctae Crucis.

DIcitur incomtis Solymam fleviſſe capillis,
    Et plenum lacrymis exhibuiſſe ſinum:
Dicitur & gravibus jacuiſſe doloribus ictam,
    Unica cùm Domini Crux ſibi rapta fui eſt.
At ſacra cùm Domini Crux reddita, ibique locata eſt,
    Golgotha verticibus quà ferit Aſtra ſuis,

Dicitur incomtos & diſpoſuiſſe capillos,
Et vacuum lacrymis explicuiſſe ſinum:
Et vertiſſe graves in gaudia ſumma dolores,
Gaudia, perpetuo non moritura die.
Quis te, Crux Domini, non geſtiat eſſe receptam,
Si gaudent Lacrymae, gaudet & ipſe Dolor?

Sanctus Thomas de Villanova morti proximus lectulum a paupere eodem habuit commodatum, cui antea dederat in eleemoſynam.

COnfluit ad Thomam, quam plurima torquet egeſtas,
Turba; inhiatque gravi ſueta alimenta fame.
Ampla ſuae Praeſul dat munera providus arcae,
Pauperiemque, Animae quo calet igne, levat.
Largus ubi exhaurit Pater omnia rebus in arctis,
Fit pauper, nec habet, quas magè donet opes.
Vix ſupereſt lectus, lectum quoque donat; & aegro
Nuda per aerumnas fit ſibi terra torus.
Indolet infirmum lecto ſpectare carentem
Pauper, & hunc Domino commodat ipſe ſuo.
Sic moritur: proprium quò nil habuiſſe feratur
Qui bona factus inops ſuprà aliena perit.

Sanctus Januarius Epiſcopus ad juſſum Timothei Judicis, cui oculis capto lumen reſtituerat, gladio percutitur.

LUmine triſtatur cùm captus utroque Tyrannus,
In te, Dive, ſuas non agit ille minas.
At ſibi prodigio cùm perdita lumina reddis,
Protinus indigno te jubet enſe mori.
Naturae quis deinde neget contraria legi,
Si modò damna juvant, & benefacta nocent?

Sanctus Euſtachius Venator a Crucifixo, qui inter fugientis Cervi cornua eminebat, ad caeleſtis vitae praedam invitatus eſt.

TU fugis, & fugiens ad caelica dona ſequentem
Suavibus invitas vocibus Euſtachium.
Non fugis, Euſtachii ut fugias vicina, Redemptor,
Spicula: ab Euſtachio, quó capiare, fugis.

Menſe

Digitized by Google

Menſe Octobris.

In imaginem Sancti Franciſci Aſſiſii.

DIve, quis hac olim te finxit imagine Pictor?
Exprimit aſpectum quàm bene imago tuum!
Tu gemis, illa gemit; gaudes tu, gaudet & illa.
Teque calente calet, teque rogante rogat.
Stigmata tu plantis fers, haec fert ſtigmata plantis.
Sunt tibi, ſunt olli vulnera utrâque manu.
Et tibi transfixum latus eſt quaſi cuſpide, & huic eſt.
Vulnera utrumque animant; ſanguis utrumque lavat.
Par decus, & diſpar. Franciſci haec vivida imago;
Tu Franciſce tamen vivida imago Dei es.

De Sancto Brunone, qui in ſomnis Sancto Hugoni Epiſcopo tamquam ſtella ad ejus pedes corruens apparuit.

LAnguida concedit placidam per membra quietem
Praeſul, & in ſomnis myſtica ſigna videt.
Bruno, velut plenis circumflua ſtella favillis,
Corruit ante ſuos nocte ſilente pedes.
Stella quid iſta monet? pedibus, ne longiùs errent,
Fortè ſuâ ad Caelum lampade ſignat iter.

Sanctus Franciſcus Borgia videns Iſabellae Imperatricis jam mortuae vultum foedè commutatum, Deo unicè inſervire vovet.

SOrde putrens Iſabella jacet, mutataque ab illâ,
Cujus in ore nitens gratia tota ſtetit.
Membra vel horrorem ſpirant ſtillantia tabo,
Inficit aſtantes qui gravis halat odor.
Pronus in hanc oculos vertit Franciſcus, & omnium
Ipſa hominum quàm ſit vita caduca, legit.
Ac ubi ſunt, inquit, majeſtas aurea frontis,
Et decor, & charites, formaque prima ubi ſunt?
En Regina jacet: fluit undique, & undique tabum:
Aptaque ſit corpus vermibus eſca ſuis.
Ergo quid aula juvat, tumidam quid tollere pompam,
Aut avido Regum ſtare miniſterio,
Si peſtis fumus, & faſtus mors diſſipat omnes?
Felix, ſervitium qui tibi, Chriſte, vovet!
Talibus ignito majores pectore flammas
Concipit, ac Jeſus ſit ſibi ſolus amor.

Tum

Tum creſcente Pater mortem ſpeculatur in aeſtu.
 Scilicet hanc fixam mente, animoque fovet.
Cedite Philoſophi: Sophia eſt meditatio mortis.
 Vos tamen haud mortis cura vel una tenet.
Volvit mente frequens hanc Borgia, ſeque caducum
 Ruminat. Hunc verum quis neget eſſe Sophum?

Diva Thereſia ſuis vexatur infirmitatibus.

DUm vario languet cruciata Thereſia morbo,
 Et nunc igne calet, nunc tremit acta gelu,
Mors, & Amor fortes inter ſe praelia miſcent;
 Matris uter tantae pulchra trophaea legat.
Mittere curvato Mors ſpicula fervet ab arcu,
 Ut cadat illa ſuis ſaucia miſſilibus.
Fervet Amor plenâ depromere tela pharetrâ,
 Jactet ut e manibus deperiiſſe ſuis.
Spicula uterque jacit, ſed nullo vulnere: Amoris
 Spicula Mors, tundit ſpicula Mortis Amor.
Soſpes ab amborum dum vivit arundine Virgo,
 Victus uterque fugit, victor uterque redit.

De eàdem, quae potius divini Amoris, quàm morbi vi Animam ſub Columbae ſpecie exhalavit.

PRaelia Mors longos commiſimus, inquit, in annos;
 Utri parta ſuper Virgine palma foret.
En jacet exanimis poſt bella Thereſia: Vici.
 Ergo cede meo robore victus Amor.
Hic contrà: quin cede meis tu victa ſagittis.
 Saucia nam Virgo vulnere Amoris abit.
Inſpice, ſub ſpecie ceu pervolat illa Columbae;
 Utque meas pandit, dum ſubit Aſtra, faces.
Mors autem: ſpecies non indicat iſta triumphum
 Eſſe tuum: periit Virgo; opus ergo meum eſt.
Quid blateras, ait ille, mihi? dic: nonne Columbae
 Caelicus aſpectu ſignificatur Amor?
Si volat hac formâ, victorem oſtendit Amorem.
 Cede: decet flammas gloria parta meas.
Talia jactabant, cùm vox ſonat aethere: Amantum
 Praemia Sponſa mei victima Amoris habe.
His fugit aeternas Mors indignata ſub umbras.
 Cernere Victoris non ſinit ora pudor.

Sanctus Petrus de Alcantara rapidos fluvios ſicco pede tranſit.

AMbulat immenſi Jeſus ſuper aequoris undas;
 Peſque tumeſcenti nil madefactus aquâ eſt.

Praecipiti Petrus labentia flumina curſu
Trajicit; & madidos non facit unda pedes.
Sunt ſimiles, tamen hiſce modis: miracula factis
Iſta docet Jesus, diſcit & iſta Petrus.

Menſe Novembris.

Sanctus Andreas Avellinus mirabili ſplendore circumfuſus, inter pluviam nil madefactus eſt.

INtempeſtivis ruit arduus imbribus aether.
Nec madet Andreas, fundit at ore jubar.
Nil mirum. Sphaerae Sol eſt Sebethidis alter.
Sol micat, & nullo deſuper imbre madet.

De Sancta Gertrude, in cujus corde divinus Amor jucundum ſibi poſuit habitaculum.

VEnatum jaculis Animas, arcuque ſonanti
Omnia tendebat per loca dius Amor.
Cùm videre manu tentantem figere vulnus,
Longiùs unanimes corripuere fugam.
Nemo ſuis voluit data praeda jacere ſagittis.
Ergo labor teneri vanus Amoris erat.
Haec ubi Gertrudis novit, quid perdis inanes,
Inquit, Amor, curas? clàm jaculare juvat.
Huc ades, atque mei celer abdere cordis in imo.
Inde triumphali ſpicula mitte manu.
Dilecto placuit ſententia Amantis Amori;
Inque ſuo elegit corde locare Thronum.
Ex illo cùm torſit Amor ſua tela receſſu,
Multa ſuis venit praeda cupidinibus.
Tunc Amor: ut longos Animas ego lucrer in annos,
Aptior in toto non datur Orbe locus.

Sanctus Felix de Valois adhuc Infantulus nummos propria manu diſtribuit pauperibus.

FElicem pius urget amor, dum cernit egenos
Pauperiem miſerâ conditione pati.
Sumere nec requiem potis eſt Infantulus ullam,
Ni prius aerumnas, quâ valet arte, levet.
Conſona pauperibus nummorum pondera donat
Pupulus; atque inopes hac recreantur ope.
Qualis erit Felix, tacitis ubi creverit annis?
A puero, ſi vis noſcere, diſce Senem.

San-

Digitized by Google

Sanctus Clemens Papa, alligata ad collum anchora, Trajani juſſu in mare dejicitur.

ORe tonat Clemens, divinaque dogmata pandit,
Dogmata, prodigiis nobilitata ſuis.
Attonitâ bibit aure ſonum Gens excita, & alto
Chriſtiadum ſequitur lumine ducta Fidem.
Rumor inhumanas Trajani ut percutit aures,
Saevior exardet dura per oſſa furor.
Pontificem tumidis ſubmergier imperat undis,
Relligio ut ſocio cum Duce merſa cadat.
Sed cùm Divus obit, fluctuſque, undaeque recedunt,
Siccaque per profugum ſemita facta mare eſt.
Protinus aſſurgens medio patet aequore Templum,
Anchora ubi Divi, relliquiaeque nitent.
Turma frequens properat, corpuſque reclinis adorat;
Viribus unde Fides eſt magis aucta ſuis.
Iraſci Fidei neſcis, ſtultiſſime Caeſar.
Quam cupis extinctam, creſcere honore jubes.

De Sancto Petro Alexandriae Epiſcopo, qui primus Arium a Fidelium communione ſejunxit.

SAcra Dei veſtis dicta eſt Eccleſia, & iſtud
Jubilat in titulis nomen habere ſuis.
Hanc toto lacerare ſtudet molimine Arius;
Hujus & ingenio ſola ruina ſedet.
Petrus in exitium cùm lumina prima retorquet,
A Chriſti Haereticum ſeparat agminibus.
Talia non patitur ſuccenſus Arius in iras;
Infremit, & queſtus mittit ab ore ſuos.
Quid quereris, ſejunctus Ari per crimina? factis
Reſpondent primis ultima. Quid quereris?
Debacchante Dei veſtem tu dividis auſu;
Teque a veſte ſui dividit ille Dei.

De Sancto Andrea Apoſtolo.

VIderat Andreas pendentem e ſtipite Jeſum,
Orantemque ſuae tempus aduſque necis.
Hanc, ait, o poſſim poſthac occumbere mortem!
Ignibus iſta meis gratia quanta foret!
Pectoris ardentem novit Reparator amorem;
Providus & votis annuit ille ſuis.
Nanque Senem pleno myſteria ut ore ferentem
Audiit Aegeas, torruit ira ſinum;
Affigique Cruci juſſit. Sic pendulus orans,
Tempora anhelato finiit interitu.

Diſci-

Diſcipulum quis dein ſimilem neget eſſe Magiſtro?
Sub Cruce uterque orat, ſub Cruce uterque perit.

Menſe Decembris.

Sanctus Franciſcus Xaverius ſigno Crucis marinam aquam convertit in dulcem, qua & ſitibundi recreati ſunt, & plures infirmi ſanati.

VIx lignum Moſes in amaram projicit undam,
Illa fit Hyblaeâ dulcior ambroſiâ.
Nempe figura Crucis fertur venerabile lignum,
Unde venit tanti gloria prodigii.
Grandia Franciſcus myſteria noſcit, & illis
Utitur, ut certum porrigat auxilium.
Nanque ſiti ut Populum videt exardeſcere, amaras
Compoſitâ in dulces mox Cruce vertit aquas.
Potat aquas qui morbo agitur, qui faucibus aret.
Hic recreat vires, liber & ille nece eſt.
Confer utrumque ſuis nunc factum eventibus. Ægris
Neſcio quid ſalvis hoc melioris habet.

Sancta Barbara Virgo a Patre ſuo Dioſcoro occiditur.

ARdet inhumanus bacchante Dioſcorus irâ,
Perſtat ubi in verâ firma Puella Fide.
Tum Natae impatiens crudelia vulnera figit.
Illa Patris ferro, mitis ut Agna, cadit.
Si duri moritur Patris enſe peremta cruento,
Filia non ergo eſt barbara, at ipſe Pater.

Sancto Ambroſio Epiſcopo, in cujus Infantis ore examen Apum conſediſſe perhibetur.

INdiciis ſi coetus Apum memorabile pandit
Illius eloquium, quem ſuper ipſe volat,
Proh Populis quàm dulce ſonans, quàm mellea fandi
Illa tuae linguae copia, Praeſul, erit!
Nanque ubi vagitus inter cunabula mollis
Pupulus edebas, ſedit in ore tuo.
Hoc docuit ſigno, te corda vel aſpera, & acres
Mox leniturum per genus omne animos.
Sic erit. Haereticos, mordacis & agmina Arii
Ad Fidei gremium, vi ſuperante, trahes.
Quid ni? Caeleſtem proprio cùm nomine jactes
Ambroſiam, & mittas mellis ab ore favum,
Oppoſitâ ſit mente licet, dulcedine tantâ
Quiſnam, qui ſubitò non capiatur, erit?

San-

Sanctus Spiridion Epiſcopus charitate fervidus obſtantem torrentem ſiſtitit, ut Innocentem, qui capite damnatus erat, liberatum iret.

IMpedit unda viam, ne liberet igneus Heros
Damnatum capitis quem ſine labe videt.
At nutu ſtetit illa ſuo, cúm numine Praeſul
Plenus ait: curſus nunc age ſiſte tuos.
Haec ego non miror validae miracula vocis.
Ille ſuis Moſes nutibus alter erat.

In feſto Sanctorum Innocentium.

SPreverat Omnipotens humana piacula quondam.
Agnus in Altari, Taurus, & Hircus erant,
Nunc caeſi feriente cadunt mucrone Puelli;
Et placet Infanti victima ſpreta Deo.
Qua ratione? Patri caeſus ſimul ipſe placebit:
Quid mirum, Infantum ſi ſibi ſacra placent?

De Divo Thoma Cantuarienſi Epiſcopo, & Martyre.

MAgna velut rupes, tumidum quae prodit in aequor,
Ventorum rabidis obvia turbinibus,
Fert cunctas Caelique minas, pelagique furores,
Et ſtabili aeternùm ſtat bene fixa jugo;
Legibus Henrici ſic ipſe reſiſtit iniquis,
Stans animi Thomas, propoſitique tenax.
Ergo nulla ſuam vertit ſententia mentem;
Nec prece, nec furiis, nec ruit ille dolis.
Obſtat; & impavidus defendit amica Tonantis
Jura, licèt mortem cernat adeſſe ſuam.
Et moritur; cerebroque ſuo per Templa profuſo,
Fulgida conſtantis dat monimenta animi.
Scilicet in tanto rerum diſcrimine, vita
Non poterat fortem ſola probare virum.

In Nativitate Domini

CARMEN BUCOLICUM.

VIderat expoſitum Bethlehem ſub rupe cavatâ
Frigoribuſque Deum, ventiſque diſertus Alexis,
Paſtor Alexis, erat quo non praeſtantior alter
Siſtere libratas per inania regna volùcres,

Digitized by Google

Lanigerumque pecus ſonitu mulcere cicutae:
Et lacrymis, tenero quas tactus amore citarat,
Intermiſſa oculos ſuffuſus ut arva reviſit,
Lene ſuſurrantes ſic carmina fudit in auras:
Hic locus, haec vallis, ſunt haec (neque ſomnia fingo)
Prata tuis, Jacob, gregibus ridentia quondam.
Hic puteus, comitante Pater quem prole bibiſti.
Cùmque ſuo occiduas ex culmine Paſtor in oras
Aſpiceres Phoebumque, & equos, currumque cadentem,
Impoſitum lapidem fontano ex ore movebas,
Duceret ut plenis pecus omne canalibus undam.
Ephrata, ſive Lehem haec tenuit rata nomina primùm.
Aſt ovibus poſtquam foecunda vireta dediſti,
Clarius invaluit Bethlehem per ſaecula nomen.
Hic teneras inter Rachel pulcherrima Nymphas
Aſpectu nemora alta ſuo, campoſque beavit
Dulce loquens, ridenſque alacri ter dulce cachinno.
O felix, nimium felix, cui contigit uni
Ducere conſortem poſt tanta pericla Puellam!
Sed felix magis, atque magis; tibi nanque propinquas
Aliger in terras promiſerat aethere ab aureo
Venturum Infantis lepidâ ſub imagine Numen,
Progeniemque Dei veram, augmentumque Parentis.
In fidei pretium tanto dignatus honore eſt
Ille ſenex, Caeli qui triſtia juſſa ſecutus,
Moria ubì ſummo vaga ſidera vertice tangit,
Innocuum nudo Pater Iſacon enſe petebat.
Vidiſſes Abram toto jam corpore niti
Dextram attollentem, & mortis nova fata minantem.
Miſſus at e largo citus affuit Ales Olympo
Juſſa ferens (primis contraria juſſa) per auras.
Candidus ergo aries, villiſque argenteus albis
Victima grata Deo pueri pro caede paratur.
Tuque o ter ductae Juvenis qui verbere fundae
Straviſti horribilem membriſque animiſque Goliam,
Plauſibus unde tuis Terebinthi exercita vallis
Ter circùm intonuit, ſonitumque dedere receſſus;
Tu quoque, Jeſſaeo de ſanguine prodite David,
Verbi Natalem fragili ſub tegmine noſti;
Quandoquidem ſubiere tuas promiſſa medullas.
Quis tamen edicti oblitum, legiſque ſeverae
Carmine vel tenui memorare reliquerit Adam?
Ne foret aeternùm Pater ille, atque omnis ab illo
Flebilis ad meritos damnata propago dolores,
Senſerat, acceptâ miſeri quòd imagine ſervi
Factus homo ſcelus omne Deus, Deus ipſe piaret.
Talia cùm ſupero veteres myſteria Patres
Flamine noſſe datum eſt, fovit ſua gaudia pectus,
Gaudia vitai primaevo incognita curſu.
Nunc quaecunque animis ſaeclorum ab origine Caelum
De Genito cecinit, pleno jam tempore habentur.
Ecce Deus, puer ecce Deus, qui pauper ariſtis

Com-

Compoſita, & paleis inter cunabula vagit.
Antrum informe, rigens, lapſurum hinc inde, cadentique
Aſſimile, atrarum domus opportuna volùcrum,
Queis trepidant alae, ſed muris cetera ſordent,
Dat miſeros pietate lares, ubi nixque, geluque,
Et pluviae, & venti, facto velut agmine, miſcent
Praelia, continuo gliſcentia praelia niſu.
Quocunque aſpicias, nihil eſt Infantis in antro,
Quàm viſu formae horribiles: Ærumnaque; egeſtaſque,
Et metus, & ſordes, nec non genus omne malorum.
Scilicet hìc triſtes poſuere cubilia caſus.
Interea aſperitate hiemis creſcente, puelli
Lacrymulae ſuper ora fluunt, perque excita currit
Oſſa tremor, tantoque vetat requieſcere luctu.
Ut gelidum poſſint, miſerabilem, & omnium egenum
Bos Dominum recreare ſuum, & defeſſus Aſellus,
Obliti, renuente fame, ſua pabula, circùm
Inſpirant tepidum ſtudioſâ ex nare vaporem.
Murice pro nitido, ac auro, pictiſque tapetis
Terga ſuperponit lacerata bidentis Ioſeph,
(Vilia frigoribus, nivibuſque obſtacula, & auſtris)
Cetera pauperies inhibet praebere Suorum.
Non ita egeſtatis tulit acria fata Menoetes,
Arcas, apud notae cui turbida flumina Lernes
Ars fuerat calamo deceptos ducere piſces;
Non Clito, atque Irus, Baucíſque, ſuuſque Philemon,
Fauſtulus, aut Codrus, vel Procula, & aeger Acoetes,
Cui Genitor nil, praeter aquas, hamoſque reliquit;
Suſtinet ut durae pauperculus omnia vitae
Bethlaeâ ſub rupe Deus faſtidia, factus
Opprobriumque hominum, viliſque abjectio plebis.
Cùm tot amara videt potantem abſynthia Gnatum
Virgo, genas lacrymis ſuffuſa tepentibus, heu quot
Vulnera alit totis, lethalia vulnera, venis!
Haec oculis, his, inquam, oculis aſperrima legi,
Subquè meo ſenſi cor pectore ſcindier aeneum.
O Amor, o divinus Amor! Tune ille Parentis
Filius aeterni, finiſque & originis expers,
Qui mare, qui terras, qui numine ſidera torques?
Verùm ubi digna tuo ſtat honore potentia? Summi
Fulget ubi Regis ſublimibus Aula columnis
Plena micante auro, flammaſque imitante pyropo?
Non ego ſceptra, alacri ſolium nec luce refertum,
Nec frontis compacta tuae diademata gemmis,
Principis aut famulos circùm cunabula vidi.
An paleae, & foenum, & deſpecta animalia, & ullâ
Facta ſine arte caſa, inſtantemque minata ruinam,
Sunt jubar omne tui, vel gloria tota triumphi?
At non haec ſpecies, Numen, tibi conſtitit olim.
Horrida cùm raucis ſtrepuere tonitrua bombis,
Terrificaeque tubae; voceſque, ignique ſcatentes
Lampades, & creber vibratus ab aëre fulgor,

Monſ-

Digitized by Google

Monſque vomens fumum, caligantelque tenèbras
Pallidum intulerunt turbata per oſſa pavorem;
Pulſaque Sinaeae tremuere cacumina ſilvae.
Cerneris heu quantùm Domino mutatus ab illo,
Cui rata majeſtas, auſuſque praeibat, & horror!
Populus imbellis, tractabilis, enudatus,
Quae mens cunque putat, graviora incommoda ſuffers.
Heu quantis, divine Puer, te credulus Adam,
Poſteritaſque malis onerat; ſuper impia terrae
Facta tamen, graveolente premunt mea crimina coeno!
Ipſe hominum (fateor) pars ſum permagna reorum.
Perfidus in tantas abſtraxi ex aethere poenas,
Flagitiiſque meis temet ſervire coëgi.
Et primâ bene luce tuus patet angor, & uni
Multa quis inſonti fuerit tot cauſſa dolorum.
O crudelis Alexi! Dei nil ſpaſmata curas?
Nil pueri miſerere? Mori ſic cogis Amantem?
Blandule pupule, candidule, & rubicundule Amor mi,
Spicula verte, precor, tua ſpicula verte: meum cor
Qualiacunque feres, ad vulnera dia paratum eſt.
Sume igitur, rerum Omnipotens, arcumque pharètramque,
Ac unum, ſiqua eſt pietas, in me omnia Victor
Conjice tela manu, flammiſque accende volentem.
Si dabis in tacitas quoque Alexin abire favillas,
O me felicem! me terque quaterque beatum!
Id potes, aeternò nam ſumma potentia Tecum.
Nutibus ecce tuis ſaecli novus eminet ordo;
Terraque ſub rigidis Erymanthidos ictibus Urſae
Parturit incolumes per aperta, per invia flores.
Hic caryophyllon, cyanuſque, & mollis acanthus,
Narciſſique, roſaeque, & purpureae amethyſti;
Flammeolis illic rident vaccinia calthis,
Lilia, gelſimini, & lactis convolvolus inſtar,
Anthemis, & ciſtus, verſuſque holochryſus in aurum,
Tulipaque, & crocus, & gracili colocaſia filo.
Sed lytrum, & caſiam, granadillaſque, hyacinthoſque,
Hos inter video quidnam conſurgere flores?
Hei mihi! ferali referantur germine luctus,
Paſſio, morſque ſuis, & certa redemptio ſignis.
Eligis ergo mori poſt tot diſcrimina rerum,
Ad vitam mortale Genus quó ſurgat Olympo?
Blandule pupule, candidule, & rubicundule Amor mi,
Formoſae Matris Natus formoſior ipſe,
Vel rape me, vel dura pati Deus inſtrue amantem.
Ad poenas (o fixa meis praecepta medullis!)
Langueo amore tuas. Heu me quis fulciat! o quis...?
Talia dicentem, quin dicere plura parantem
Inter deliquium vox aegra reliquit Alexin.

CARMINUM
LIBER V.

Author dictus inter Arcades Oneſſus Bolimeius, morte Petri Antonii Romani, fratris ſapientiſſimi, ſub Daphnidis nomine lacrymatur.

SCilicet iſta gravi deerant augmenta dolori,
Ut poſt danda typis Operum monimenta tuorum,
Daphni, meus frater, rerum dulciſſime Daphni,
Eriperere mihi, mox funere merſus acerbo,
Cùm roſeas juvenilē decus tibi pingere malas
Pergeret; atque Domus, te ſoſpite, firma maneret.
Cryptarum ſic ergo decus, bone frater, obiſti?
Nec quicquam in cultos pietas exercita Divos,
Nec foecunda tui ſapientia profuit uſquam
Ingenii? Nec cana fides, nec ſplendida honeſtas
Praecocis immunem te Mortis ademit ab ictu?
O me infelicem, tantâ ſub mole malorum!
Quae pejora habeam? nunc altè vulnus adactum eſt;
Inviſus ſum quippe Diis; haec fertur origo,
Eveniant cur cuncta meis contraria factis.
Nam trepidas implevit ubi mihi nuntius aures,
Te morbo nimiùm gliſcente jacere gravatum,
Quae non praecipuis oneravi Altaria donis?
Quos lacrymans Divos non ipſa in vota vocavi,
Tam cari annuerent Capitis producere ut annos,
Morbus & effugeret, vireſque ſaluſque redirent?
Sed fruſtra lacrymans Divos in vota vocavi,
Fruſtra praecipuis oneravi Altaria donis.
Obſtruxere aures ſibi Numina, & ire ſonoris
Ludibrium mea dona notis, & vota dederunt.
Tunc oculos ſtetit ante tuos Mors horrida in armis:
Illam adventantem riſu vultuque ſereno
Spectaſti; nec te duro certamine inermem
Terruit aſpectus, quo non truculentior alter.
Aſt age rumpe meae (muſſaſti) imbellia vitae
Stamina rumpe libens; cupidamque e carcere caeco
Corporis hanc diſſolve Animam. Cùm pace quieſcam,
Liber inibo domum Domini plaudentibus alis,
Ceu ſua me pietas animas ſperare fidelem.
Conſtantem indignata modum Mors invida, falcem
Impulit incurvam, & celeri te meſſuit ictu.
Viſus es in molli tunc, Daphni, jacere cubili,
Virgineo qualis decerptus pollice Nymphae
Albâ aut gelſiminus, rubicundâ aut fronte hyacinthus,
Cui neque ſplendor adhuc, neque pulchra figura receſſit,

Saepius eſſe, meos poterant avertere ſenſus.
Non me quippe fugit, quot curas ille ſubivit
Anxius, aut quantos toleravit amore labores,
Ad ſtudium, atque artes ut me formaret amicas
Palladis, & quotquot virtutum inſignia habebat.
Muneris unde ſui totum eſt, quòd carmina condo.
Ingenii mihi ſiquid ineſt, quod debile teſtor,
Aut ſi parte probor, fratris de munere venit.
Atque ideo officio vigilaſſem, ne quid inauſum,
Aut intentatum auxilii, rerumque fuiſſet.
Verùm non licuit ſervire, & Daphnida acerbos
Ante obitus ſpectare avidi ſolamine cordis;
Congreſſuque frui, farique noviſſima verba,
Et pſalmis Animam, precibuſque juvare migrantem.
Ah dolor! Ah pietas! Exanguia lumina deflens
Non preſſi: Exequias non ſum comitatus: & olli
Non potui infelix ſub tempore adeſſe ſupremo.
Fulmine nunc jaceo afflatus: mens vanuit omnis,
Omnis & exceſſit laſſo de corpore ſenſus.
Heu frater mihi ademte repens, dulciſſime frater!
Quando aderas, aderânt vivo mea gaudia tecum;
Jucundae tecum curae, jucundaque tecta.
Hinc abes; extincto hinc abſunt mea gaudia tecum;
Te ſine ſunt curae inſuaves, inſuavia tecta.
Triſte rati in medio tempeſtas horrida ponto,
Triſte ſuperfuſi maturis frugibus imbres,
Triſte ovibus porrigo; meae tua funera vitae.
Quae poterit miſero poſthac mihi ineſſe voluptas,
Si te perpetuùm ſpes eſt ſublata videndi?
Occidit Oceani cùm Sol demerſus in undas,
Ore diem referens formoſior exit ab undis:
Cùm ſpoliavit hiems frondenti germine ſilvas,
Vere novo redeunt frondentia germina ſilvis:
Aſt homini nec amoena ſuo cum vere juventus,
Merſa nec immiti ſua funere vita revertit.
Scilicet extremum poſtquam Mors intulit ictum,
Obruta in aeternam clauduntur lumina noctem.
Jure madent igitur geminis mea pectora rivis.
Seu tenebras Veſper, ſeu lucem ducit Eous,
Me flentem Veſper, flentem me cernit Eous.
O ſaltem pactis, dum fata Deuſque ſinebant,
Cuſa typis eſſent ſtudiorum Opera alta tuorum!
Non equidem totum flerem mihi turbine ademtum,
Omnia volventem tetrâ caligine Mortem
Vitaſſet pars multa tui. Bene prodita dignum
Laude vetat prorſus ſapientem occumbere virtus.
Te Beruana cohors, te fertilis accola Nili,
Qui bibit Euphratem, qui proterit Apenninum,
Nomine te celebri per docta volumina rerum
Noſceret, excelſiſque legens applauderet auſis.
Sed mihi ſepoſitis creſcentia gaudia curis
Latiùs hanc Animam noctuque diuque bearent,

Cùm

Cùm tua diſcendi ſtudio exemplaria haberem.
Illuſtrata tuo ſunt Biblia Sacra labore:
Sunt Veneres & mille: Poëmata longa Latinae,
Et Tuſcae lepidum reſonantia carmina Muſae;
Quandoquidem omnimodis valuiſti interprete linguâ,
Et Vates datâ fila movens teſtudinis aureae
Dulce ſuſurrantis ceciniſti ad amoena Galeſi
Littora: Maeandri qualis moriturus ad undas
Cantat olor, qualis Lydi prope ſtagna Cayſtri.
Sermones referam quid quadraginta, diebus
Sacratos cinerum, ut lacryment ſua crimina fontes?
Quid Criticam, Veterum ſalibuſque notiſque refertam,
Quidve Panegyricos, non ultima munera, libros,
Quorum ego praecipuam ſcripſi ſub verbere partem,
Cùm tremerem tua juſſa miſer, rigidumque Magiſtrum?
Compoſitum ſtudioſa tuo molimine Elenchum
Authorum ſtupuit Siren, Operumque ſuorum,
Mirandaſque notas, queis noſcitur unde ſit ille
Maximus ingenio, rudis Ennius arte Poëtae.
Hunc Heroa, ſuum cui rite canora Maronis
Muſa decus debet, Rudiae genuere vetuſtae;
Urbe ſed excisâ, mea Patria venit in auras.
Hinc caput attollunt ſuper ardua ſidera Cryptae,
Patria cara mihi, nec non Scriptoribus illis.
Cetera, ceu biberim pallentia pocula Lethes,
Ex animo cecidere meo: tamen omne per aevum
Aſſererem gemuiſſe gravi ſub pondere magnam,
Daphni, tuae oppletam mentis tot foetibus Arcam.
Haec autem ingenii monimenta ſuperba magiſtri,
Te moriente, manus ad furta inſignia natae
Secreto duxere ſuas ſub tempore in aedes.
Tum neque Mater anus, neque Avunculus obſitus annis
Praeſenſit cautoſque dolos, turpemque rapinam.
Foedera amicitiae, ſanctiſſima foedera ficto
Ore recenſentes, Romana palatia inibant;
Mens Arcam tamen omnis erat vacuare diſertam.
Crimina latronum quis talia forte putaſſet?
Fallimur: induitur vitium virtutis amictu,
Excipiturque magis, metamque attingit amicam.
Hiſce malis modò nulla patet medicina: quid angor?
Cauſſa perorata eſt: unum hoc rogo Numina, ut omnis
Nunc, olim, quocunque dabunt ſe tempore caſus,
Natio cognoſcat furtumque doloſque malignos.
Si Cryptarum aliquo de Jactatore ſub auras,
Nomine mutato, fraterna volumina ſurgent,
Dicat io exclamans, & quaelibet audiat aetas:
Hoc Daphnis ſudavit opus, tulit alter honores.
Exitium tantum, & nullis reparabile factis
Romanae haud gemerent lacrymis undantibus aedes,
Si tu Mors fallax, Mors barbara, terribilis Mors,
Vivere Palladiâ plus Daphnida in arte ſineбas.
Aſt virtutum operam fata aſpera, opeſque ſecundas
Se-

Sedibus invidere meis. Ex culmine in imum
Dejecere ſitum. Proh quanta ruina redundat!
Sola dies poterit ſeriem lenire malorum.
O mihi ſi talem concedant climate in aureo
Aſtra videre diem, quam fortibus urgeo votis,
Tum levior mihi vita, aliquâ tum pace quieſcam.

OLim delicium domus paternae,
Meum corculum, amabiliſque ocellus,
Origo mihi amara nunc dolorum,
Frater optime; te novem Sororum
Enutrivit amor ſinu puellum:
Et Phoebus pater, & benigna Pallas
Certatim artibus imbuère amicis,
Saleſque, harmoniamque, copiamque, &
Scribendi variam, inclytamque formam
Dederunt tibi, ut elegantiarum
Dives omnium, & omnium leporum
In longum Patriae decus niteres.
In te enim renovare geſtierunt
Catullumque, & Horatium, & Maronem,
Et Craſſum, Tacitumque, Tulliumque.
Monſtrarunt ſatis hoc tui libelli
Tam docti, numeroſi, & elegantes,
Heroum ingenium ut putarit aureo
Tantae pignora lucubrationis
Saeclo condita. Nec minus profectò
Terrarum Sapientibus ſapiſſent,
Quàm foecunda Opera eruditione
Catullique, & Horatii, & Maronis,
Et Craſſi, Taciti que, Tulliique,
Si Mors ſurdior Adriae procellis,
Iratâ truculentior leaenâ,
Et ferro horridior, tibi rapaces
Manus injicere auſa non fuiſſet.
Nam te lethiferum cadente ad ictum,
Typis nomine ſub tuo negati
Illuſtres periere tot labores.
Raptos ex Lare, dum ſonabat altis
Querelis, gemituque, naeniiſque,
Latrones bene tempus aucupati
Duxere (heu dolor!) in ſuos penates.
Quid hac luce magis, magiſque vitâ,
O dilecte mihi, quid ergo juvit,
Et cùm Sol radiis beabat Orbem,
Et cùm nox tenebris dabat ſoporem,
Mentemque atque animum periculoſis
Laſſare in ſtudiis Deae Minervae,
Si ſcriptos tibi ſuſtulere Faſtos
Doliſque inſidiiſque proditores?
Proh ſumma ambitio! diſertiorum
Authores Operum volunt videri

Qui nullam interioribus medullis
Salis micam habuere, opeſque nullas;
Vindicantque ſibi impudente vultu
Quicquid mens aliena parturivit.
Plumas o utinam ſuas venirent
Aves accipere! exteris mehercle
Denudata paratibus colorum
Quot Cornicula tinnulos cachinnos,
Quot dicteria, quot jocos moveret!
At deſiderium eſt inane, & aſtra
Incaſſum querimoniis laceſſo.
Quid poſſum facere hiſce ſub ruinis,
Extinctum niſi corde flere toto,
Quando dulce mihi nihil relictum eſt,
Quod triſtem hanc Animam levare poſſit,
Quàm ſuſpiria, lacrymae, & dolores?
Severiſſima Mors, ſeveriorque
Ipsâ ſaevitie, malis & ipſis,
Quae tantum citò ſuſtulit Magiſtrum!
Nunc fortaſſe dati typis libelli,
Queis nihil meliuſque, doctiuſque eſt,
Irent, quà furit aeſtuoſus ardor,
Quàque hiems Aquilonibus rigeſcit.
Nec jam nocte premi tenebricosâ
Authorem ſineret, ſed aucta acutis
Centum Fama tubis, per ampla Mundi
Ferret climata Sole clariorem
Sudorum in pretium; ſuumque nomen
Latè figeret inter aſtra Divûm.
Hoc mens candida, candidique mores
Merebant, probitaſque ſingularis;
Hoc & ingenium, eruditioque,
Quâ lumen, veteremque dignitatem
Ille reddere litteris amicis,
Peritiſſimus ille quivit Author.
Haec tamen meminiſſe poſt ſepulcrum
Nil prodeſt. Abiere cuncta peſſum;
Et fratris cineres, bonumque nomen
Triſtis contegit Urna, cùm ſuorum
Scriptor luce hilari caret librorum.
O fatum lacrymabile, & ſeverum!
Satis mente agitans ſuperque tanti
Caſus perniciem, aſperâ miſellus
Perdor moeſtitiâ, unde amara fiunt
Quae nectar Superûm, favoſque vincunt.
Jam manant oculis fluenta, & aegros
Turpant hendecaſyllabos lituris;
Nec poſſum legere: occupata jam vox
Interrumpitur; integrumque crebris
Vix ſingultibus hoc referre poſſum:
Frater optime, glorioſe frater,
Olim delicium domus paternae,

Meum

Meum corculum, amabiliſque ocellus,
Origo mihi amara nunc dolorum.

NOn ſemper pharetram gerens, & arcum
Diana inſequitur Feras fugaces
Per ſilvam ſibi luce cariorem;
Aut cum blandiculis venuſtuliſque
Choris Aonidum melos canorum
Noctes continuat, dieſque Apollo:
Nec ſemper Capripes Deus tenellas
Oves, atque ovium ſuâ magiſtros
Mulcet fiſtulâ in Arcadum viretis;
Aut Chloris violiſque liliiſque,
Et quot terra parit benigna flores,
Plenos perpetuò intuetur hortos.
Tu nunquam ſtudiis laborioſis
Indefeſſus & omnium leporum
Cultor, & venerum, atque gratiarum,
Miſcere otiolum, aut moras amaſti.
Quin te cura magis Scientiarum
Pallentem tenuit, calorque mentis,
Sive Aurora hilares ad inſtar oſtri
Ferret lucidulo roſas ab ortu,
Seu Sol Heſperiis equos in undis
Laſſos conderet, aureumque currum.
Aſt contra Pater elocutionis,
Ille Romulei decus Senatus,
Moleſtum Cicero Forum remiſſo,
In villis aliquantulum otiatus.
Exin fortior aureâ in palaeſtrâ
Minervae veteres reſumſit artes.
Magiſter quoque Socrates Sophorum
Jocos longâ in arundine excitavit
Blandis cum pueris, puelluliſque;
Nec vultum erubuit gravem Tyranni.
Ille ſeria ludicris ſecutus,
Admiranda Nepotibus futuris
Reliquit monumenta Grajus Author.
Tu verò haec pretioſa noluiſti
Exempla accipere, erudite frater.
Hinc refer tua damna. Nam quid unquam
Nihil ſumere triduo ciborum;
Quid totâ vigilare nocte juvit,
Ut legendo librum integrum vorares,
Si tantus tibi praeparavit ardor
Immaturum obitum, mihique luctum?
Heu me triſtem animo, & nimis dolentem
Favore abſque tuo, tuâque vitâ!
Nam ſi flebilis optimis Amicis,
Multò flebilior mihi periiſti,

Digitized by Google

Quàm mitius fuiſſet, ac ſuavius
Haec auferenda denegare munera!
Me nanque nec proſternerent anguſtiae,
Nec obſtinata cura mentem roderet.
Nunc temperare nocte triſtis, & die
Ab lacrymis vix poſſum, & altis queſtibus.
Ecqui Scythae, aut Laeſtrigones non ingemant
Super ſiniſtra fata Petri, & omnium
Ruinam inexplicabilem Voluminum?
Remotus ille ſaeculi a negotiis
Se gymnadi Eloquentiae, ac Poëſeos,
Notando ſcribendoque, totum credidit.
Tuſca, & Latina protulit poëmata,
Cedroque digna Bibliorum encomia;
Et unus ille doctus inter millia
(Fremente ceſſa dente livor ringere)
Et unus ille (io parate lauream,
Suis parate ſerta digna crinibus)
Et unus ille Petrus, Interpres ſacer,
Et optimus Poëta per ſagacium
Cucurrit ora gentium, atque cognitus
Bono ſupervolavit aſtra nomine.
Sed Mors acerba Authorem, Opuſque perdidit,
Ne tenderet perennis ultra gloria.
Ter ſaeva Mors, ter Mors inexorabilis,
Trecentieſque, millieſque livida!
Tui recordor, & miſellus horreo;
Fratris recordor, & venena glutio,
Venena duratura aduſque funera.

TOt amaros patiendo cruciatus
Petrus ergo Libitinae ruit ictu,
Et iniquo ſua fures Opera aſtu rapuerunt?
Grave damnum Coryphaei! grave furtum
Balatronum! Quid inani Dea ceſſas,
Dea tu, quae bona, tu, quae mala pandis, novitate?
Ubi ventos animavit tuba cornu,
Super imbres, ſuper ipſam potes aethram
Equitare; & tibi proni bene plauſus famulantur.
Age clarum cane Vatem, cane libros
(Monumentum ingenioſae probitatis)
Vaga Fama, altitonantum comitatu modulorum.
Spatioſo cane Tauro, cane Ibero,
Cane Eoo, nigricanti cane Mauro,
Cane Tibri, peragratis populorum cane Regnis.
Sapientis memorandos in honores
Citò flectent caput, & ſors pretioſa
Abiiſſe illacrymabunt ſua peſſum monumenta.

HAnc, quam Viator intueris tibiam
Pendere lauri ab eminente ramulo,
Vates dicavit Petrus almae Gloriae,

Digitized by Google

Solutus omni cùm catenâ corporis
Supervolavit purus aſtra Spiritus.
Hac ille geſta Praeſulum, hac Potentium,
Hac Bibliorum Interpretes cùm pangeret,
Aves ſonoro non canebant gutture,
Non prata rauci perfluebant rivuli,
Non aura crines commovebat arborum,
Galeſus ulla non ciebat murmura.
Quin obſtrepentis ipſe fluminis Deus
Tumultuoſos preſſit euros otio,
Audire poſſet ut beata carmina.
Tu blanda Vallis, tuque amicus fertili
Aulon Iaccho, teſtis: ambo ſaepius
Spectaſtis acclinare vites verticem,
Modiſque circùm plaudere inſonantibus.
Haec gratius tunc tibia edidit melos
Lyriſque Vatum, barbitiſque, & nabliis,
Sed nunc miſella tibia aut ſilentium
Aſſervat uſque, aut ſi loquaci ſibilo
Inflat ſilentem ventus, uſque flebile
Sonat, Petri ſiniſtra deflens funera;
Suoque baſiari ab ore poſtulat,
Quo dulciora non fuere priſtinis,
Nec ora Vatum erunt futuris ſaeculis.

SPlendida Virtutum ſtabant faſtigia in aevum
Nixa ſuper petram, Petre diſerte, tuam:
Turbine cùm validus fundamen ſuſtulit ictus,
Et citó Virtutum procubuere domus.
Nulla rear poſthac ſtatura perennibus annis
Culmina, cùm columen tu quoque petra cadas.

INvida Mors tumulo Petrum ſub flore juventae
Texerat, & libris ibat onuſta ſuis.
Vidit ubi Mortem Pallas, mihi (dixit) amicum
Cur Juvenem ſepelis, & ſua Scripta rapis?
Illa autem: aeternâ Sapiens ut nocte prematur,
Deque ſuo Mundus nil ſciat ingenio.
Huic ego ſi ſenium, canoſque ſecunda dediſſem,
Notior in toto non foret Orbe Anima.
Aurea nanque typos probitate Volumina iniſſent,
Et jubar Authori, me renuente, darent.
Tunc Pallas: quàm ſtulta fremis! non ille carebit
Vate ſacro, Authoris qui monumenta canat.
Frater amans Fratrem reteget, Fratriſque libellos.
Hac Petrus, hac etiam ſorte ſcietur Opus.
Ergo tibi indignum nil profuit, invida, factum;
Immo pudore mali nunc cruciare tui.
I modò, & in tardâ documenta haec diſce ſenectâ:
Invidia haud aliis, ſed ſibi ſtulta nocet.

Te

Digitized by Google

TE Petre, Mors nullo moriturum tempore novit,
Cuſa forent meritis ſi tua Scripta typis.
Tradere nanque typi vitam ſuevere perennem;
Sperat & hac Author poſt ſua fata frui.
Tabuit invidiae morſu, indignataque Mors eſt,
Te tibi perpetuos reddere poſſe dies.
Viribus intorſit connixa potentibus ictum,
Vivere quo vetuit teque libroſque tuos.
Sperabas vitam unde tibi, mors exiit: o ſi
Speraſſes mortem! nunc tibi vita foret.

INgenium caeleſte Petrus monſtraverat: ergo
Non erat Heroi terra habitanda diu.

PEnſilis horte vale, vos tecta valete Parentum,
Tuque mihi quondam Patria amata vale.
Monteſque, & nemora, Eliaeque valete receſſus,
Cumque lepore vale care Galeſe tuo.
Vos nimium ſex luſtra meo placuiſtis amori,
Dum vivebat apud vos Petrus ille meus.
Tunc mihi fulſerunt jucundo lumine Soles,
Felix deliciis tunc mea vita fuit.
Nunc horti, & montes, & Patria, lumen & ipſum,
Omnia nunc oculis ſunt inamoena meis.
Mors mihi ſola placet: rerum o dulciſſima greſſus
Accelera, & vitam Mors mihi tolle, precor,
Ut mea fraternis haec oſſibus oſſa quieſcant,
Unum ceu fuimus nos cor, & una Anima.
Vos ergo Indigenae tumulo me condite eodem,
Addite & haec ſculptis verba legenda notis:
Solus amor junxit vitali tempore fratres;
Junxit adhuc triſti funere ſolus amor.

Sub Effigie
Petri Antonii Romani.

VIvida, quam ſpectas, ſtudioſe Viator, Imago
Ingenui oſtendit corpus inane Petri.
O poſſet ſimul ante oculos oſtendere mentem!
Quanta tibi virtus aſpicienda foret!

MEns gravida, obtutus fixus, manus apta notanda eſt.
Da calamum Petro, nobile ſcribet Opus.

ESt Petrus, effictâ quem cernis imagine ad inſtar
Volventis gravidâ plurima mente Sophi.
Cogitat hic forſan librorum furta ſuorum,
Et ſpem, quòd Scriptor notificetur, habet.

SI poſſent ex ore animi noteſcere dotes,
Inſpiceres omnes quàm bene ineſſe Petro!

Sic

Digitized by Google

SIc oculos, ſic ora, manus ſic vivus habebat
Petrus, ut expoſitâ reſpicis in tabulâ.
O mentis quoque diva ſuae potuiſſet imago
Effingi! hac nullum pulchrius eſſet opus.

PEtrum en Romanum: ſuper hanc Sapientia petram
Aedificare ſibi quàm bene viſa domum eſt!

HIc fuit Interpres Scripturae, hic ille Sacerdos,
Qui pro Chriſtiadum lumine ſcripſit Opus.
Hic, cui Tuſca chelys, cui rite Latina Poëſis
Divitias parto debet honore ſuas.
In Terrâ hunc ſiquid latuit, nunc accola Caeli
Id legit in ſummo clarius Artifice.

Super tumulum.

SParge roſis cineres: an Petrus acumine mentis,
Ipſamet an Virtus hic jaceat, dubium eſt.

VIta Petri Virtutis erat: Petrus occidit: Ergo
Virtutem extinctam, Petro obeunte, geme.

HOc jacet in tumulo decerptus flore juventae
Petrus, Romanae gloria rara domûs.
Perdidit ille ſui quam libri tradere vitam
Spondebant; vitam perdidit ille ſuam.
Excidium vitae facit unius edere fletum.
Quid faciet vitae duplicis excidium?

SIſte Viator iter, ſculptumque hoc aſpice marmor;
Ni lacrymare legens, tu quoque marmor eris.
Petrus, Romanae non ultima gloria Stirpis,
Hoc ſua ſub duro nunc habet oſſa loco.
Mors primam rapuit vitam, rapuitque ſecundam,
Quam Domino poterant reddere Scripta ſuo.
Author cùm periit, docti periere libelli.
Uno obitu vitae ſic petiere duae.

PEtrus ad Eloquium, natuſque ad utramque Poëſim
Hic jacet, exiguus, quem tegit urna, cinis.
Dux fuit huic virtus: fortuna inimica ſuorum
Tempus in omne operum reſpuit ire comes.
Deſpondere animum reputaverat illa: ſed Heros
Riſit inhumanae facta maligna Deae.
Munera cùm finxit dare blandula; munera (dixit)
Sint tua: ſi virtus ſit mihi ſola, ſat eſt.
Haec animo ſedet una meo, nil carius hac eſt;
Proque hac ſit cupido quàm mihi dulce mori!

Et

Et bene pro virtute obiit juvenilibus annis.
Hunc virtute tamen crede obiiſſe Senem.

URna poteſt miſerum Scriptoris condere corpus.
Condere mentis opes non tamen urna poteſt.

NArciſſo fuerat formoſior, atque Hyacintho
Petrus, honorati Germinis altus honor.
Tabuit invidiâ Mors deformiſſima rerum;
Et febri exanimum tradidit huic tumulo.
Cur flos formoſus non exeat inde, requires,
Cùm fuerit pulchro tantus in ore decor?
Noſcere vis cauſſam, Scrutator provide? multùm eſt
Febribus haec tellus arida facta ſuis.
Humida ſi fiet lacrymarum ex imbre tuarum,
Flos novus e madidâ forte reſurget humo.

NOmen Fama, Animam Caelum, tenet urna Cadavèr.
Cetera de Petro ſcire, ſupervacuum eſt.

Objurgationem habitam Poëta commemorat.

SIve tuum urgerem lacrymiſque, notiſque ſepulcrum,
Seu vultum exprimerem, Frater amate, tuum;
Aurea ſive Operum canerem monumenta tuorum,
Sive laborarem pandere mentis opes;
Ardoris ſtudioſa mei perſolvere rebar
Munera, rite tuis debita promeritis.
Cùm tenui increpuit me carmine motus Apollo;
Haeccine das docto, Semipoëta, viro?
Deteris ingenii fraterna encomia culpâ,
Tuque augere decus tam rudis arte putas?
Deſine Tyrrhenum dare parvula vela per aequor.
Grandia non opis eſt facta ſubire tuae.
Ingenium Petri tantum eſt, ut acumine ſolus
Ipſe queat meritis aequa referre ſuis.

Poëtae deprecatio.

HAec ego, Petre, meo lugubria pectine duxi
Carmina, in exequias officioſa tuas.
Neu fratris munus, ſed amorem reſpice in illo.
Quàm mage munus inops, tam mage dives amor.

Ad Petrum Antonium, Sacerdotem Saecularem, & Angelum Mariam Romanum, Religioſum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Fratres jam mortuos.

Quot rident animante Vere flores,
Quot ſpicas operoſa torret Æſtas,
Quot Autumnus habet graves racemos,
Quot brumalis Hiems riget pruinis,
Quot Haedis pluvialibus ſtrepentes
Per Graecum mare mugiunt procellae,
Quot ſunt littore in Adriano arenae,
Quot frondes agit impetus notorum,
Quot pennis volucrum ſecatur aër,
Quot Vulcania jactat Ætna flammas,
Quot ſtellis, facibuſque luminoſis
Micat blandiculum hinc & inde Caelum;
Tot gradus bene gloriae auſpicatos
Pro magiſterio Scientiarum
Det vobis Deus in Beatitate.

Aeternitatis gloria
Vobis ſit inter Caelites,
Qui mentis alto acumine
Supervolaſtis ſidera,
Et Numinis myſteria
Miro explicaſtis ordine.
Hinc ubere eloquentiae,
Scientiaeque lumine
Arcana tot recondita
Novit ſtupeſcens Concio.
Blando Galeſus excitus
Lepore, & oris gratiâ
Sebethus, imo e gurgite
Mox ſuſtulere verticem
Virente cinctum arundine,
Indicta ut actis ſaeculis
Audire poſſent dogmata.
Plauſere cultis ingenj
Uterque tunc laboribus,
O te (canentes) centies
Felix Tarentum, te quoque,
Siren, beatam centies,
Queis dote tantâ praeditos
PetrumqueCryptae, & Angelũ
Dedere, ut artes Palladis
Veſtros docerent filios!
His doctior quis fratribus?
Quis mente perſpicacior?
Nil hiſce Terrae argutius
Dedere fata, nec dabunt,
Quamvis vetuſtum tempora
Redire in aurum viderint.
Ad ſuave murmur plauſuum,
O Petre, nomen & tuum,
Tuumque nomen, Angele,
Jocoſa imago rettulit.
Tum fama ab Indis ultimos
Britanni aduſque terminos
Vobis viciſſim redditas
Laudationes prodidit.
Quàm conſona haec praeconia
Fuere tot ſudoribus!
Nam Terra quicquid Appula,
Euboea quicquid jactitat
Virtutis, illud unicus
Veſtri laboris fructus eſt.
Diei, & aeſtus pondera,
Et crebra rerum incommoda
Vos pertuliſtis impigri,
Virtutum ut alta culmina
Diſcens juventus ſcanderet.
Sic tunſa perſtrepentibus
Rupes procellis Adriae
Durat, ſuique negligens,
Juvamen affert exteris.
Quid ergo mirum eſt, utraque
Si Natio vos nominat
Honore inexplicabili,
Seu Sol nitorem gentibus,
Seu ducat umbras Heſperus?
Carere neſcit laudibus
Lucrata virtus gloriam.

Redi-

Hac ipsâ mihi luce, & his ocellis,
O Fratres, Animâque cariores,
Tanto viximus unà amore juncti,

Quan-

Quantum vix Pyladem inter, ac Oreſtem,
Inter Pirithoumque, Theſeumque, &
Caeli Tyndaridas gemella ſigna,
Nec non Euryalum, optimumque Niſum
Priſcis temporibus notarat aetas.
Nam quid Petre, quid Angele appetebas,
Appetebam egomet, bonum ſecutus.
Cor unum, una Anima, una nos voluntas
Concordes placido tenore fecit.
Una nos domus, una mensa, & unus
In dulci tenuit ſolo incolatus.
Nil vobis placuit dies per omnes,
Quod ſimul mihi non placeret. Ergo
Moeror, gaudia, luctus, & cachinni,
Adverſa, atque ſecunda me movebant,
Ut vobis minus ipſe nil dolerem,
Gauderemve minus. Sed expedito
Haec ſimillima tranſiere ſomno.
Romanâ unicus, atque derelictus
Nunc de Stirpe ſuperſum, iter ſupremum
Cùm jam feceritis per aſtra Fratres,
Sumturi vario labore partas
Ab largis manibus Dei coronas.
Quare ſi veteri uſque adhuc amore,
Si dignor pietate, Conditorem
Divûmque, atque hominum rogate, ut illam
Infundat mihi gratiam, unde culpis
Traducam vacuam, integramque vitam,
Mox caro fruiturus unà Olympo.

JAm ſatis ad ſuperas defleverat Orpheus auras
Exanimem colubri morſibus Eurydicen.
Jam Pangaea ſuo, & Rodopeia ſaxa dolore,
Et Dryadum flerant turba, truceſque Getae.
Cùm fati impatiens, jacturarumque ſuarum,
Fugerat unde gravi ſpeſque quieſque animo,
Nunc huc ſollicitas curas, nunc dividit illuc;
Neſcit & Eurydice quid viduatus agat.
Haec potior tandem legitur ſententia menti,
Ad Stygium magnis auſibus ire lacum;
Ut tenero Conjux aut detur amata Marito,
Aut ibi cum tenerâ Conjuge vivat Amans.
Nec mora: Apollo lyram ſibi quam donarat habendam
Corripit, & Thracum finibus exul abit.
Poſt varios caſus, poſt certa pericla locorum,
Et quot habet duri damna laboris iter;
Ad Styga Taenario Vates deſcendit ab antro,
Argutaeque movet fila ſonora lyrae.
Tendit Avernalem ſolâ ſub nocte per umbram,
Per vacuas aedes, per loca plena metu.
Quale iter eſt ſilvis Lunae ſub luce malignae,
Æthera cùm peplis nox tegit atra ſuis,

Tranſ-

Nam legem accepit, ne victus amoris ab aeſtu
 Ponè ſecuturam cerneret Eurydicen,
Donec Avernalem exiſſet cum Conjuge vallem;
 Luſtratuſque tuo, Phoebe, nitore foret.
Promiſſis non ille ſtetit: ſpectare puellam
 Ferbuit; unde ſuis vanuit ex oculis.
O mihi Threiciam ſi Numina largirentur,
 Quam prece, quam lacrymis, quam rogo voce, lyram;
Me certè facerent aliena pericula cautum.
 Exequerer fido juſſa obeunda animo.
Per nemoſa Elyſii peterem felicia Manes,
 Candide Petre, tuos, Angele care, tuos.
Nec me quae primis ſtabulant in faucibus Orci,
 Terrerent formis horrida monſtra ſuis:
Centauri, & Scyllae, Ægaeon, & bellua Lernae,
 Gorgones, Harpyiae, & cincta Chimæra face;
Eumenideſque truces, nec non Diſcordia demens,
 Vipereas foedo tegmine nexa comas.
Aut properarctis vos mecum ad luminis auras,
 Aut ego vobiſcum regna ſub ima forem.
Si nil proficerem citharàque, & carmine Vates
 (Carminibus quamquàm cedere cuncta ſolent)
Numina dura meis lacrymis, precibuſque moverem,
 Pignora reſtituant ut mihi rapta nece.
Spectarent umbrae tenues Plutona ſuperbum,
 Perſephonemque meo flere dolore Deam.
Angue ſit ille licet, ſit & iſta ferocior Hydrâ,
 Sentit amoris adhuc pectus utrumque focos:
Cuncta domant illi, ſed amore domantur ab uno.
 Saepius hic duris mitia corda facit.
Cur non ergo darent caros mihi munere Fratres?
 Cedere cur nollent fletibus ambo meis?
O qui regna avidum me ducat ad ima Deorum,
 Siſtat & ante tuum, Pluto verende, thronum!
O quales gemitus, o quot ſuſpiria cordis,
 Auribus o biberes quot pia vota tuis!
Me faceret pietas, faceret dolor ipſe peritum;
 Verbaque ſuggereret blandula blandus amor.
Aſt quid inane loquor? quae mentem inſania vertit?
 Talia mendacis ſunt jocus ingenii.
Nanque mori poſſunt, pariterque reſurgere Soles;
 Et Lunae celeres ire redire gradu.
Lumen ubi extinctum ſemel eſt mortalibus aegris,
 Vita repentinò, non reditura, fugit.
Atropos infeſto cùm ſtamina ruperit ictu,
 Occupat aeternus lumina clauſa ſopor.
Morte erit invitâ tamen ille ſuperſtes in aevum,
 Quem celebrat doctis alma Thalia modis.
Sic Caeſar, ſic Maecenas, ſic vivit Amyntas,
 Cumque Anchiſiade pulchra Creuſa ſuo.
O utinam longo mea carmina tempore vivant,
 Et cum carminibus Frater uterque meis!

Digitized by Google

Monumenta.

Iſte melancholicus non eſt (ceu creditur) humor,
Triſtior unde meus percutit aſtra ſonus.
Nec ſunt, quid modulor, deliria vana Poëtae
Incaſſum queruli, nulla ubi fata premunt.
Jacto procul figmenta, procul mendacia jacto.
Ad caſus ſpecies non facit iſta meos.
Vera cano, veris quinimò minora: quid unquam
Fingere, paruerint cùm malefacta, juvat?
Audiat ergo meas & Caelûm, & Terra querelas,
Audiat, & pietas quid monet intus, agat.
Foecundo mea vena recens fluat ubere, dulces
Ut pluviae Aprilis florida prata ſuper.
Latiùs aurato decurrant carmina nimbo,
Ros velut argento per ſata laeta ſuo.
Hoc omnis fortaſſe modo comprenderit aetas,
Aedibus acciderit quanta ruina meis.
Petrus erat mihi frater, adhuc ſuper aethera notus,
Seu velis ingenio, ſeu probitate velis.
Huic doctiſque libris, clariſque referta figuris
Gentis ad invidiam Bibliotheca fuit.
Emturus pretio perrara volumina magno,
Saepius ex avido ſuſtulit ore cibos.
Intentam ſtudiis laetus traducere vitam,
Haec Animae aſſeruit cara alimenta ſuae.
Nocturnis voluit longùm impalleſcere chartis,
Nempe Cleantheâ clarus ut arte foret.
Et mala longa tulit, quorum medicina reperta eſt
Nulla, niſi in cultu, dia Minerva, tuo.
Viribus aſt fractus, febriſque abſumtus ab igni,
Flebilis heu juvenis gentibus interiit!
Fratris morte novam ſenſit domus alta ruinam.
Acceſſere ſuis haec quoque fata malis.
Tempore nanque brevi (lacrymor, cùm furta recordor)
Perdidit egregiae quid ſibi dotis erat.
Incubuere operi fures: temeraria libris
Pars cophinos implet, ſarcinulaſque facit.
In cumulum tabulas pars aemula congerit auſu,
Et pretii ſedes quid melioris habent.
Hic praedam transfert, poſito redit ille bonorum
Pondere: nec requies, nec mora parva datur.
Vidiſſes reduces, captâque ex Aede ruentes,
Omnibus ut jaceat diſpoliata opibus.
Non aliter populant formicae farris acervum,
Et memores hiemis teſqua ſub ima locant.
In campos nigra turba ruit, mediamque per herbam
Calle perangusto, quid rapuere, trahunt.
Pars totis obnixae humeris frumenta propellunt:
Pars cogunt reſides accelerare pedem.

Quo-

Quocunque aſpicias, nihil eſt, niſi mutuus ardor.
Fervida ſollerti tota labore via eſt.
Ergo exuta ſuis gemuere palatia gazis,
Et miſeras longùm ſuſtinuere vices.
Spes tamen una fuit lucrari poſſe futuro
Tempore majoris conditionis opes.
Fratris enim bona cuncta mei patruelis, ut aequum eſt,
Ad mea ſpectabant tecta, meumque Genus.
Et bene dilectus meus ille Ciracius Abbas
Romanae ardebat frater amore Domi.
Uni hic Teſtator Forlèo ex Germine Gnatae
Panderet ut puri pignus amoris, ait:
Siquid mobilium placeat tibi forte bonorum,
Suſcipe delectu poſt mea fata tuo.
Quis credat? celebrata mei poſt funera fratris
Multa vorax tacitâ Foemina mente movet.
Tandem prorumpit: Quaecunque reliquerit Abbas
Et mihi cuncta placent, & mihi cuncta volo.
Obſtant Heredes: verbis (quis neſciat?) illis
A Sene prolatis debet ineſſe modus.
Te rerum pars aequa decet: ſed cetera major
Debita ſtat nobis, Jus velut omne jubet.
Infremit illa magis, magis omnibus ingruit, & ſe
Expleat ut ſolam dote, ita velle refert.
Curia Cryptarum cùm cernit, Foemina quantùm
Poſſit, & audaci quid ſtruat ira animo;
Omnia (mirantes horrore ſtupeſcite Caeli)
Decreto huic ſtatuit danda, aliiſque nihil.
Nec mora. Mobilium nil deſerit illa bonorum.
Ad proprios curat cuncta ferenda lares.
Ingluvies creſcit: Meſſores mittit in agros,
Aurea quò Cereris munera falce ſecent.
In ſua frumentum mox congregat horrea totum,
Et paleas craſſis pabula ſervat equis.
Exigit ex Clero numerata numiſmata, & arcam
Paula novis gaudet creſcere divitiis.
Deſertae tantùm lapides Heredibus aedis
Cedit, & exiguae fertilitatis agrum.
Quae poterit ſic eſſe vorax per ſaecla Charybdis?
Inſatiabilibus quae fera Scylla modis?
Sed quid ego Scyllamque cano, ſociamque Charybdim?
Utraque non ſimili perfurit ingluvie.
Tot res Oceanus vix abſorbere valeret,
Sumit ad arbitrium quot ſibi Paula ſuum.
Cryptarum Judex videt haec Faſanus, & alto
Murmure io, ter io Paula triumphe, canit.
O mea qui legitis lacrymis haec carmina obortis,
Diſcite, quà Cives ſint feritate mei.
Ah Patriae, ah Patriae ſcelerata Propago! piorum
Haeccine juſtitia eſt, Chriſtiadumque tenor?
Fulmine tartareas adigent te Numina ad umbras;
Quoſque ſitus habitat perfida turba, coles.

Si-

Digitized by Google

Siſyphus eſt illic, qui montis in ardua ſaxum
Inde relapſurum nocte dieque movet.
Omnimodis aliena rapax prope ſuſtulit Iſthmum;
Sed male Theſeâ cuſpide caeſus obit.
Eſt & qui rapuit ſceleratus Amulius amplas
Fratri divitias, imperiumque ſuo.
Poſſet ut hiſce diu tutus gaudere, Nepotes
Juſſerat inter aquas, Tybri, perire tuas.
Horrendum execrata ſcelus, mox unda refugit.
In ſiccâ Infantes ergo locantur humo.
Sub Styga Biſtonidum cernes Polymneſtora Regem,
Quem nimia ardentem traxit avarities.
Exuit hic auro Polydorum; ictumque cruentis
Vulneribus tumidas in maris egit aquas.
Attamen infido poenas pro crimine ſolvit;
Senſit & armatas in ſua damna manus.
Nam lactente velut privata leaena catello,
Raptorem inſequitur, quà ſibi aperta via eſt;
Sic irata Hecube diri Polymneſtora facti
Tendit ad artificem, colloquiumque petit.
Corripit hinc Regem, digitoſque in lumina trudit,
Et laceris oculos eruit illa genis.
Tarquinium cernes (memorat ceu fama) Superbum,
Qui ſua Romulidis ultima frena dedit.
Oſor inhumanus juris, contemtor & aequi,
Supplicii infelix quàm grave portat onus!
Stat prope qui Judex decreta per impia ſenſit,
Cambyſae fuerit quàm truculenta manus.
Clamantis direpta cutis de vertice ad imum eſt.
Tantùm regali ferbuit ira ſinu.
Judicis & poteris ſalientia viſcera, & omnes
Pectore adhuc fibras enumerare ſuo.
Sede Themiſtòcles comes additus urget eàdem
Ingentem fremitum, quo Stygis antra ſonant.
Judicio admonitus ſeſe praeſtaret ut aequum,
Pertulit in ventos verba precantis agi.
De reliquis taceam, paribus molimine rerum,
Cùm veter innumeros me referare labor.
Omnes denſantur, denſabunturque per aevum
Cum ſociis fures ſub Styga Judicibus.
Tu tamen hiſce malis graviora, Propago, ſubibis,
Et mala cùm tuleris plurima, plura feres.
Chriſticolae poenis magis acribus excruciantur,
Quàm quibus omnis erat ſuera ſuperſtitio.
Ethnica enim Fidei caruit gens lumine quondam;
Chriſticolaeque datum ſorte habuere jubar.
Tu reſono jactas te pleniùs ore Fidelem,
Et tantâ vecors improbitate ſcates?
I peſſum, inque malam poſt facta nefaria vitae
Perge crucem; venti flantis adinſtar abi.
Ante tamen, quàm regna petas graveolentis Averni,
Haec tibi contingant, Numina magna rogo.

Terra

Digitized by Google

Terra tibi fruges, tibi deneget unda liquorem;
    Blanda tibi afflatus deneget aura ſuos.
Luna nec argento, nec Sol te ſublevet auro;
    Omnia ſint oculis ſidera tetra tuis.
Luce ſerenatum nec ſe tibi detegat aër,
    Nec tibi vitales praebeat ignis opes.
Carmine quas taceo poenas, patiaris & illas.
    Nam ſcis criminibus promeruiſſe tuis.
Pauca Poëta rogo, ſed praeſtent plura rogatis
    Tam malè laeſa tuo Numina flagitio.
Aſt quò mente feror? quae me rapit ira dolentem?
    Corrigor, & votis auguro fauſta tuis.
Si bona reſtituas, felicia tempora duces,
    Tempora concentu non reticenda meo.
Ionio matura prius ſeges aequore ſurget,
    Carpet & undivagum florida prata pecus;
Reddere quàm meritas ceſſem tibi carmine laudes,
    Invidus aut animi grandia facta tegam.
Siquid apud Phoebum pro te mea vota valebunt,
    Hoc voveam, hoc forti pectoris igne precer:
Ut tibi ſint Vates alii, qui ferre triumphos
    Cum titulis certent ardua in aſtra tuis.
Ergo poeniteat fac te, Dominiſque miſellis
    Redde lubens, omni quod ratione ſuum eſt.
Sic & juſtitiae, famaeque, Animaeque fideli,
    Sic poteris patriae conſulere Hiſtoriae.

Animi affectio.

Dum nequit in denſis, quas jactat Aricia, ſilvis
    Aegeria extincti fata levare Numae,
Congeminat fletum, ſuccreſcentemque dolorem,
    Donec ob exitium mota Diana ſuum eſt.
Nam gelidum fecit laſſo de corpore fontem,
    Inque ſuſurrantes attenuavit aquas.
Luget in Ennaeis Cyane pulcherrima raptam
    Perſephonem campis, ſpretaque jura loci.
Hoc fovet in venis inconſolabile vulnus,
    Et fluit in rivos, & liquefacta fugit.
Ipſe etiam ſaxo Polyphemi exterritus Acis,
    Heu! Galatea tuam fer mihi, clamat, opem.
Nec mora: caeruleum convertitur Acis in amnem.
    Nunc ſua Sicanium nomina flumen habet.
Quaeque in Trinacriam de limine venit Achivo,
    Fons eſt; ante tamen Nympha Arethuſa fuit.
Rex pelagi Neptunus erat, ſed factus Enipeus
    Theſſala foecundis arva rigavit aquis.
O mihi quis tribuat rerum tot caſibus acto,
    Ut ſimul hi fiant flumina bina oculi!
Flere ſuper vellem mea fata perennibus undis.
    Mollirem lacrymis fors ego ſaxa meis.
Ecquis non gemeret, quis ſe non flecteret, intus
    Dura licet ferri ſemina pectus alat?

Non tot aves pulſant pernicibus aëra pennis,
Nec tot habet piſces Tethyos unda Deae:
Ver neque tot flores, neque tot fovet aeſtus ariſtas,
Nec tot alit Nemees ſilva profunda Feras;
Quot premor exitiis, quae ſi percurrere vellem,
Tentarem guttas dinumerare maris.
Magna meae (heu miſerum!) ſunt infortunia vitae;
Neç paria in toto, ceu rear, Orbe vigent.
Prodiit ex utero mecum inclementia ſortis,
Crevit, & haec mecum juncta ſeneſcit adhuc.
Me quoque ad obſcurum comitabitur uſque ſepulcrum,
Quandoquidem primâ ſtat feritate rigor.
Sed fremat illa: animum nec deſpondiſſe videbit,
Nec me tam gravibus ſuccubuiſſe malis.
Ponè ſequar quocunque trahet, retrahetque: ferendo
Sortis ſaevities eſt ſuperanda meae.
Cauſſa erit illa, magis toto cur pectore firmet,
Perſtet & in voto mens mea nixa ſuo.
Dant animum ut plagae, loris verſatile buxum
Cùm pueri exercent, ſollicitantque jocos;
Sic fiam ad crebros ſortis generoſior ictus,
Intrepiduſque feram quae mihi damna paret.
Cedere in adverſis Heroum gloria non eſt,
Unica queis virtus per genus omne praeit.
Ergo mea infeſtis opponam pectora rebus;
Indomitumque caput nulla ruina quatet.
Obnitar, quaecunque dari ſors effera poſſit,
Sim modò ſincerus, criminibuſque vacem.
Sic erit ille dies, mihi quo calcata Nepotes
Plaudent impavido fata ſiniſtra pede.
Nanque ſub oppoſitis eventibus excita virtus
Materiam dignae non niſi laudis habet.
Fortiter Heroes ſi nulla pericla ſubiſſent,
Vixiſſent hilares, ſed ſine laude forent.
Scilicet in terris homines patientia clarat,
Plauſibus aeternis nec caruiſſe ſinit.

Oblivioſum ſe dolet Poëta.

LUſtra per octo meo vigilans ſudore revolvi
Quot ſint Hiſtoriae, quotque Poëſis opes.
Quid velit Eloquium, & Sophia, & Moralia, & Artes,
Unde ſibi ad Superos quilibet aequat iter.
Nunc alter videor Meſſala, & Curio, & alter
Atticus Herodes, Orbiliuſque ſenex,
Qui poſt grande ſophos, cauſſaſque, Scholamque crepantem
Invalidi laſſis mentibus exciderunt.
O ubi multiplicum mihi adepta ſcientia rerum!
O ubi virtutis vena ſecunda meae!
Praecipites fumum non ſic fugat eurus in auras;
Non ſic aequoreae ſpuma recedit aquae;

Pi-

Pignora ut ingratae perierunt credita menti,
    Pignora per longos heu mihi parta dies!
Anne bibi infelix pallentia pocula Lethes?
    Anne meum vertit vis inimica animum?
Unde fit, ut totus videar mutatus ab illo,
    Cui fuit in ſtudiis Pallas amica ſuis?
Hoc non eſt caput, at ventoſa cucurbita certè.
    Mens tenuem micam non habet iſta ſalis.
Unum hemiſtichium ſueto ut modulamine condam,
    Ungues rodo meos, & traho ſaepe comam.
Non tamen ex cerebro ſpirantes exit in auras,
    Ceu decus Aonidum, nobilitasque petit.
Sunt Ideae humiles, furor Entheus excidit, & vix
    De primo ſupereſt parvula forma ſtilo.
Quod vetus eſt, de fonte novum procedere opinor;
    Concitus hinc mecum diſſona bella gero.
O laſſum nimiùm, & nimiùm vertigine laeſum!
    Volvitur in triſtem ſic mihi ſcena jocum?
Flebilis exitio cui me fortuna reſervat?
    Major an hac miſero poena ferenda datur?
Nulla equidem ſuperant tantum infortunia caſum;
    Nec rear in toto durius Orbe malum.
Quae poterit jactura meas aequare ruinas,
    Perdita ſi mentis gaza opulenta mihi eſt?
Sentio praerepto quantum ſit acumine damnum;
    At nequeo modulis explicuiſſe meis.
Haec etiam Albertus (ſi vera eſt fama) Magiſter
    Cùm dabat ex cathedrâ dogmata, fata tulit.
Perdidit ille Pater, dictus cognomine Magnus,
    Virtutum omnigenas, quas reſerarat, opes.
Nanque ſenem medio ſermone ſcientia fugit.
    Ingenio ignarus paruit ergo puer.
Qui modò Doctor erat, rerum citò neſciùs omnium
    Haeſit; & in ventos vanuit artis honor.
Excitus in reſidem Populus pietate Magiſtrum eſt.
    Gens ſuper exitium non dolet ulla meum.
Non ego ſum tanti, fateor; deberet at inſons
    Eſſe animis ſenſus, quo caruiſſe queror.
Deſolatum igitur poſthac me dicite Vatem:
    Dicite me miſerum, cùm mea poena probat.

Ad Cl. V. Cajetanum Maphaeum.

COmpoſitum quid corde jubes renovare dolorem,
    Cùm mea Epiſtolio carmina, ut ante, rogas?
Non ſum qualis eram. Quantùm mutatus ab illo,
    Cui modulos placuit, Theſpiadeſque ſequi!
Hei mihi! largifluos lacrymarum effuſus in imbres,
    Moeſta ſub hoc cogor verba iterare ſono:
Inque malam procul ite crucem, Stygiumque barathrum,
    Unica triſtitiae cauſſa, caputque meae:

Lectulus huic curtus, Procuiâ minor, urceoli ſex,
    Cantharus, atque abacus, parvaque menſa fuit.
Argolicos tenuit ciſtella vetuſta libellos;
    Roſit at heu! verſus blattaque, muſque ſuos.
Damnorum hic cumulus: nudumque, fameque cadentem
    Nemo cibo, panni nemo levavit ope.
Membra vel inſpicitur candentia nudus Apollo.
    Dj faxint, tunicâ ne queat ipſe tegi.
Innuptae remanent Muſae, quia deficit illis
    Parvula dos; & inops ſtat ſine luce focus.
Credita ſiqua foret, vel dos numerata miſellis,
    Cura, o ſancte pudor, non foret ulla tui.
Munere aquam, laurumque ferunt: ſudata Poëtis
    Implicat iſta comas, mitigat illa ſitim.
Gentibus an frondes, aut cepae, aut alſia deſunt,
    Quae capiti imponant, ceu diadema, ſuo?
Si quaerant recreare ſitim, vel tergere ſordes,
    O quot ſunt fontes praetereuntis aquae!
Quid colere ergo juvat Phoebumque, humileſque Camoenas,
    Si nihil ex iſtis commoditatis habes?
Quid tibi cum Cirrhâ, dulciſſime Avuncule rerum,
    Si tibi paupertas, & toleranda fames?
Non equidem nego: grande ſophos tua pulpita circùm,
    Et ſteriles cathedras baſia magna crepant,
Pro dapibus tamen illa tuâ ſuperinſtrue menſâ;
    Proque tegente artus utero veſte tuos.
Infelix venter, nimiùm infelicia membra,
    Haec ubi nuda tremunt, & perit ille fame!
Denique poſt tantum fiat concluſio luctum,
    Quae, niſi decipiar mente, juvare poteſt.
Binae ſunt artes, & honore fruuntur, & aere,
    Unde hilares valeat ducere quiſque dies.
Induperatorum, docuit ceu Tullius olim,
    Una; Oratorum eſt altera: quaeque beat.
Induperatorem nec te fortuna creavit,
    Nec (licet illuſtres ſanguine, & arte) Patres.
Rem ſequere Orator. Nummis ſcatet arca Minervae.
    Haec decorat Comites, ditat & una ſuos.
Expertus didici, quid ſit figmenta Poëſis,
    Eloquiique ratas excoluiſſe vias.
Carmina multa dedi: plauſus ſonuere frequentes.
    Plauſibus exceptis, quae mihi ſtrena fuit?
Oravi, & decus omne tuli, Populique favorem;
    Et mea multiplices arcula cepit opes.
Perpetuùm o vivas, ſapiens Facundia linguae!
    O pereas curto, ſtulta Poëſi, die!
Haec tibi mitto; modis ſi forte pedeſtria ſordent,
    Parce, precor: liqui mì nocitura. Vale.

BERNARDINO
VALENTINO

JURECONSULTO CLARISSIMO, TEATE ADVOCATO, ET AUDITORI AD BELLUM IN CIVITATIS PISCARIAE PRAESIDIO.

I.

NE dicas: ſibi, quiſquis amat, nova ſomnia fingit,
Somnia, quae nullam ſint habitura fidem;
Paulliſper concede meam tibi pandere mentem,
Ut verum Aoniis intueare notis.
Sunt geminae, Legum Vir dotibus inclyte, portae,
Unde venire foras ſomnia cuncta ſolent.
Altera candenti fertur perfecta elephanto,
Altera de cornu non niſi nomen habet.
Cornea porta oculos, & ſignat eburnea dentes.
Haec falſa, illa hominum ſomnia vera refert.
Nam fidis ſubjecta oculis magè certa pateſcunt,
Quàm quae multimodis ora aliena ferunt.
De Te quid modulor Vates, mihi cornea miſit.
Ergo lubens famuli perlege dona tui.
Diſtractus longis propter ſpatiabar Aternum
Litibus, unde meae lata ruina domi eſt.
Lene ſuſurrantes implebam queſtibus auras,
Poſſe putans triſti conſuluiſſe animo.
Heu mea diſciſſis Diſcordia tecta ſubivit
Crinibus, & Stygiâ movit ad arma manu!
Quò ruit inſueto bacchatus Avunculus aeſtu!
Aut quid honoratae Gnata Sororis agit!
Rem probat ille ſuam, probat iſta; decemque per annos
Pendet adhuc avido cauſſa voluta Foro.
Damnorum hic gravidus quo tempore ceſſerit ardor!
Neſtoris an longos experet ille dies?
O ubi terrores, Latiaeque potentia linguae
Fulmina! ubi Themidis munere turba prior!
O quis erit, qui mente ſuâ tot jurgia demat,
Et pacem revocet providus! o quis erit!
Talia jactabam, toto cùm pectore laſſus
Ad ſpeculam ſedi praetereuntis aquae.

Dum

Digitized by Google

Dum levis aura ſonat, dum murmurat objice flumen,
Occupat aegra mihi lumina forte ſopor.
Protinus occurrit rerum mihi blandula imago;
Et videor Thetidos finibus ire procul.
Ignarus, quò fata trahunt, hominumque, locorumque
Erro; & cuncta oculis ſunt nova viſa meis.
Non eadem eſt Tellus, Sol aureus eminet alter.
Clarius effundit mitior Aethra jubar.
Mille coloratos dant prata virentia flores;
Spirat & ambroſio plenus odore locus.
Non procul ex campis mons tollitur altus in auras
Vertice, quem circùm plurima laurus obit.
Templum auguſtum amplum in medio caput erigit aſtris.
Nullibi majeſtas par, ſimiliſve datur.
Qui Deus hìc populi ſub fervida vota colatur,
Non patuit; nec qui panderet, ullus erat.
Attonitos huc vero oculos novus hoſpes, & illuc;
Prudentique peto diſcere conſilio.
Cùm patulas inopina mihi vox perculit aures:
IMMORTALIS HONOS HOC SIBI STRUXIT OPUS.
Hac ubi voce datum eſt ignarae noſcere menti,
Ille locus quantâ Relligione foret;
Flexus utrunque genu, pronuſque profundiùs ora,
Suppliciter veneror limina ſtructa Deo.
Tunc ſurgo, ac Templum pedibus trepidantibus intro.
Tantum me validi Numinis horror agit.
Circumvolvo oculos, & ſenſus occupat omnes
Majeſtate ſuâ nobilitata Domus.
Quid Peruanus ager, quid habent Gangetides undae,
Perſia quid mittit, Numinis aula tenet.
Latiùs illa micat ſublimibus alta columnis;
Gemmarumque frequens dat decus omne nitor.
Summa vomunt aurum laquearia utrinque, figuriſque
Oſtentant faſtus picta uſarota ſuos.
Ingeminant fulgore diem tot pignora: at ipſam
Materiem ſuperat ſedulitate labor.
Stant circùm Heroum ſimulacra, calore tenaci
Qui coluere lares, docta Minerva, tuos.
Sed quoniam volvebam antehac ſub mente Patronos,
Lumina in his figo, conſilioque moror.
VETTIUS en QUINTUS, cujus grave fulmen ab aureo
Proſilit ore; & adhuc voce tonare rear.
ATTICUS hic Conſul: non hoc vehementior alter,
Quò velit, eloquio pectora ferre ſuo.
PRAETEXTATUS adeſt redimitus tempora vittâ,
Quem tremit & Civis, Civis & omnis amat.
Tu quoque, cui ſumma eſt mens, POLLIO, gentibus Orbis
Omnibus ut mereas ponere jura, Pater.
Proximus huic GALLUS: ſuperans virtute Parentem,
Dignus ab Auguſto fertur habere Thronum.
MARCELLUS ſequitur, columen ſublime Senatûs.
Indole virtutum non habet ille parem.

Et

Digitized by Google

Et Ruro locus eſt: trabeam, ſellamque Curulem;
    Littoreſque ſuis faſcibus eſſe notat.
Aſt improviſis Octavius emicat auſis,
    Nam bene tot cauſſas non meditatus agit.
Marrucini omnes, celebri de Stirpe creati,
    Unde ſuum extollit Patria in aſtra caput.
Sexcentique alii, quos ſi comprendere vellem
    Carmine, deficeret laſſa Thalia modis.
Hos inter miranda baſis caelamine ſurgit,
    Herois Statuam mox habitura ſui.
Sed Statuae, Artificis quâ menſque manuſque ſuperbit,
    Altera perfecta eſt pars, rudis altera adhuc.
Fronſque, oſque, atque genae, nareſque, oculique, comaeque,
    Fingere mirificus quid Faber auſit, habent.
Parte rudis tunc veſtis erat, tamen eſſe patebat,
    Qualem Cauſſidicis jam ſtatuere Patres.
Mentoris huic cedit labor integer, atque Myronis,
    Vel, Lyſippe, tuus, vel, Polyclete, tuus.
Condere ego Statuam Divos coepiſſe faterer,
    Si pro Terrigenis hoſce deceret opus.
Intueor, videorque gravem cognoſcere vultum.
    Dilectum an nequeat noſcere quiſquis amat?
Certior efficior, cùm ſculpta in marmore miror
    Carmina, ſub tantâ conſtituenda baſi:
Iste . Valentinus . nihil . addere . cetera . prodest
    Nomen . adhuc . mentis . quam . valet . arte . docet
Non ſic forte hilares Broteas certamine, & Ammon,
    Caeſtibus invicti cùm veherentur, erant;
Non ſic gaviſus victricibus Annibal armis,
    Sanguine Cannarum cùm maduere viae;
Non ſic laeta fuit Cornelia, & indole, & auſu
    Vidit ubi Gracchos enituiſſe ſuos;
Non ſic hauſerunt Rhodii nova gaudia Fratres,
    Sedit ubi meritis parta corona comis;
Structa Valentino ut cernens ſimulacra Patrono,
    Inſolitam fovi pectore laetitiam.
Quantùm animum ſtudioſa meum fortuna bearit,
    Quis valeat modicis dicere verſiculis?
Oſculor infixis monumenta perennia labris;
    Oſculaque ambroſiae neſcio quicquid habent.
Tunc nova dulce mihi lacrymis per gaudia obortis,
    Hoſce ex ore ſonos terque quaterque dedi:
O Vir inexhauſtis longùm celebrande per aevum
    Laudibus! o noſtri gloria rara ſoli!
Grandibus o Themidis te major in artibus ipſo,
    Aequiparare minor quem modò Fama nequit!
Invidiam o cunctis pariture Nepotibus unus!
    Poſteritate coli quàm bene dignus eris!
Quis ſtupeat poſthac ab Eoo ad litora Mauri,
    Si Te divus Honos ſede priore locat?
Jure tot Heroum circumdaris agmine, & inter
    Aſtra velut Phoebus luce minora, nites.

Digitized by Google

Jure vides Te Legum humiles comitare peritos,
    Nam decus omne Patrum doctior arte foves.
Arte foves meritum. Nunc ergo ſuperbior ito.
    Ingenii dotes gloria tanta decet.
Haec plenus dum verba dabam dulcedine, ſomnus
    Vanuit ex oculis, viſio & ipſa, meis.
Irrita (tunc dixi) non ſunt mea ſomnia, non ſunt.
    Fauſtus io ſomnus fauſtius omen habet.
Me rexit Phoebus, ſpectacula ad ardua Phoebus
    Duxit, & hoc Phoebus pectore totus ineſt.
Non ergo caritura fide ſunt ſomnia Vatis:
    Aſt ſuſcepta ſuis plauſibus illa rear.
Maxima enim parto non eſt ſine munere virtus,
    Ipſa ſibi merces ſit pretioſa licet.
Audin ? io Mundus jam plaudere uterque videtur:
    REDDIT HONOS IO PRAEMIA, REDDIT IO.

Pro Effigie
Franciſci de Andrea, & Bernardini Valentini, *J. C.*

UNa Valentini, quam conſpicis Hoſpes, imago eſt,
    Altera Franciſci: quid mediteris, habes.
Hic fato occubuit, magnae Sirenis Alumnus;
    Vivit io Thetidos Filius ille Deae.
Si prius audieris Franciſcum ardore tonantem,
    Aure, Valentinus quo tonat igne, bibe.
Tunc dices: aut Orator Franciſcus hic idem eſt,
    Aut Franciſcus in hoc vivit, & orat adhuc.

II.

QUid plenis laudata refers mea carmina buccis,
    Carmina diſcordi conſociata chely?
Aut quid Amicorum ſtupuiſſe perita recenſes
    Agmina, ubi numeros aure bibère meos?
Non ego ſum tanti; nec quoslibet ore rotundo
    Pangere verſiculos ſors mihi avara dedit.
Conſtat enim, Aonio quàm culmine diſſitus errem;
    Quove timore ſtilus ſerpat adactus humi.
Laetitiâ an gravidum duxere ad carmina coetum,
    Grande mihi ut ſtreperet terque quaterque ſophos?
Tunderet aut pedibus terram, cautuſque ſaliret,
    Et totem ex oculis promeret ante Duces?
Acciderit ſic forte: hominum non proderit ullam
    Ergo fidem falſis addere blanditiis.
Nam quamvis fluerent luculenta poëmata Vatum,
    Et ſine luce ſuâ, quid cecinere, foret;
Saepius externo vexere per aethera plauſu:
    Mens autem diſpar vocibus intus erat.
Non hoc veridicus ſe geſſit Horatius uſu.
    Scilicet & laudem pandit, & opprobrium.
Paulliſper duram, atque acidam probus arguit Accj
    Pacuvius muſam; falſus & ille palàm eſt.

Splenduit aſſimilis virtute Philoxenus olim,
Ille ſuo Vates candidus alloquio.
Latomias trudi in Siculas prius ambiit Heros,
Quàm Tragicum Regis laude probare ſtilum.
Hac ſollers aetate tamen prudentia habetur,
Fallere mellitis, & dare verba modis.
Authori nam menda ſuo patefacta, Sodales
Diſplicuiſſe magis, quàm placuiſſe putant.
Atque ideo Involvunt ſub amica ſilentia culpam;
Plauſibus & fictis omnia ſcripta probant.
Laus trahit una animos (ajunt) Juvenumque Senumque.
Demus inanis io quicquid honoris amant.
Siccine res porrò eſt? proh quantùm ab lumine diſtat
Talia qui caecâ mente volutus agit!
Haec ſunt vera, quibus placet ignorantia, non his,
Plurima diſcendi quos trahit unus amor.
Hinc fit, ut errores creſcant, Monitore carentes;
Author & in pejus vi graviore ruat.
Haeccine conſilio prudentia plena feratur,
Decepti an potius ſumma ruina animi?
Quid tandem audendum? Mundum de more ſinamus
Currere: praecipitem quis retinere queat?
Sit fraudem libaſſe ſatis. Nunc tempus agi res,
Tendere dum cogor quò mea muſa vocat.
Cara ſuper totum quid Pieri amabilis aurum,
Quid petis a famuli dexteritate tui?
Digna Valentino laudum praeconia poſco.
Nobile ad ingenium gloria vera facit.
Ecce tuum, tanto ſi dignor honore, Poëtam.
Carmine, Diva, meo mox data juſſa ſequar.
Non ſic Phoebus amat laurum, Dea Pallas olivam,
Alma Venus myrtum, caſta Diana nemus;
Nomen ut Herois trans aethera, tranſque remotos
Tethyos acceſſus nunc mihi ferre placet.
Ille Maroneum cantari dignus ad oeſtrum.
Albius, & Flaccus quid cecinere, meret.
An Caeſar, Maecenaſque, & Meſſala fuere
Ingenio illuſtres nobiliore viri?
Quid mihi Torquatum, & Brutum, Fabiumque Vetuſtas,
Quidve Coruncanum, Sulpiciumque notat?
Vult quid Anaximenes, Piſiſtratus, Hermagoraſque,
Cum Potamone Cleon, cumque Pericle Cato?
Noſtra Vetuſtati gnatos non invidet aetas:
Haec etiam Heroas jactat habere ſuos.
Jure peritorum quantùm diffuſa virorum eſt
Copia! in his virtus quanta triumphat adhuc!
Hoſce Valentinus Doctores praenitet inter,
Ceu ſolet in mediis Cynthia ſideribus.
Ille Cleantheae faſtidia longa lucernae
Pertulit, ut Patrum clarus honore foret.
Volvere nocturnâ, repetendo, manuque diurnâ
Quodlibet exemplar, mens ſua tota fuit.

Mul-

Digitized by Google

Multa obiit, fecitque lubens, ſudavit, & alſit,
Tantus in eloquium pectore crevit amor.
Quid mirum, Authores quae ſunt diſperſa per omnes
Si collecta ſuâ dogmata mente fovet?
Quis ſtupeat, gravido ſi fulmina ab ore profundit,
Attonitoſque facit, ſaepe tonando, animos?
Arrectae riguere comae, & vox faucibus haeſit
Gentis, ubi explicuit Tullius artis opes.
Nonne Valentinus cauſſas cùm fervidus orat,
Murrucina ſilet rapta ſtupore acies?
Saepe ſonum thalamo ſub fluminis audit Aternus,
Attollitque caput, laetitiàque fremit.
Phyllodoce, & Drymo, Beroëque, Opiſque ſequuntur,
Et Xantho niveis, & Galatea genis:
Leucothoe, Eurynome, Spioque, & Deiopeja,
Flavaque Laodice, glaucaque Cymothoe:
Cydippe, & Clymene, & pulcherrima Neptunine,
Quotque alacres ludunt Najades inter aquas.
Ad numerum pars membra movet, pars carmina dicit;
Parſque hilarat conchis aequora, parſque tubis.
Expletiſque jocis, ſeſe dant flumen in altum
Saltibus; & ſpumans fertur in aſtra liquor.
Hiſce loci Deus ipſe modis, Nymphaeque puellae.
Te celebrant, Heros inter habende Deos.
Latiùs unanimes referunt Te ſenſibus Urbes
Conſilium Patribus, praeſidiumque Reis.
Quin etiam ipſa tuos clarant monimenta labores,
Quantaque ſit ſtudiis, parta trophaea, docent.
Neu pudeat laudum: ſit amica modeſtia longè.
Debita virtuti quis ſua dona neget?
Fallor? an aucta tubis centum Te fama merentem,
Quà calor excreſcit, quà riget Aethra, canit?
Jam Tagus, & Nilus, Tigriſque, tuumque Maragnon
Ad plauſum, ex imis proſiliere vadis.
Ardua jam vaſti reſponſant culmina Mundi,
Ingeminantque datum voce jocante decus.
Doctor io, ter io Doctor generoſe triumphe.
Gloria promeritis conſonet aequa tuis.

POllio, cui Cicero virtutis acumine ceſſit,
Et Bernardinus viſus adeſſe mihi eſt.
Orator gravis ille tonat: ſua fulmina Doctor
Eloquii hic ruptis conjicit aggeribus.
Ergo Teatini ſtupet excita turba Senatûs;
Tantaque de Caelo pignora lapſa putat.
Aſt dubitat, ſit uter ſublimi in munere major.
Ingenii ubertas tanta in utroque viget.
Vidit, & alma ſuis ridens Thetis inquit ab oris:
Nil mihi cum dubio, turba perita, tuo.
Eſt dubium (mihi crede) tuum; ſed certa propago
Et Bernardinus, Pollio & ipſe, mea eſt.

III.

Sive in equo, aut menſâ, lecticâ aut Plinius eſſet,
    Seu tantum exciperet Bibliotheca caput;
Nunc ſcribenda aliis dictabat acumine mentis,
    Aurea ſcribebat nunc documenta ſtilo.
Huic ſimiles ſpatioſum Animae viguere per Orbem,
    Unde honor invaluit, culta Minerva, tuus.
Porcius ille Latro ſtudia interrumpere nunquam
    Pertulit; aſt nocti junxit, agendo, diem.
Quin opus inceptùm nunc deſilt intervallo,
    Pectora per longas cùm cecidere moras.
Facta Platonis in his, Sophocliſque, & Iſocratis, & tot
    Heroum mediter quid memorare notis?
Sudores laſſam non deſtituere Senectam,
    Finierunt uno vita laborque die.
Nec ſine Palladiis poterant conflictibus auras
    Carpere, nec reſides inter adeſſe greges.
Si cauſſam novitatis amas cognoſcere, longo
    In Naturam Habitus tempore verſus erat.
Non aliter (ſi parva licet componere magnis)
    Accidit ardori, Vir generoſe, meo.
Et ſtudia, & libros, prorſùmque, & carmina, & Aſcrae
    Arma Machaonii mî vetuere Senes;
Nocte ſub aeternâ ne claudere lumina prorſus
    Cogerer, & truncò par ſine luce forem.
Nam modò caecutit mihi debile lumen, & umbrae
    Circumfuſae animo dant aconita meo.
Sed grave conſilium, monita, infeſtoſque rigores
    Adriacum ventis in mare ferre dedi.
Anne piger vitae ſectari marcida poſſim
    Otia, & impatiens ſpernere quicquid amem?
Non ita: conſuetas redeo, quaſi luſcus, ad artes.
    Praeſtiterit medicam fors mihi Phoebus opem.
Phoebe Pater, ſi grata tibi ſunt barbita, & aequis
    Inſpectas oculis quos tuus urget amor;
Fac tibi cura mei ſit ſemper, & erige vires,
    Carmina ut Heroâ nobilitate ſonent.
Te Duce, nulla humilis relegam veſtigia Muſae.
    Protendam impavidos culmina in alta pedes.
At celeri quò, Phoebe, rapis molimine Vatem?
    Quaeve novâ praeceps in loca mente feror?
Ante oculos quàm pulchra meos nunc ſcena paratur!
    Scena voluptatem progenitura Diis.
Orta duas inter lis eſt non parvula Divas,
    Jure Valentinum vindicet utra ſuum.
Illa, ut ab ore reor, ſancti Themis alma Senatûs,
    Haec eſt Pierii Calliopea Chori.
Una ait: en libri, queis nota mohatra, raboque,
    Et ſuitas; Textus, Pragmaticaeque Statûs:
Practica, Codexque, & Monitoria, Pandectaeque,
    Quotque Forum, & rectus jura Senatus habet.

Lege

Lege quid Authores complectar utrâque peritos,
Praepete quos pennâ Fama ſuperſtes aget?
Mente Valentinus fovet iſta volumina Doctor.
Filius ergo meus, palmaque tota meà eſt.
Altera ſubridens: quid barbara nomina jactas?
Hinc apage: an cenſes verba latina loqui?
Ut vincas, mea Diva, placet tibi dicere Barba=
Riſmos ridiculos, & mala miſta bonis.
Nunc age, ſubrectis, quicquid loquar, auribus hauri.
Sic argumentum, puraque verba leges.
Cernin Apollineae permiſta volumina turbae?
Aequa Valentinus carmina finxit adhuc.
Hic citharas, & plectra vides, ſua ſiſtra, lyraſque:
Arma Aganippeo ſemper amata Choro.
Ipſe alacri pollet virtute Poëſeos; ergo,
Cùm mea dona colat, gloria rite mea eſt.
Tunc Themis: aſt viridis Doctorem laurea ſignat.
Laurea Doctorum circuit una comas.
Calliopea autem: decorat ſua laurea Vatem.
Laurea praecingit Vatibus una caput.
Inter utranque Deam lis duratura fuiſſet
(Jactandi ſtimulus tantus honoris erat)
Ni foret ex ſummo vox aethere lapſa per auras:
Calliopea tuus, Vir tuus alma Themis eſt.
Doctor enim, Vateſque ſimul Tuſcuſque Latinuſque
Intonat eloquio, carminibuſque ſonat.
His ſuper Heroas celeberrimus eminet omnes
Dotibus, & veſtrae conſulit Hiſtoriae.
Haec patulas ubi grata meas vox attigit aures,
Pocula plena avido nectaris ore bibi.
Ergo triumphantem ſubeunt nova gaudia mentem;
Pectore nec potui continuiſſe ſonos:
O Marrucino clarum decus addite Caelo,
Plaude: nitet capiti bina corona tuo.
Magna ſonaturi dignaris honore Poëtae:
Cauſſidicos inter non leve nomen habes.
Hoc Superûm teſtis vox ipſa, Deaeque probarunt;
Hoc tua perpetuâ lampade facta probant.
Quid magis in terris poſt haec monumenta requires?
Sufficiet titulis gloria tanta tuis.

LV.

Cum capitis fixo dormire dolore nequibam,
Scire quid ediderim, Vir ſtudioſe, velis?
Haec ego de ſomno cecini. Si forte placebunt,
Plura, dedit ſomnus quàm mihi, mella dabunt.

Ad Somnum.

Somnule blande veni; rerum dulciſſime, longam
Quid molire moram? Somnule blande veni.

Sive Corinthiacas ſedes, ſeu Lemnia ſaxa,
    Proxima Cimmeriae ſeu colis antra plagae;
Tectus habes alas puſſo velamine, & alis
    Duceris: huc igitur, ſomnule blande vola.
Cara fatigatae tu vitae oblivia confers,
    Publica curarum tu medicina ſapis.
Cunctorumque Deûm tu Rex, hominumque vocaris,
    Et quot in immensâ bruta vagantur humo.
Te per ego has dotes, titulosque, tuosque triumphos,
    Huc iter inflectas, triſtior ore rogo.
Quò dilecte Deus, Divos mitiſſimus inter,
    Quò mihi nunc hoſtis, non rediturus abis?
Quomodo formosâ Fili formoſior ipsâ
    Nocte, oculis ſuffers tam procul eſſe meis?
Nonne vides, ſine te nullam mihi ineſſe quietem?
    Te ſine quot patiar taedia, nonne vides?
Heu! laſſi miſereſce mei, miſereſce dolentis,
    Qui capitis cogor pervigilare malis.
Pallidus, exanguis videor, conſumtus, & aeger;
    Nec pietas morbi te movet ulla mei?
Quin potius celeres huc, ſomnule, dirige pennas,
    Et mea molliculâ lumina claude manu.
En clauſae in caveâ volucres tibi carmina dicunt;
    En vocat arguto te levis aura ſono;
Te violas molles, te nota papavera, teque
    Pleno Chia ſcypho pellicit ambroſia.
Et tardas moroſus adhuc? quae crimina feci,
    Surdus uti precibus nil moveare meis?
Pignore contendam poſito, non vivere notum
    Me tibi, cùm nihil praeſtita vota putes.
Ille ego ſum Vates (ſi neſcis) percitus oeſtro,
    Cui citharam largo munere Apollo dedit.
Hac citharâ meditor tibi carmina pangere amoris,
    Carmina fors genio non abigenda tuo;
Nanque decus, nomenque tuum, laudeſque ſonabunt,
    Et Generi humano quot bona ferre ſoles.
Ocyor ergo veni: ſi forte venire recuſas,
    Venerit (heu!) mortis per mea damna ſopor.
Et pateris, cunctis dicatur ut Orbis in oris,
    Crimine conſumtum me periiſſe tuo?
Si te cura meae non commovet ulla ſalutis,
    Te bona, quam perdes, ſomnule, fama premat.
At mea dulciſſuo jam lumina condere lapſu
    Incipis, & requie languida membra levas.
Blandule, mollicule, atque venuſtule ſomnule, ſalve;
    Salve, & in officio progrediare tuo.
Muſa abeat peſſum, peſſum ſua carmina, & oeſtrum.
    Stertere nunc Vatem, non ceciniſſe, juvat.

CL.

Digitized by Google

CL. V. JOSEPHO AURELIO

DE JANUARIO.

I.

ILle Phalanthaei (ſi vera eſt fama) Tarenti
Filius argutâ nobilis in citharâ,
Ante Patres docti ſtetit Eumenus illo Senatûs,
Plenaque viſuris Amphitheatra Choris.
Omne iniit ſtudium, quò bellè incedere poſſet,
Et trahere attonitos ad ſua geſta oculos.
Pictus acu chlamydem ſigniſque, auroque rigentem,
Vitreus & fuco decipiente genas.
Chryſolithiſque ſuper, poſitiſque ex ordine gemmis
Cingebant roſeas aurea ſerta comas.
Palla ſuperba pedes latè defluxit ad imos.
Non niſi praecipui cuncta decoris erant.
Haec rerum ſpecies, & fulgida forma ſuarum
Indicium ad magnos exhibuere modos.
Ergo tenens citharam dat ſigna noviſſima, cantum
Quilibet admotâ laetus ut aure bibat.
Continuò unanimes fecere ſilentia turmae,
Dulci expectantes carmine dulce melos.
Aſt vocem immanem, horrendam, perque omnia acerbam
Mox incompoſitis motibus ille dedit.
Tunc rabie fremuere animi, ſtomachoque citati
In miſerum linguas exacuère ſuas.
Ludibriis circùm, & naſo criſpante cachinnis,
Innumeriſque ſonant ampla Theatra probris.
Undique fit ſtrepitus mordacibus editus auſis.
Ardua diffuſum murmur ad aſtra volat.
Pallidus amiſſo fugit Actor honore per umbram,
Haec habuit meritis praemia digna ſuis.
Forte ego talis ero, Joſeph dulciſſime rerum,
Dimidiumque Animae, deliciumque meae.
Expectas tenui deducta poëmata filo,
Cum Populo ut poſſis dicere grande ſophos.
Videris aſt miſeros ubi me diſperdere verſus,
Et rudere a ſcabrâ qualis aſella molâ,
Stulte gravi (dices) procul o procul eſto ſuſurro,
Ne feriant aures aſpera verba meas.
Haeccine ſunt docti monumenta canora Poëtae?
Haeccine dulciſonae pignora amica lyrae?
Inceptum nunc luſor opus nunc deſere Phoebi.
Non facit ad digitos barbitos ulla tuos.
Nonne vides, velut argutos ſtrepis inter olores
Anſer, & ira tuo fervida in ore rubet?
Pone modos, cùm magna tuis ſtridoribus audax
Dedecoras Pindi Numina, pone modos.

Boeo.

Boeotûm craſſo quid nate ſub aëre volvis?
    Quaeve tuum ſtimulat vis inimica animum?
Heu nihil invitâ fas fidere quemque Minervâ!
    Cede locum. Eſt buxo qui meliore canat.
Anne ſtat ultra aliquid? concepto parce furori:
    Parce, precor, Vati, care Joſephe, tuo.
Reſcieris cauſſam ſi futulis arte Camoenae,
    Mî veniam placido forſitan ore dabis.
His Epigrammata, Elegos, Odaſque rogatus, & illis,
    Saepe dedi largâ multiplicata manu.
In pretium venère meo malefacta labori.
    Tanta ſub ingrato pectore ſaevitia eſt.
Tunc ego: quid juvat ad ſuetam evigilare lucernam
    Iſta Cleanthis, opus ſi malè perdo meum?
E laribus vos ite meis, procul ite Camoenae,
    Tuque Aganippei praeſes Apollo Chori.
Inque malam properate crucem mea carmina, dixi,
    Carmina perpetuo non repetenda die.
In caput ante ſuos vertent vaga flumina curſus,
    Lunaque converſis retrò redibit equis,
Veſtra iterum quàm cura meo ſub pectore ſurgat,
    Depoſitamque legam tangere, ut ante, chelyn.
Vix ea: quaerenti ſtatui quodcunque negandum,
    Implicitum ſimulans rebus ineſſe meis.
Ante tamen Rhetor faſtidia longa Scholarum
    Finieram; & Sophiae me revocabat amor.
Hinc nimium mihi facta rudis mens torpuit, ex quo
    Aonias potui deſeruiſſe Deas.
Ex his cauſſa patet, cur ruſtica carmina mittam,
    Carmina conſpectu non bene digna tuo.
Nec mirum. Tribulos producere, & undique acutos
    Terra rubos nullo culta ligone ſolet.
Si nullos (referes) ſtatuiſti effingere verſus,
    Cur modò propoſitum deſeris ipſe tuum?
Luna retrò propera, retròque recurrite flumina.
    Expulit Aonides qui prius, ecce canit.
Mutatur quandoque, ſemel quod mente ſtatutum eſt.
    Conſiliumque alias ſuadet inire vias.
Verte, precor, quaſvis tua lumina verte per oras.
    Nil toto aſpicies ſemper in Orbe ratum.
Adde, quòd ingenuâ virtute notabilis Heros
    Impulit in laudes tangere plectra tuas.
Quid facerem? hoſtiles ſtudui deflectere Divas,
    Et precibus duras conciliare meis:
Parcite, clamando, ſi quondam e ſede fugavi.
    Conſilio ſupplex vos meliore voco.
Pandite nunc Helicona mihi, cantumque movete,
    Pectore ſi pietas occupat ulla locum.
Illae autem, ceu mole forent Marpeſia cautes,
    Reſpuerunt ſurdâ ſupplicis aure preces.
Apparent dirae facies, inimicaque Vati,
    Quae colis in ſilvis Numina, Cirrha, tuis.

Prae-

Praeſtiterit quaeſita meae quis lumina menti,
Suſceptum valeam ſolvere ut officium?
Heroum o Princeps ter maxime, maxime Joſeph,
Virtutum radios qui bene fronte geris,
Accipere exiguam, fidentis more Promethei,
Ex te luminibus me patiare facem.
Scilicet accendam quò frigida carmina Vates,
Et meritis poſſim dicere digna tuis.
Grata mihi geminas per noctis ſomnia viſum
Alta ſuper montis culmina ſtare Deas.
Una Poëſis erat, Prudentia & altera juris:
Utraque caeleſtes inter habenda Choros.
Promiſere animis ſcandentibus ardua montis
Serta, triumphales implicitura comas;
Aurea ſerta, ſuis gazas vincentia flammis
Sive, Eoe, tuas, Maurice, ſive tuas.
Jure peritorum, Vatumque caterva frequentum
Obtentura ſuis pignora tanta comis,
Paſſibus elatum certabat adire cacumen,
Et ſibi perpetuo cingere honore caput.
Nobilis huic ſudor largis fluit undique rivis;
Triſtis at eventu grande relinquit iter.
Incitat ille animum; at ſtudio contendit inani:
Defeſſuſque inter ſaxa, ruboſque jacet.
Pars impreſſa pedum retrò veſtigia calcat:
Pars tremit arreptis pendula ſtipitibus.
Hos piget, ut molles quatit aeger anhelitus artus.
Deficiunt alii, praecipiteſque cadunt.
Quilibet ergo ſuis inglorius auſibus haeret.
Et dolor, & miſtus circuit ora pudor.
Ludibriis, Populique jocis, ſalſiſque cachinnis
Obſtrepit omne nemus, percita & aethra ſonat;
Inſultant: quae tanta animos dementia vertit?
Culmina non veſtro ſunt adeunda pede.
Cedite vah Sciolûm temeraria turba. Coronae
Stant meritis ſolùm crinibus aptus honor.
Haec ubi commotâ ſpectaſti fronte, Dearum
Nobilis o Joſeph dote in utrâque nimis;
Diſcite, ais, virtutem ex me, verùmque laborem,
Si placet aeternum frontis habere decus.
Serta meis forſan ſtant munera crinibus. Ibo.
Difficili virtus tramite ſternet iter.
Vix ea. Continuò greſſumque, animumque calentem
Dirigis ad geminae culmina ſacra Deae.
Qualis in aërio fluitantia nubila tractu,
Caecaque ventorum praelia ſpernit Avis;
Nec cita ſiſtit iter, donec pennata Satelles
Afferat irato tela triſulca Jovi;
Haud ſecus & caſus contemnis & omnia, Joſeph
Victor, inacceſſae dura pericla viae:
Et montis loca ſumma tenes. Tunc agmine facto
Te comitem excipiunt conditione parem

 Albius,

Albius, Aurelius, Maecenas, atque Philetas,
    Laurea, Syncerus, Lucius, atque Maro,
Statius, Æmylius, cum Gallo Pollio, & Aulus,
    Callimachus, Flaccus, Naſo, Pedoque ſuus.
Immo Coruncanus, Brutuſque, & Scaevola, Druſus,
    Manlius, & Rufus, cum Cicerone Cato.
Tu quoque ades factis, Accurſi, Argente, Minuti,
    Bartole, Alexander, Balde, Gravina, Roſa.
Quis numerare ſuis Vateſque, & jure peritos
    Verſiculis poſſit? magna caterva fuit.
Te, Joſeph, ait una ſuum pars eſſe ſodalem,
    Barbiton indulgens cùm tibi Apollo dedit.
Omnibus eſſe ſuum pars militat altera nervis;
    Nanque tuâ Legum gloriâ fronte nitet.
Smyrna, Chios, Salamin, Colophon, Rhodos, Argos, Athenae
    Auctorem Iliados ſic voluere ſuum.
Aſt ter io poſtquam cecinere triumphe, merentem
    Ante coronatas te ſtatuere Deas.
Adventu laetata tuo ſatis utraque plauſit.
    Nectaris in verbis neſcio quicquid erat.
Haec audiſſe ſcio: proh natam ad grandia mentem,
    Attonitâ dignam poſteritate coli!
Macte tui virtute animi, praeſtantſque libellis,
    Hac immortalis dote paratur honos.
Te tua ſublimem Reſpublica ad aethera tollit,
    Laudatumque facit cuncta per ora vehi.
Per te, quae frontem proceſſerat horrida ruper,
    Contractiſque fuit plurima ruga genis;
Tota venuſta micat Legum Sapientia vultu,
    Blanditiiſque animos ad ſua jura trahit.
Ecce volant, & mille ſuis dant oſcula labris,
    Oſcula Cecropio dulcia melle magis.
Quis tam formoſam non diligat ore Parentem?
    Prona quis arbitrio ſubdere colla neget?
Solis ab occaſu Reſpublica currit ad ortum,
    Civis & exultat quilibet eſſe ſuus.
Et merito; ut Venerum cultis conſidere in hortis;
    Concilio aut Divûm laetus adeſſe putat.
Deliciiſque frui ſatiantibus atque beatas
    Dulcifluis aures plaudere colloquiis.
Sudati ſunt iſta tui monumenta laboris,
    Gloria perpetuò quo tibi larga venit.
Scriptores ſtudiis quae ſunt diſperſa per omnes
    Tu collecta tuis, dulcis Alumne, tenes.
Inque tuum jus haſce vocas, decretaque Judex
    Maximus aſpectu liberiore facis.
Et Graecos percurris ovans, titulſque Latinos,
    Quicquid & antiquae nobilitatis habent.
Gloria nec rerum Terris patet una tuarum.
    Proh quantùm ingenii multiplicantur opes!
Munera ſive tui certamine plena Senatûs,
    Sive hominum mentes, docte Poëta, canis;

Ingé-

Digitized by Google

Ingenuaſque artes, moreſque, atque abdita Legum,
    Aut in pauperie, divitiiſve malum;
Quam rectum, quam grande ſonas! ab Apolline felix
    Crederis argutam corripuiſſe lyram.
Funera ubi renovas, reſponſant flebile ſilvae,
    Flebile Sebethus, flebile ſaxa ſonant.
Cùm Patriae Heroës, Nuptaſque, Viroſque, Puellaſque,
    Et quid blandiculus dicere cogit Amor,
Et ſpectacla refers, duce Carolo, & auſpice Amaliâ,
    Et meritos celebri Relligione gradus;
Te major ſurgis ſuper omnia, & ardua tangis
    Vertice ſublimis ſidera; tangis io.
Sudaſti longùm ſtudiis, Joſephe, ſub illis,
    Unde Poëſis habet, Lexque profunda decus.
Et bene nixa tuis ſtat tanta ſcientia rerum
    Dotibus, & geminâ maximus arte micas.
Orbe vel in toto nec te praeſtantior alter,
    Carmina ſeu condas, ſeu novè jura notes.
Ergo diſertorum nunc accipe dona laborum.
    Quàm bene ſtat capiti bina corona tuo!
Nec mora. Vel toto circùm gaudente Senatu,
    Serta tuas ornant, aurea ſerta, comas.
Tum plauſu, tituliſque virûm, ſtudiiſque faventum
    Culmina tunſa crepant, murmur & aſtra ferit.
Talia dum ſtupeo mirâ dulcedine captus,
    Excitor a ſomno, nocte ſilente, meo.
Non ſunt, exclamo, nec ſomnia vana videntur,
    Quando Viri meritum Regna per ampla ſonat.
Talia, Diis ducibus, nuper ſpectacula novi.
    Hinc reor eſſe ſuâ non caritura fide.
Sic eſt. Ergo lubens tantis applaude triumphis.
    Ipſo o te major, major & hiſtoriâ.
Invidiam o feris pariture nepotibus: o Vir
    Inter honoratos rite colende Deos.
Vir divine, gravi cujus ſub pondere laudum
    Laſſa, canit veris Fama minora bonis.
Huic quantùm invideo ſorti, dum luce librorum
    Notus es Eois, notus es Heſperiis!
Ac tua ne deſint tam docta volumina Regnis,
    Lipſia dat praelis ingenioſa ſuis.
Haec eadem cuperem, ſed munere largus amico
    Quis mihi anhelatum porriget auxilium?
Carmina ſunt praeſto, ſunt Gaudia, ſuntque Dolores,
    Dive Joſephe, tui, Divaque Virgo, tui.
Sunt quoque ducta meo Sanctorum Epigrammata buxo.
    Siquid amas reliquae forte Poëſis, erit.
Iſta mei monumenta typis excudere vellem;
    At modò Paupertas Relligioſa vetat.
Haec habui citò arata, tibi quae mittere poſſem.
    Parce mihi, implevi ſi data juſſa minus.
Diſtrahor impoſitis curis. Damnabis Amantem,
    Qui nequiens melius ſcribere, mitto animum?

O vitâ

II.

O Vitâ, Joſephe, meâ mihi carior ipsâ;
 O ſtudiumque Animae, deliciumque meae:
Ergone te pietas vicit? Virgoque, Senexque
 Sponſus, & aetherei te monuere Dii,
Ut ſua Chalcidicis mandes encomia praelis,
 Cùm poterunt vires, & bene tempus erit?
O tenerae pietatis amor! ter maxime Divûm
 O favor, aeterno dignus honore coli!
Debitor his magnas valeam quo robore grates
 Solvere, ubi humanum gratia vincit opus?
Aut flammas in amore tuas aequare canendo,
 Cui nuſquam Heroëm terra datura parem eſt?
Dj tibi pro meritis, cùm vim pietatis ab aureis
 Sedibus aſpiciant, praemia digna ferant.
Qui tanti talem te progenuere parentes?
 Proſpera quae noſtro fata dedere ſolo?
Peleos o poſſis, Priamique beatior annos
 Ducere, vel quotquot ſaecula Neſtor habet!
Maximus hiſce mihi ſemper celebrabere, Joſeph,
 Dotibus; & ſemper maximus unus eris.
Sidera dum ſolitos ſervabunt aethere curſus,
 Gramina dum tellus, dum feret amnis aquas;
Dum laurum Phoebus, Pomonaque diliget hortos,
 Dum Bacchus vites, & Cytherea roſas;
Stabit apud memorem tam largi gratia facti,
 Gratia Lethaeos non ſubitura lacus.
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque ſonabunt;
 Quem Pia cumque ſuum dent mihi Clauſtra locum.
Et merito hanc Animam trahet in praeconia fervor.
 Quis ſileat, tanto Principe adeptus opes?
Qui ſilet, ingratae referat mala ſemina mentis;
 Cauſſaque, cur ceſſet dextra Datoris, adeſt.
Carminis optarem percurrere fuſiùs oeſtro
 Qualia munificae ſunt benefacta manus.
At mihi ſi linguae centum eſſent, oraque centum,
 Non animi poſſem dicere dona tui.
Parce, precor, ſi ſim reddendis gratibus impar.
 Debeo permultum, ſed tibi ſolvo parum.
Cùm tamen haec humilis fateor, plenuſque pudoris,
 Dicar ego auxilium fors meruiſſe tuum.
Culpa recuſantis certè, non imporis ulla eſt.
 Hic veniam, poenam criminis ille meret.
Confiteor quâcumque tibi me lege teneri,
 Cùm ſtudeas famae conſuluiſſe meae.
Utque magis creſcant tata debita, Praeco meorum
 Eſſe Operum toto niteris ingenio.
Et facilem venam laudas, placitoſque lepores,
 Quicquid & Aonidum pagina miſſa ſapit.
Non ita dat Siren ſuaves modulamine voces,
 Attonitiſque animos ſopit in aequoribus:

Ut

Ut tua conſtituunt ſenſus mihi dicta beatos,
    Dicta, aliò famulum quae rapuere tuum.
Non ita, Chaoniâ Andromachen, Helenumque receptâ
    Vidit ubi Æneas, gaudia amica bibit;
Nec ſic Penelope gaviſa levamine Ulyſſis,
    Cùm tetigit carae blandula tecta Ithacae;
Ut genio recreata tuo mea pectora pandi;
    Nectare & in longum plena fuere diem.
Dulce meâ eſt audire tuos in laude lepores,
    Dulce mihi Charitum pignora, dulce ſonos.
Splendida at eluſus non ſic mendacia ſector,
    Noſcere uti verum non mihi detur opus.
Nec ſum adeò caecus, non ullo ut lumine cernam
    Ingenii naevos, paupertiemque mei.
Si tamen ignotum dabitur clareſcere Vatem,
    Nomen & audiri, verſiculoſque meos;
Spectantum aut digito monſtrari, & dicier hic eſt,
    Qui Sponſum cecinit, Virgineamque Deam;
Muneris iſta tui jam gloria tota feretur,
    Qui quâcumque potes dote juvare, juvas.
Hoc tibi erit longum, maneat dum vita, tributum:
    Hoc & poſt cineres, care Joſephe, tuos.
Quicquid enim donas, nil raptum temporis horret.
    Quas pietate dabis, ſemper habebis opes.
Sed tua ſubſidiis virtus non indiget iſtis.
    Ditior Heroüm te tua fama canit.
Fama canit ſpatiata ſuper Garamantas, & Indos;
    Regna ſuper, quotquot reſpicit altus Atlas:
Et quà Caelorum jacet extra ſidera tellus,
    Et quà Solis equis non datur ire via.
Hinc totum vulgata ſonant tua facta per Orbem,
    Facta per inſtabiles non peritura vices.
Aſt operum poſthac encomia quanta tuorum,
    Quantaque doctiloquae gloria mentis erit,
Cùm nova quiſque leget ventura volumina in auras,
    Quae jam ſub praeli condita mole gemunt?
Non deerit tua fama locis, famae at loca deerunt,
    Omnia cùm laudis ſint modò plena tuae.
Haec habet inſignis ſibi praemia debita virtus.
    Haec immortalem te facit una Virum.
Ergo ſuperſtes eris, licet omnia diruat aetas.
    Vir ſiquidem dignus laude perire nequit.
Utere ſorte tuâ, tot honoribus utere felix.
    Quae venit ex meritis gloria, juſta venit.

III.

Cernitis? an fictâ deludor imagine rerum,
    Ut ſoleo, mentem cùm furor intus agit?
Tres videor ſpectare Deas per amoena locorum,
    Noſcere & ex vultu, compoſitiſque comis.
Majeſtas proh quanta oculis! quae gratia labris!
    Quàm pulchri ingenuâ dexteritate pedes!

Qua pergunt, tulipae, violaeque, roſaeque eſurgunt,
    Quicquid & in pratis florida Chloris habet.
Ceu reor a facie, mirabilis illa Poëſis,
    Haec Themis, illa fluens nectare Suada ſuo eſt.
Formoſae ſalvete Deae, ſalvete Puellae:
    Ardoreſque animi, blanditiaeque mei.
Haec (homini ſi ſcire licet) quid gaudia ſignant?
    At miſerum! fuſas cerno quid imbre genas?
Anne prius fatum ſtimulis cruciavit amaris,
    Depoſitâque ſinum nunc feritate levat?
Si tibi tantus amor noſtros audire labores,
    Accipe, quae genio conſona verba damus:
Joſeph ille (tuas hoc forte favente per aures
    Nomen iit) noſtrâ dignus amicitiâ;
Eloquioque potens, & jure, & carmine; & inter
    Euboicos primo clarus honore Choros:
Ducere longa fuit patriâ procul Urbe coactus
    Tempora, & ignotis vivere littoribus:
Continuò vigilans, ne furtim lubrica peſtis
    Oppida fatali perderet excidio.
Pavimus heu quantùm, ne quid ſibi cura noceret
    Anxia! quantus iit noſtra per oſſa tremor!
Ex quo Palladias Vir liquit amabilis aedes,
    Concidit in triſtes lacryma crebra ſinus.
Phoebus ab Oceano ſeu currum educeret aureum,
    Seu defeſſus aquas viſeret Heſperias;
Sidera ſeu ferrent ſub nocte cadentia ſomnos,
    Seu roſeis mater Memnonis iret equis;
Miſimus ex trepido ſuſpiria pectore in auras;
    Salſaque ſqualentes diluit unda genas.
Barbitaque, & citharae tacuere, fideſque, lyraeque;
    Indoluitque ſuo Cirrha relicta Viro.
Juraque primaevo non ſunt exercita faſtu.
    Obſtrepuit toto cauſſa nec ulla Foro.
Eloquio caruit ſapientum Curia Patrum;
    Viſaque ſunt moeſtis omnia imaginibus.
Cuncta redi, dixere, redi dulciſſime Joſeph.
    Ad reditum veniet priſtina forma tuum.
Qualis ubi fugit acta dies, color effugit omnis.
    Cùm redit illa, redit rebus & ipſe color.
Scilicet omnis honor, te diſcedente, fidelis
    Diſcedit; pariter, te veniente, venit.
Has ubi Borbonius Rex ebibit aure querelas,
    Joſephum ad Patriam vertere juſſit iter.
Nuncia Cumaeam cùm fama vagata per Urbem
    Attulit, ad fidos hunc remeare lares,
Matronae venere, alacres venere Sodales,
    Venit & unanimi Curia conſilio.
Et reduci dixere Viro bena verba ſalutis,
    Verba ad amici jam multiplicata vices.
Patria quin etiam ſeſe tulit obvia, & inter
    Laetitiae amplexus: o meus, inquit, amor;

Deli-

Digitized by Google

Deliciaeque meae, mea ſpes, mea mulla, Mater
    Dem, ſine, Nate, tuis oſcula amica labris.
Proſpera poſt lacrymas, poſt mille pericula rerum
    Ore frui tandem dant mihi fata tuo.
Quos ego per caſus, per quot diſcrimina ductum
    In medio foveo te, mea vita, ſinu!
Te teneam, & nullo dimiſſus tempore abibis,
    Non ignara mali, cùm mihi ſolus abes.
Adventu nos orta ſuo quoque gaudia habemus.
    Et bene laetitiam pectora noſtra docent.
Theſpiadum nam dulce melos, velut ante, ſonabit:
    Et ciet ad choreas magnus Apollo Deas.
Jura videbuntur regnare potentia faſtu.
    Nec deerit meritae pompa ſuperba Togae.
Facundae alliciet ſuaviſſima gratia linguae
    Pectora, & in terris non leve nomen erit.
Floreat ut ſtudium, urgebit praeſentia Joſeph.
    Herois tantum vis animoſa poteſt.
Hoc Duce, felices longis dominabimur annis;
    Perget & ad ſuperos gloria noſtra Deos.
I nunc, atque Virum vel facto diſcito ab uno.
    Jamque vale: inceptâ nos decet ire viâ.
Quò ruitis? neu vos aſpectu abducite noſtro.
    Siſtite, retro pedes ferte, favete, precor.
Me miſerum! tenues ceu ſpiritus actus in auras,
    Ex oculis ſubitam corripuere fugam.
Quid loquor? aut ubi ſum? quae mentem inſania verſat?
    Ah! Joſeph, noſtri tu modò cauſſa mei es.
Talia cogit amor me fingere carmina Vatem;
    Inque tuum meritis laudibus ire decus.
Gaude animo, ac tantis generoſior ito triumphis.
    Te numeris homines, Diique, Deaeque canunt.
Vive diu felix, & nulla oblivia noſtri
    Te capiant habili tempore. Vive diu.

IV.

SIc eſt. Pierio properans e culmine Phoebus
    Huc (ait) huc oculos verte, Joſephe, tuos.
Sume lyram, quam dono meam: noſ itare quid haeres?
    Quidve moves tacito pectore? ſume lyram.
An facies ignota tibi eſt? ſum Phoebus amator.
    Et lyra, & ex humeris pendula tela docent.
Meque, meaſque tuo potuiſti expellere Muſas
    Limine? nec noſtri nominis eſſe memor?
Haec promiſſa fides? haec eſt conſtantia mentis?
    Ceſſit in aërios altera, & una notos.
Ante levi rebar cariturum fronde Taburnum,
    Et fera fluctivagas non habitura rates:
Juncturaſque lupis ſe prata per Appula capras,
    Nullaque nocturnas aſtra datura faces:

Digitized by Google

Carmina quàm fugeres, & blandula Numina Pindi
    Conſilio quondam tam bene culta tuo.
Facta tamen video, fieri quae poſſe negabam.
    Omnibus eſt poſthac rebus habenda fides.
Ergo ferax careat vernali fronde Taburnus;
    Nec ratis in mediis enatet ulla fretis:
Inviſiſque lupis ineant commercia caprae;
    Aſtraque Olympiaco lumen ab axe negent.
Naturae pateant contraria legibus omnia.
    Expulit en Joſeph meque, novemque Deas.
Nunc animo quae digna tuo ſententia ſurgit,
    Hoſce verecundâ dum bibis aure ſonos?
Parce metu: tibi nanque lubens commiſſa remitto.
    Cura tamen noſtri ſit tibi fida Chori.
Et quia congeſto tua pulvere barbita ſordent,
    Hanc cape, digna Dei ceu monumenta, lyram.
Magna ſonaturum te juverit iſta; nec uſquam
    Carmina ſingentur nobiliora tuis.
Dixerat, inque levem ex oculis ſe ſuſtulit auram.
    Tuque datum tanti pignus Amantis habes.
Cùmque tibi ingenium ſuper omnibus, oſque rotundum,
    Sint & Apollineae tinnula dona manus,
Quid ſtupeam, Vates ſi dia poëmata condis;
    Attonitaſque Animas dulce canendo trahis?
Dilecto ante alios herbaſque, uſumque medendi
    Noſcere ubi Juveni largus Apollo dedit;
Ille manu medicâ, pollenſque ſalubribus herbis
    Iaſides alter Phoebus Iapis erat.
Numinis ergo habili cùm pectine barbita pulſes,
    Tu novus Aonidum crederis eſſe Pater.
Miſſa equidem divina ſonant mihi carmina, & illis
    Delius effuſo nectare totus ineſt.
Totus ineſt, recreatque animos, redditque beatos,
    Dum ſinit harmoniâ dulce ſonante frui.
Audiret ſi fortè tui diſcrimina cantus
    Excitus e campis Orpheus Elyſiis,
Vel comes eſt Superûm, vel diceret: Aethere raptam
    Huic ſtudioſa meam fata dedere lyram.
Hac rabidas lenire tigres, ſaevoſque leones,
    Manibus hac imis otia ferre poteſt:
Et fluviis lapſus, & ſiſtere in aëre ventos,
    Ducere & ad blandum ſaxa vel ipſa ſonum.
Hunc Vatemque probum, curamquè vocàbo Deorum,
    Grandia nam praeter munera Numen habet.
Cùm digitis chordas, cùm pectine pulſat eburno,
    Aſtraque concentu mulcet, humumque ſuo.
Tantà mella ſuper dulcedine pollet, amori,
    Phoebe, tuo carus, turba novena, tuo.
Iſta quidem attonito facer Orpheus ore referret;
    Et ſtupor aeternos cederet in titulos.
Hac ego quae major ſit gloria, neſcio, Joſeph.
    Nobilis hac ſola ſidera adire potes.

Longa

V.

LOnga Domûs, Joſephe, meae num cauſſa peracta eſt?
Anne ſub ancipiti Judice pendet adhuc?
Increpat aſpectu me triſtis Avunculus unum;
Plenaque lamentis littera crebra venit:
Heu Patriae nimium, rerumque oblite mearum!
Haeccine ſunt teneri grandia ſigna animi,
Certior ut factus nec conſolere jacentem,
Nec prece, nec damnis commoveare meis?
Quid, niſi Romani, Generiſque decore Maphaei,
Ingenuoque tibi junctus amore forem?
Quid, niſi me longâ nolles aetate fidelem,
Et tibi larga meâ tradita dona manu?
Cunctane Lethaeo ſub gurgite merſa feruntur?
Cunctane praepetibus rapta abiere notis?
Dum ſteterat Domus alta, frequens hanc littera viſit,
Servitium ſpondens fida miniſtra tuum.
At ſimul impulſa eſt, dedit ipſa ruina timorem:
Ceſſit & his primum caſibus officium.
Eſt velut umbra comes per lumina Solis eunti,
Nubibus hic domitus cùm latet, illa fugit;
Mobilis haud aliter ſectaris lampada ſortis,
Quae ſimul oppoſitâ nube operitur, abis.
O fidei exemplar! gravis o conſtantia mentis,
Digna equidem ſerâ poſteritate coli!
At non in Danaum talis Patroclon Achilles,
Dilectumque fuit Niſus in Euryalum.
Aſpera nec Pilades ſub fata reliquit Oreſtem.
Pro Comitis vitâ legerat ille mori.
Barbarus & quamvis, hominumque cruore profuſus,
Fertur adhuc fidei jura probaſſe Thoas.
Quid memorem tanto rerum diſcrimine amores,
Theſeu, ſive tuos, Hercule, ſive tuos?
Aut Anchiſiades quo pectore amavit Achatem,
Ductor & Argolicae Neſtora militiae?
Ille meus, meus ille Nepos nil talia curat:
Nec facit ad ſenſus crebra querela ſuos.
Terque quaterque dedi queritantia carmina, votis
Acceleranda ſuis ut mea cauſſa foret.
Omnibus at peragens aliena negotia nervis,
Non ſecus alloquio ſe movet ille meo,
Ac ſi dura ſilex, aut mule ſtet horrida rupes,
Spumea quam tumidi verberet ira maris.
Queſtibus hiſce meos conſumit Avunculus artus,
Et terit hanc triſti, quo dolet, ore Animam.
Quae tantis, Joſephe, malis medicina feratur?
Paeoniâ famulum quis levet arte Deus?
Tu potes. Ah litis certamina tolle forenſis,
Cauſſaque judicio finiat acta tuo!
Sic ſtimulis liber mortalibus inde carebo.
Sic mea vita tui pignus amoris erit.

His ego non dignor, nam condita pectore virtus
Nulla meo eſt, tantas quae mereatur opes.
Omnigenâ qui dote ſcates, tua gratia abundet,
Fac, ubi defectus invaluere mei.
O animi pietate vigens, o candide Joſeph,
Pande, precor, tenerum nunc mihi pande ſinum.
Effice, ut angores in priſtina gaudia vertam,
Virtuteſque canam blandulus ore tuas.

JOANNI ANTONIO SERGIO

JURISCONSULTO

PRÆSTANTISSIMO.

I.

POſtquam Pharſalico ſtrepuerunt cornua campo,
Quo fera Pompejus, Caeſar & arma ciit,
Perditus ille Ducum, Comitumque cadavera vidit:
Conſuluitque miſer mox dare terga fugae.
Jamque dies claro fulgebat poſtera Caelo,
Cùm, Lariſſa, tuum venit ad hoſpitium.
Tunc Patrum, & Juvenum plaudentibus agmina ſignis
Obvia Pompejo ſunt citò facta ſuo.
Ille autem: officio quid me decoratis, Amici?
Non ego, at haec Caeſar congrua dona meret.
Dicite: io Caeſar Domitore triumphe ſubacto;
Nanque trophaea legens hic mea victor habet.
Debita Caeſareae dedatur gloria dextrae,
Gloria, quâ nomen tendat in aſtra ſuum.
Aſt domito immeritos mihi reddere omittite honores.
Non facit ad triſtes laus ſtudioſa vices.
Ærumnas ſat noſco meas, ſat pectora noſco.
Parcite concordes plauſibus ergo meis.
Talia, cui totus terrarum paruit Orbis,
Gentis ad exemplum Vir monumenta dedit.
Haec ſi facta licet componere grandia parvis,
Quàm bene conveniunt rebus, Amice, meis!
Carmina noſtra tuò vehis ore per aſtra, Joannes,
Ore, ubi mella ſtruens Attica luſit Apis.
Dulce tuos aperis non ficto pectore ſenſus.
Dulce meum fido cor trahis alloquio.

Teque

Teque refers Elegos legiſſe levamine mentis,
   Cauſus uti vivax Spiritus hiſce foret:
Et gratâ miſiſſe meo novitate Joſepho,
   Laudibus ut biberet gaudia plena ſuis.
Quin Vati placitura canis nova pignora Vates,
   Quae mea abortivo tempore Muſa parit.
Harmonicum, facilemque ſtilum, verèque Latinum,
   Et purum a puro currere fonte notas.
Ingenii commenta probas, traheriſque Poëſi,
   Ore nec aurifero me celebrare fugis.
Nanque Idea placet, meram ut collimat ad unam,
   Vivaque judicio cernitur eſſe tuo.
Et Charitum donis Elegidia plena fateris,
   Plauſibus unde ſoret turba Latina frui.
Denique quid ſtudiis celebres ſparſere Poëtae,
   Verſibus eſſe putas, docte Poëta, meis.
O mihi mens utinam veterum foret ultima Vatum!
   O utinam tanto dignus honore forem!
Grande decus Cirrhae, Legumque columna, Joannes,
   Parſque Animae melior, dimidiumque meae,
Ignibus ah! nimiùm raperis ferventibus oeſtri.
   Debita non equidem gloria tanta mihi eſt.
Verte aliò laudes, laudum ſit meta Joſephus.
   Ille tuos plauſus, Orbis & ille meret.
In me quae celebras, hunc lumina mentis inaurant:
   Et mea, quae Comitis ſunt monumenta, facis.
Æternis hunc ergo lubens fer ad aethera faſtis:
   Heroiſque tuo nomen in ore ſonet.
Seu referas Juris, ſociaeque Poëſeos artem,
   Diſtinctaſque ſuis partibus Hiſtorias:
Seu Graecam, Latiamque habili munimine linguam;
   Quicquid & ingenuâ dote Mathema docet:
Aut hominum mores, & Regna, & flumina, & Urbes;
   Vel Sophiae, ſummae vel Deitatis opes;
Tantarum bene culta Viro ſapientia rerum eſt.
   Par neque (te praeter) perſimiliſve datur.
In te ducta nitent certamina quinque triumphis,
   Gloria Democriti non levis unde ſonat.
Omnigenâ inſignem te reddidit arte Magiſtrum,
   Cùm medio erudiit cara Minerva ſinu.
Munera virtutum complecteris omnia Natus,
   Quae cerebro gaudet Mater habere ſuo.
Scribere facta ſtilo tu cerneris aemulus aureo;
   Tu canere argutâ, qualis Apollo, chely.
Ingenio ſunt nota tuo quae repperit aetas:
   Cunctaque, ceu menti res foret una, tenes.
Cedite nunc Latii, Sapientes cedite Graji.
   Sergius en omnes eminet arte ſuper.
Prodita nonne canunt doctum monumenta ſub auras,
   Queis Legem, & Verſus foedere juncta probat?
Non ſunt haec (fateor) numeroſa volumina: non ſunt
   Dogmata longa, velut neſcia turba putat.

Qualis

Qualis at ungue Leo Rex noſcitur ipſe Ferarum:
　　Pollice vel Cyclops, grande Timanthis opus;
Non ſecus e ſcriptis, ſtupeant quas ſaecula, chartis
　　Doctiloqui virtus ducitur illa Viri.
Fingite de puro manantem fonte liquorem,
　　Praenitidum cumulo tendere in arva ſuo.
Fingite jam gravidam pretioſâ merce carinam,
　　Indice, ſive tuâ, Maurice, ſive tuâ.
Dicite dein plenis concordes dicite buccis:
　　Tale ſuum jactat Sergius ingenium.
Plurima ſeu ſcribat, ſeu cauſſas impiger oret;
　　Carmina ſeu diae pangat amica lyrae,
Explicat ille ſtilum purè de fonte fluentem:
　　Virtutumque gravis mens ſibi dote viget.
Dote viget, ſtupidaſque animo gentemque remotam,
　　Parthenopemque facit, cùm ſua dona vident.
Euboici o quoties Patres haeſere Senatûs,
　　Aureus eloquium fudit ut ore ſuum!
Alter in alterius jactantes lumina vultum
　　Dixere: anne redux Tullius ipſe tonat?
Pauſilypi colles, & blandula Mergelline,
　　Flamine ubi ſpirans leniter aura jocat;
Et Megaris, geminâque minans cervice Veſevus,
　　Neſiſque, & Limon, Hermus, & Ægla comes;
Nobilis o quoties melos aure bibere Poëtae,
　　Dulce melos, Pindi e Numine quale fluit!
Attonitoque Viri ſteterunt ad barbita viſu,
　　Laeta ſuperfuſâ carminis ambroſiâ!
Haec ego dum narro, tibi forte, modeſte Joannes,
　　Bella verecundus ſerpit in ora pudor:
Suffuſiſque genis das partâ in laude colores;
　　Qualiter alba rubent lilia miſta roſis.
Parce, precor. Virtus encomia nonne meretur?
　　Cur animo inſidens eſt reticenda tuo?
Æmula num fingo blandae mendacia linguae?
　　Debilis heu vero Muſa minora canit!
Diſplicet hanc laudes modulis tenuare puſillis.
　　Sed veniam innocui criminis illa meret.
Grandia quis valeat parili percurrere buxo
　　Dona, quibus Sapiens non leve nomen habes?
Vanus erit labor, & ſimilis tentantibus omnes
　　Amnis aquas parvo compoſuiſſe ſcypho.
Cogimur hinc tantis praeſtare ſilentia rebus.
　　Clamat adhuc meritum lingua ſilendo tuum.

EPIGRAMMA.

TU me laude ſonas, ego te. Bibit excita Siren,
　Et bibit alternos aure Teate modos.
Gloria ab alterius nato venit altera amore.
　Num placet, ut veniat maxima? creſcat amor.

Miſſus

II.

MIſſus ut Euboicâ mihi venit ab Urbe libellus,
Suaviolum fixi ſuavius ambroſiâ.
Agnovique tui ceu nobile pignus amoris;
Pignus in aeternos ram geniale dies.
Quis tibi nunc valear meritas perſolvere grates,
O deſiderii blandula flamma mei:
Carior hac etiam poſt funera luce, Joannes?
Ingenuis adeò moribus ipſe places.
Filia, Sponſa, Parens, quae carmine ſcribitur aureo,
Praemia candori det, precor, aequa tuo.
Quis te (cede parum pudibunda modeſtia vultûs)
Orbe vel in toto dignior eſſe poteſt?
Comis amor, ſincera fides, laetabilis humor,
Et quot opes virtus ingenioſa colit;
Hanc rapiunt, mihi crede, Animam dulcedine aventem,
Efficiuntque tuo ſtare miniſterio.
Ante Dionaeas Aquilae vitare Columbas,
Prata greges, piſces aequora, ovile lupi:
Inque caput retro vaga flumina vertere curſum,
Paeſtanaſque roſas linquere diſcet odor;
Quám me Sergiadum non vincla tenacia nectant;
Gratia vel meriti poſſit abire tui.
Ergo, ſi biberem pallentia pocula Lethes,
Neu credas animo poſſe labare meo.
Hiſce ſedes, ceu prima fores mihi cura, medullis:
Et loca amicitiae nobiliora tenes.
Secula quid Strophio, natoſque Agamemnone jactant,
Theſeaque unanimi, Pirithoumque foco?
Cur nova Pythagorae Comites documenta ſequuti
Pythias *, & Damon non leve nomen habent?
Oceanum per utrumque ſonat quid amabilis ardor
Tam tuus, o Dari, quàm, Megabyze, tuus?
Ipſe ego te, toto tu me complecteris aeſtu.
Mutua nos tenero cura in amore ſumus.
Cur igitur pleno non dicitur ore, Joannes,
Noſter amor? venas num minor ignis alit?
Decipitur, curtà qui talia mente revolvit.
Noſcere Amatorum nec ſapit ille vias.
Non tot Eryx frondes, non tot Methymna racemos,
Nec tot habet virili culmine Hymettus apes;
Exardere meo quot pectore ſentio flammas,
Quotque ſinu in medio, Vir generoſe, foves.
Nulla tamen noſtros memorat, quibus urimur, ignes
Muſa; ſed urgeri nocte ſilente ſinit.
Sit quodcunque velit; nihil officit illa ſilendo.
Sufficiet merces unica amoris amor.
Gaudenteſque erimus, ſequitur dum foedera, Joſeph;
Ille mei ſtudium pectoris, ille tui.
Vivite felices, millenos vivite in annos;
Sed memor uſque mei vivite uterque, precor.

III.

NEu lege praeſentes ſtomacho indignante tabellas,
  Si videas apto ſeria abeſſe loco;
Aut oculis indigna tuis dare carmina Vatem,
  Carmina furtivis condita temporibus.
Ludere nanque ſolent ſolamine mentis Amici,
  Conſiliiſque brevem jungere ſtultitiam.
Quid faceres? ſemper gravitatem oſtendere durum eſt.
  Chorda ſonans crebrà rumpitur icta manu.
Quaeque patent nullis ceſſura potentibus auſis
  Marmora, gutta frequens praecipitando cavat.
Ergo juvat quandoque animum concredere nugis.
  Fervidior ſtudium ſic recreatus init.
Socrate de gnaro perhibent, in arundine longâ
  Filiolos inter ſaepe equitaſſe ſuos.
Ille nec erubuit ſpectantem ludicra Regem;
  Cauſſa at amicitiae funera aduſque fuit.
Abdita dein rerum, Sophiaeque arcana petebat.
  Et ſtupuit normas Attica terra ſuas.
Nunc luſus, dum ſcribo, ſequi patiare Poëtam,
  Ridiculaſque mei res tibi ferre animi.
Sunt geminae portae, quarum altera eburnea fertur,
  Alteraque ex cornu, Daunia, facta tuo.
Falſa dat illa leves, haec ſomnia vera ſub auras.
  Utraque Lethaeus limina ſomnus habet.
Exierunt portâ ſub tempore noctis eburnâ
  Quae cano futilibus ſomnia verſiculis.
Viſus eram dulces inter gaudere Sodales,
  Urbs o deliciis Parthenopaea tuis;
Alterniſque hilares audire, & reddere voces,
  Blanda ut Amatores texere verba ſolent.
Pars ciet ore ſales, pars exhibet otia riſu.
  Dum canit iſte, placet, dum ſapit ille, beat.
Omnibus ergo animos lenibat amica voluptas.
  Nempe ſodalitium nectaris omen habet.
Gaudia convivans ſic hauſit Horatius olim
  Soſpite cum Varo poſt fera bella ſuo.
Bella, quibus clades perterruit alta Philippos,
  Saxaque Pangaei contremuere jugi.
Tot proſtrata ſolo jacuere cadavera paſſim.
  Tanta fuit turmae, Brute, ruina tuae.
At quò, quò rapior? procul o monumenta dolorum.
  Non facit ad ludos moeſta Thalia meos.
Laeta juvant, laetâ recreantur imagine ſenſus.
  Ergo alacres primum ſuſcipiamus iter.
Dum laetabar, ubi eſt, dixi, meus ille Joannes?
  Joſeph ille meus tam mihi carus ubi eſt?
Et quidam: haſne Animas, queis nulla ſagacior uſquam eſt,
  Ducere deliriis otia velle putas?
Mente, miſelle, tuâ melior ſententia ſurgat.
  Quàm procul a recto tramite verſus abis!

Ille

Ille tuus Joſeph ter amabilis, ille Joannes
Sunt equidem, ut verax indicat hora, domi.
Non datur his requies Heroibus ulla per annos.
Nocte, dieque tenet grandis utrumque labor.
Rege ſub Euryſtheo ſic Vir Tyrinthius olim
Pertulit indomito qualiacunque animo.
Sorte ſed imparili. Furor invidus arſerat illinc;
Unicus hinc verae nobilitatis honor.
Illum Juno diu crudelibus aſpera fatis,
Hos placitum Matris calcar amantis agit.
Nempe ſibi electos fecit Sapientia Natos;
Nec ſinit a ſtudiis poſſe vacare ſuis.
Dia Themis, Legum Prudentia, Suada, Poëſis
Hos penes aeternam conſtituere moram.
Seu regat aethereos Sol ignea plauſtra per Orbes,
Seu vaga nocturnos Cynthia ducat equos,
Quaeque ſuâ ingenuos exercet in arte Magiſtros;
Hinc prodire vider par ſibi mentis opus:
Mentis opus, pennâ quod tranſvolat ocyus oras,
Axis Eoe, tuas, Veſper opace, tuas.
Si celebres ſpectare Viros tibi tanta cupido,
Culmina honoratae ſunt adeunda domûs.
Nequa autem effugiant oculos ſpectacla Dearum,
Ablue te vivi fluminis inter aquas.
Cernere namque nefas haec impedit. Ergo ſub undas
Projice te nudum: crimine mundus eris.
Tunc ego: num Nymphas accendiet igne videntes?
An placet haec veſtris ſcena fruenda oculis?
Ridiculi, indignis praeſtate ſilentia rebus;
Inque malam celeri turbine abire crucem.
Ilia tunc omnes reſono conſternere riſu,
Et genialem animis ingeminare jocum.
Interea dicto bona turba valete, tetendi
Mox iter ad Dominos ductus amore meos.
Ut ventum ad ſedem, compluribus ante rogatis,
Accidit inſolitis res mihi digna modis.
Viſus ut ille Gyges a nemine, cuncta videbar,
Annulus ad palmam cùm ſibi verſus erat;
Sic ego nube cavâ circùm mea corpora ſepius
(Quale dedit Nato tegmen amica Venus)
Facta frequentatis in ſedibus omnia noram.
Sed me qui poſſet cernere, nemo fuit.
Huc Magnatum Animae, quas Itala terra triumphis
Dives alit, cupidos applicuere pedes.
Et Domini, & Comites, Equiteſque, Duceſque, Potentumque
Altior e claro ſanguine Nobilitas.
Quot deſcendentes, aſcendenteſque videres
Attonitus! quantis atria plena Choris!
Haud aliter memores hiemis cùm farris acervum
Formicae populant, ſub latebriſque locant;
Ad campos properant, & ſtricto tramite praedam
Dentibus unanimes in cava tecta trahunt.

Obnixae

Obnixae frumenta humeris pars grandia trudunt:
    Pars urgent ſtimulis agmina pigra ſuis.
Hic Odas ergo, atque Elegos, & juncta Phalaecis
    Ille petit docto verba ſoluta ſtilo.
Pars veterum monumenta Patrum, pars lumina Regni:
    Parſque ſtatum cauſſae, conſiliumque rogant.
Quem rebus ſervare modum teneantur; & unde
    Exurgat titulis gloria vera ſuis.
Jura alii, pulchrique alii fundamina Honeſti.
    Quilibet in privâ quid magè mente fovet.
Voti (quod mirum mortalibus eſſet) ab uno
    Turba Viro compos facta, quod optat, habet.
Materies diverſa patet; tamen arte magiſtrâ
    Omnia tractantur, res velut una foret.
Quid referam Scriptorum aciem, qui tempore eodem
    Carpebant varias ore docentis opes?
Vera loquor: ſtupui virtutem in rebus agendis,
    An foret his, dubitans, Numen imaginibus.
Ceſſit at ambages, audito nomine Joſeph,
    Quo circùm celebres ter crepuere lares.
Nec nomen minus aede tuum interiore ſonabat;
    Scilicet in ſtudiis par tibi munus erat.
Cùm memor ipſe operis, quod littera miſſa popoſcit,
    Suppliciter Dominum factus es ante meum:
Optime Fautorum, ſuper ardua ſidera totis
    Quem meritis notum larga dat ire manus,
Ille tuus, Cajeta dedit cui nomina, ſervus
    Poſcit amans libros, grandia dona, tuos.
Munificos oſtende animos. Hoc pignus amoris
    Jure datis quondam plauſibus ille meret.
Tunc Joſephus: habes quod totâ mente petiſti.
    Mitte, & Epiſtolio rite valere jube.
Atque utinam Vates meliori huc ſorte vocatus
    Afforet! ardores mulceret ore meos.
Vix ea fatus erat, cùm ſcinditur impete nubes,
    Continuòque auram ſolvitur in vacuam.
Praeſens ergo ſteti manifeſtâ in luce diei:
    Et data cernendi copia larga mei eſt.
Aſpectu obſtupuere animi, & fortaſſe parantes
    Multa referre, meae detinuere morae,
Cùm Dominis: Coràm, dixi, quem quaeritis, adſum
    Nuper in hos Thetidis ductus ab Urbe lares.
Grandibus o celebres nimiùm ſuper aethera factis,
    Quos mare, quos tellus laudibus aequa ſonat!
Vos ſoli gemebunda meae vos pignora Muſae
    Auxiliatrici ſat recreaſtis ope,
Tollere de tenebris cùm promiſiſtis in auras,
    Inque ſacro Vatum me numerare Choro.
Sollicitis Solem precibus, votiſque fatigo,
    Pungat ut acer equos, ſurgat & iſta dies.
Gratia rara quidem eſt; ſed ſpem ſolatur amicam
    Littera, promiſsâ non caritura fide.

Ah

Ah vellem meritis tot reſpondere paratis,
Et monſtrare pares ſedulitate vices!
Non opis at noſtrae perſolvere munere grates,
Romani Generis nec quid in Orbe datur.
Æthere ſiqua pias proſpectant Numina mentes,
Praemia virtuti ſplendidiora ferant.
Dum ſpirando fluet, refluetque reciproca Tethys,
In mare dum pronas volvet Aternus aquas;
In ſphaeram dum flamma ſuos feret excita curſus,
Sidera dum noctis fida ſequentur iter;
Praeſto oculos erit ante meos bona gratia facti,
Gratia non ullo diſperitura die.
Semper honoratis tollentur ad aſtra triumphis
Munera, & aeterno carmine vivet amor.
Sic fatus, dextrâ Joſeph, laevâque petebam
Te, cupidus roſeis oſcula ferre labris.
Conjurata animi cùm rumpere gaudia, ſomnum
Suſtulit ex oculis ſors inimica meis.
Invida, crudelis, temeraria, terribilis ſors,
Quis debacchantem te malus humor agit,
Delicias inſana meas ut turbine vellas,
Et dare amicitiae baſia pura vetes?
Hos utinam incideres infauſto ſidere in ungues.
Oſque, crepanſque habitus dilacerata forent.
Et gemeres, Caelumque nimis crudele vocares,
Cùm premeret miſerum tanta ruina caput.
At me quò rabidum, quò fervidus impulit ardor?
Cogimur in medio vertere vela mari.
Sit dixiſſe ſatis: quid ſomnia vana tulerunt,
Effectu experior non caruiſſe ſuo.
Nam mihi cum libro tua venit Epiſtola, & apto
Tempore grata animo gaudia utrumque dedit.
Numina pro tanto tua pignore vota ſecundent,
Dentque tibi fauſtos ire redire dies.
Reſtat, uti memori foveas ſub pectore curam
Supplicis: ardori ſat favor iſte meo eſt.

IV.

ERgo meo cecidiſſe fidem de pectore credas,
Cùm tibi nulla diu littera dixit: Ave?
Deſinet eſſe tuae prius artis amator Ioſeph,
Et grave doctiloqui non canet oris opus;
Veſbius ex calidis vomet ante penatibus undam,
Imaque Sebethi ſerpet in antra focus;
Scylla vorax, Scyllaeque prius conjuncta Charybdis
Dulce dabit feſſis navibus hoſpitium;
Quàm fugiant ſtudioſa meas tua facta medullas,
Facta Aganippeâ non reticenda chely.
Quid timeas? uſum fluvialis arundinis odi,
Quolibet inflectit quae caput acta noto.
Firma tibi exegi monumenta cupidine ductus,
Unde meae Dominus mentis in arce ſedes.

Digitized by Google

Nec Lethe valet ipſa alacrem ſub gurgite amorem
    Vertere; in immemorem plus valet ille ſitum.
Veraci ſi ſcripta animo ſunt carmina (dices)
    Cur mihi nulla tuâ littera miſſa manu eſt?
Pace tuâ haec eadem de te, Dilecte, referrem
    Senſa: probante fores num ratione reus?
Non ita. Quiſquis amat, faſtidia tollere curat,
    Irrita ubi nullo pondere verba cadunt.
Adde, quòd aurifluus partes Ignatius omnes
    Abſolviſſe mei debuit officii.
Terque quaterque Virum precibuſque jociſque rogavi.
    Quae mea culpa, ſuae ſi tacuere vices?
Sergiadum retulit ſua tecta remota ſonoris
    Ab Laribus; longam poſſe nec ire viam.
Integer & vitae, & ſceleris, cùm talia ſentis,
    Nonne tibi purus, docte Patrone, feror?
Finge, quòd aſſimilis fuerit tibi caſus: haberi
    Immemor officii non paterere tui.
Sole tamen tua culpa patet fulgentior ipſo.
    Non tua, nec de te nuntia habere datum eſt.
Has (rogo) neu capias ſtomacho revomente tabellas.
    Da veniam: innocuâ ſimplicitate jocor.
Si peteres ſemper tractantem ſeria Vatem,
    Illa moroſo rupta tenore forent.
Dulcia da teneri mihi denique baſia amoris,
    Muneris in pretium dum tibi mitto Vale.

ILLUSTRIS-

ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. CAJETANO PACHETTI
PATRITIO TEATINO,
ADVOCATO, AC TALEACOTII AUDITORI, PRÆSTANTISSIMO.

Quid juvat & ſcriptis, & voce referre labores,
Queis inhiant pacem vertere fata tuam?
Pandere vel ſolidis quot habes Virtutibus hoſtes,
Hiſque fatigatum ſaepe gravare animum?
Quid mentem laſſus nunc huc, nunc diſtrahis illuc,
Et rapis in varias triſtior ore vias?
Parce, precor, chartis, & acerbis parce querelis,
Si famulum nolueris exanimare tuum.
Non mihi Caucaſeae ſunt circum pectora cautes;
Ænea labenti nec mihi corda rigent,
Nil ut Amicorum me ſors inimica meorum
Torqueat, aut inntis vulnera nulla ferat.
Confiteor leni mihi molle cor eſſe; nec unquam
Talia poſſe alacri ferre ſupercilio.
Quiſquis amat, Comitum ſentit fera damna ſuorum:
Foedera amicitiae ſic bene coepta jubent.
Triſtis erat, matrem poſtquam jugulavit Oreſtes;
Sub tanto Pylades vulnere triſtis erat.
Senſerat Euryali dura infortunia Niſus:
Unde ſuâ patuit morte probatus amor.
Novit ubi Æacides ſtratum Patroclon arenâ,
Arſit, & Æmoniis Hectora traxit equis.
Tantae molis amor teneros eſt inter Amicos;
Velle etenim, ſimul & nolle videtur idem.
Ergo ut agas placidae felicia tempora vitae,
Et tua ſint animo gaudia fixa meo;
Inceptum ſapienter Opus complere Mariæ
Cura ſit: in Lethes cetera volve lacu.
Propoſiti, Dilecte, tenax ſta ſemper, & hoſtium
Altior impavidâ deſpice fronte dolos.
Nocte canes latrant, peragit ſed Cynthia curſum;
Ridet & inſanas, dum nitet axe, minas.
Aſpice tot Procerum, precor, aſpice Stemma tuorum,
Qui tibi in expreſſis dant documenta notis.
Sanguine flagrantes oculis ſuffuſus, & igni
Lethiferum Serpens jam fremit exitium.
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui ſola voluptas
Conſpicere exanimem, quem petit ore, ſubeſt.
Jamque ligat ſpiris immanibus ille Leonem:
Jam medium amplexus, tollit in arma caput.
Aſt Leo magnanimus tam barbara fata minantem,
Corripit, & clauſâ ſtrangulat ipſe gulâ.
Faucibus ergo vomens ſaniem, miſtumque cruorem
Qui necis ante citi praelia, caeſus obit.

Exultat

Exultat celebri Leo clade ſuperbior, Anguem
   Impigra dum ſtrictum gutture laeva tenet.
Dextra gerit gladium ſublimi in vertice acutum:
   Pars tamen extento ſub pede larga patet.
Scire velis quid Stemma notet? Scribentis Amici
   Accipe quid tenui carmine Muſa refert.
Grande Leo robur, Serpens certamina ſignat,
   In Gladio ratio conſtat, & eloquium.
Tu rerum ſuperare potens tot bella, tot hoſtes
   Eloquio debes, & ratione tuos.
Macte animo Comes eſto meus. Superare rebelles
   Sic dabitur mentes, quotquot iniqua fremunt.
Quid non efficiet ratio, & facundia? Cedent
   Dotibus hiſce, tibi qui nocitura parant.
Ergo ſpem reliquos pone in virtute per annos.
   In ſortem, inque homines hac Duce victor eris.
Tunc proh quanta tuis accedet gloria rebus!
   Quanta Triumphator vertice ſerta geres!
Hanc tua progenies, & qui naſcentur ab illâ,
   Ponè Ducem poterunt per genus omne ſequi.
Qualiter in curru ſtantes, vel imagine pictos
   Provida conſuevit pandere Roma Patres,
Poſteritas legeret veſtigia ut inclyta Avorum:
   Addere nam calcar gloria agendo ſolet;
Non ſecus aſpiciens ſoboles, ſerieſque Nepotum
   Stemma, animum ſumet, quo ſibi creſcat honor.
Poſt hominum inſidias, poſt victa pericula rerum
   Tanget io victrix ſidera, tanget io.
Tunc caput o tumuli poſſes attollere ab umbris,
   Et luſtrare oculis facta animoſa tuis!
Euge meus Sanguis, Sanguis meus euge, referres,
   Te facis aſſimilem quàm bene fortis Avis!
Nuſquam cede malis, ſed contra audentior ito,
   Quàm ſors conſilio te ſinet eſſe ſuo.
Ito, & Serpentum capita ardua ſcinde reorum;
   Ito, & inhumano victor ab hoſte redi.
Clara caput truncum jactant cognomina Gentis.
   Prome igitur vires pectore prome tuas.
Prima, quod inſpectas, Decoris tibi compita Virtus
   Explicat. Hanc aequâ mente manuque colas,
Sic facis. Hinc iterum compoſitus pace quieſco.
   Quid magis ex prolis ſedulitate velim?
Aſt Vates quò mentis agor ram devius oeſtro?
   Sit ſatis ad chordas haec ceciniſſe meas.

EPIGRAMMA.

NObile Cauſſidici, praecellentiſque Poëtae
   Nomen habes, Clario Vir memorande ſtilo.
Ergo tibi meritos cingunt duo ſerta capillos.
   Dote quid hac geminâ majus habere potes?

CAR-

Digitized by Google

CARMINUM
LIBER VI.

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM DOMINUM,
D. FORTUNATUM TAMBURINUM
S. R. E.
CARDINALEM SAPIENTISSIMUM.

ARte quid imprudens tractare Poëſeos Auctor
Eligo quae caeco vulgus amore rogat?
Materiem pudet uſque ſequi concentibus imam,
Unde venit nullus Solis adinſtar honos.
Altiùs ergo leves aſſurgant carmina in auras,
Et ſtilus Heroâ laude ſuperbus eat.
Si nequeam excelſae contingere culmina metae,
Audaci ſatis eſt non caruiſſe animo.
Daedalium in Juvenem quis verba procacia vertat,
Aëre deſtituit quòd male lapſus iter?
Siqua fuit tunc culpa, miſer cùm concidit undis,
Fecerunt radii, fervide Phoebe, tui.
Sic ubi ſerpet humi fractum terrore ruinae
Ingenium, aut medio tramite deficiet,
Intendiſſe animum natis ad grandia dicar
Auſibus. Hoc Vati non leve munus erit.
Munus erit Dircaea tuis impendere geſtis
Carmina. Dii faxint, uberiora fluant.
O tua quàm celebri grandis Sapientia cultu
Eminet ante oculos, obvia facta, meos!
Splendori magis illa ſuo Te reddita clarat.
Hac duce, ſpectandus per genus omne micas.
Fortunate, tuam ſtupuere ter inclyta mentem
Clauſtra, quibus Gnatos dux Benedictus alit.
Vox ſonuit diverſa, Patrum plaudente Senatu.
Plauſibus in tantis vox tamen una fuit,
Cùm Te divinis rebuſque, Deique profundum
Doctorem ſtudiis accinuere ſuum.
Et bene ſumma Dei myſteria ritè docentem
Attonito audierunt Regna ſupercilio.
Dotibus his placuit Pietatem adjungere amicam,
Cui neque priſca parem, nec nova ſecla vident.
Pampineâ Cultor ſic ulmum vite maritat,
Pendula odorato quà tumet uva mero.

Sic Berecynthiaco buxo, Oriciâ aut terebintho
    Nobilis Artificum dextera jungit ebur:
Ut formâ meliore micent, nodoque venuſto
    Blandulae ſpectantes abripiant Animas:
Gemma coruſcanti ſic Indica nectitur auro,
    Aut digito, aut collo progenitura decus.
Ergo quid admirer, ſi Te petiere fugacem
    Relligionis honos, omnigenuſque Gradus?
Stare nequit longos Virtus abſcondita in annos;
    Lucis at emiſſâ proditur illuvie.
Scilicet ardentis bene dicitur aemula Solis,
    Qui licet obductus nube, videtur adhuc.
Sed totum magis, atque magis patet illa per Orbem,
    Fertur ubi centum Fama canora tubis.
Hanc tua felicem meruit Sapientia ſortem,
    Unde Patrum norunt agmina, qualis eras.
Geſtiit inſolitis ad nuncia Roma triumphis,
    Nec procul e tenero pertulit eſſe ſinu.
Concilio adſcripſit Te Patrum cauta ſuorum.
    Ambiit ergo tuos Purpura digna humeros.
Mox ſeptemgemini ſonuerunt murmure Colles;
    Et Vaticani luſit imago jugi.
Exciit Heſperidum choreas regnator aquarum,
    Gaudia Naiadum ponè ſequente manu.
Explicuit nitidas Mutinae nova gloria pennas,
    Viſit & Eoos, viſit & Heſperios.
Munia mille tuis commiſſa fidelia curis,
    Munia millenis vix ſubeunda Viris.
At ſolus (tam multa vales) ſatis omnia comples;
    Nec Tibi tot rerum turba inopina venit.
Praeſentis, atque ante animo Tecum omnia volvis.
    His directa modis aggrediuntur iter.
Officium, & Ritus, Librique Orientis, & Index,
    Paſtor & errantes qui bene ducat oves;
Obſervanda Hominum per rectos Regula mores,
    Sacraque Pontificum ſat probat Hiſtoria.
Hinc quàm rara tuam ſoveat Prudentia mentem,
    Diſcimus, & Candor pectora quantus agat.
Ultima non tamen hìc Virtus veſtigia figet,
    Ulterius Merito debitus ibit honor.
Nunc quaſi ſecretis ludit Tibi gloria rectis,
    Undique poſt faſtus explicitura ſuos.
Tempus erit, cùm Te (Divûm Sator omina firmet)
    Geſtiet in primo cernere Roma Throno.
Ex Te ſuſcipiet per vota calentia leges
    Cernuus ante tuos Mundus uterque pedes.
Secula felicem tunc carpent aurea curſum,
    Aurea ſub Regno ſecula facta tuo.
Currite io, dicent, haec currite ſecula, Parcae,
    Proſpera dum ſtabili Numine fata ſinunt.
O ego ſi vitae tunc ducere tempora poſſem,
    Carmina quanta alacri ducta calore forent!

O Tibi

Digitized by Google

O Tibi quot meritas gauderem ſolvere grates!
  Luderet o quali Pieris aura ſono!
Non me Threicius modulantem vinceret Orpheus,
  Nec Linus: argutâ notus uterque lyrâ:
Orpheo Calliope licet excita Mater adeſſet,
  Proque ſuo Genitor ſtaret Apollo Lino.
Sed mihi caligant oculi melioribus annis;
  Suppoſitumque premit Mors pede nixa caput.
Dummodo pacatum moderes virtutibus Orbem,
  Caſibus in tantis ſit mihi dulce mori.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ANTONIO ANTENORIO

ARCHIEPISCOPO ANXANENSI,

ET REGIO CONSILIARIO.

ODE.

QUalis ſecundo robore Pegaſi
Formidoloſis in Lyciae jugis
  Poſtquam reluctantem Chimaeram
    Bellerophon jugulavit audax;
Saevoſque ventos, & reſonantium
Tranſiliſſe fertur culmina nubium,
  Viſurus, arcanis in aſtris
    Quid Genitor strueret Deorum:
Qualiſve Glaucen Phaſiis ignibus
Ulta impudentem, per liquidum aethera
  Non ante tentatum Draconum
    Fecit iter properante pennâ;
Inuſitato ſic ego percitus
Attollor oeſtro per loca inhoſpita.
  O quos ſtupeſcentem in receſſus,
    Phoebe, tuum rapis ore Vatem?
Quibuſve Regnis Praeſulis audiat
Virtute partam dicere gloriam;
  Novâque praecinctum coronâ
    Inſerere ordinibus Priorum?
Correptus acri mente ad imaginem
Pompae decoram, pectoris addito
  Fervore, Muſarum miniſter
    Facta canam ſocianda chordis.
Somno excitatae non ſecus obſtupent,
In murmurantum vertice montium
  Thyrſiſque primùm, ſaltibuſque
    Orgia Baſſarides ſequutae;

Hinc

Digitized by Google

H.c inde Thracen cùm nive candidam,
Et barbarorum ſub Rhodope pedes,
Hebrumque per campos ruentem
Divitiis ſpeculantur aureis.
Placet remotas quàm mihi devio
Spectare ſedes! Nunc faveas, precor,
Ne parva dum trado per aequor
Vela, cadam revolutus undis.
Tu mera noſtri carminis, o tui,
Quà luſtrat oras Sol habitabiles,
Praeſignis Antoni, per omnes
Dotibus ingenii Nepotes.
Minerva rerum praeſcia, mollibus
Te fovit ulnis, blandaque baſia
Figens labellis, te liquore
Ambroſiae ſtudioſa pavit.
Te vel pudicis icta caloribus
Coetus ſuorum ritè Sodalium
Adſcripſit inter, nominatis
Grande jubar ſtudiis futurum.
Nec prima tantae ſpes animum Deae
Fefellit unquam; vota nec arduo
Emiſſa Caelo fluctuoſis
Ludibrium cecidere ventis.
Nam copioſo munere Numinis
Nutritus amplis ſub penetralibus,
Virtutis ornamenta, quorquot
Ex cerebro Jovis orta Virgo
Indixit ardens artibus in ſuis,
Mox induiſti: magna nec ultimas,
Parteſque terrarum propinquas
Dona tuae latuere mentis.
Tunc viſa plenis eſt tibi Patria
Circùm merenti plaudere vocibus;
Tunc & ſuarum te fateri
Praeſidium geniale rerum.
Haec inter aliae lumina gloriae
Se facta major, gaudia protulit;
Afris nec invidit trophaeis,
Nec Latiis Amiterna ſedes.
Per te ſuperbum nempe reſurgere
Vidit Theatrum, quo ſapientia,
Rectique mores, & beato
Quaeque animi pretioſa merces
Vultu refulſit. Tum ſibi nobiles
Crevere vires non ſine honoribus,
Dieſque multò gratiores,
Et meliùs nituere Soles.
Mirum quid ergo, quid populis novum,
Si te Cleanthis lumen ad unicum
Aeternus inſpexit frequenter
Palladiis opibus vacantem?

Victura

Victura in omnes temporis exitus
Hinc Fama, & illinc Relligio ſteiit,
Decorque, regnatrixque Honeſtas,
Teque ſuo impoſitura curru
Dignum triumphis Gloria Filium.
Hac blandiente Scriptor imagine
Allectus, erexiſti in auras
Ingenuo monumenta faſtu,
Quae nec notorum pugna furentium,
Nec poſſit imber, nec fuga temporum,
Hiatus aut terrae, aut tremendo
Diruere excidio vetuſtas.
Perdocta vivent ergo Volumina
Æternitatis nomine, ubi ſuas
Christina virtutes adinſtar
Flammivomi radiare Solis
Diviſa Caelo eſt. Quin & Aprutii
Commiſſa chartis Sancti Cohors tuis
Vitamque, ſpectandoſque mores
Immemorem ſuperaſſe Lethen
Triumphat uno te Duce. Si modò
Zelusque Divûm fulgurat, & fides,
Portenta, caeleſteſque flammae, &
Grandia facta, tuum hoc, fidelis
Eſt jure Scriptor. Fallor? an exciti
Aurata Vatis lux oculis micat;
Choruſque Samnitum beatus
Trajicit ex Oriente Olympum?
En vox per altum mittitur aërem:
Euge o diſertis note laboribus,
Quà fervidi, Antoni, calores,
Quàque furit glacialis horror.
Grates, Virorum Mercurialium
Illuſtris Heros, ſtant tibi debitae.
Per te remotis noſtra Mauris
Geſta ſonant, pia geſta, & Indis.
Sic eſt: amicae parce modeſtiae,
Et congruentem ſume ſuperbiam
Tot ſume faſtis, dum peritâ
Mente ſagax celebraris Author.
Adhuc virentes Arcadiae tuo
Colles reſultant nomine, & aureo
Audiſſe laetantur ſonantem
Terrigenas, Superoſque plectro.
Referta Mundi machina Vatibus,
Recentis haeſit carminis ad melos;
Muſam nec unquam extemporalem
Vel parilem, ſimilemve novit.
Pulſavit olim barbiton Orpheus,
Et verba ſacro digna ſilentio
Loquutus, Orci Janitorem, &
Eumenidum recreavit angues.

Quin & Prometheus, & Danai genus,
Eſt & ſuorum Siſyphus, & comes
  Oblitus Ixion laborum,
    Cùm placidum bibit aure cantum.
Sed non minorem pectine eburneo
Sonum dediſti : mellea flumina
  Ab ore fluxere, & canoris
    Prodigiis animos bearunt.
Metaurus, & Nar, Tibris & impiger,
Et qui Veſevi rura perambulat
  Sebethus, omni exuberantem
    Arte tuam ſtupuere mentem:
Ac implicatis brachia nexibus
Miſti ſuarum Naiadum Choro
  Junxere, ducentes ſerenâ
    Fronte jocos, choreaſque circùm.
Sinu voluptas tanta ſub intimo
Creviſſe fertur, tot Sapientium
  Videre cùm te perpolitis
    Ingenium decoraſſe gazis.
Tu verò Regum maxime, maxime
Bene ominato CAROLE nomine,
  Seu pace mavis, ſive bello,
    Conſpicuus pietate, & armis;
Per quem ſuperbum jam caput extulit
Auguſta Siren, famaque, & imperj
  Extenta majeſtas ad ortum
    Solis ab occiduo cubili:
Et Tu, Polorum claudere qui vales
Portas, & aptis pandere clavibus
  Nutu vel uno, cincte crines
    Tergemino, BENEDICTE, ſerto;
Per vaſta PETRI Regna ter optimus
Succeſſor, unus qui Pater omnibus
  Das jura, terrarumque totum
    Imperio moderaris Orbem:
Quid ore laeti qui! mihi dicere
Paratis iſto? Novimus. Infulae
  Evecta jam pennis honores
    Fama tubis canit aucta centum
Viro tributos. Vos ſimul exciti
Scientiarum lumine, Praeſulem
  Creaſtis Anxani, in perennem
    Palladii capitis triumphum.
Beata tanto Praeſule Civitas!
Hanc namque curat quis deceat ſtatus,
  Cultumque, honeſtatemque firmat,
    Ut meliùs data Regna creſcant.
Gentes amicam Numinis in viam
Adducit omnes nunc ſibi creditas,
  Verboque & exemplo Magiſter
    Forma gregis ſtudioſa factus.

Ulyſſe,

Ulyſſe, & acri Neſtore doctior
Dat verba vitae fervidus ex Throno,
Quae ſparſa dilectam per Urbem
Mox hominum genus omne captant.
Sic forte ſiccam flamma furentibus
Cùm mota ventis in ſegetem incidit,
Hinc inde tranſportata totum
Praecipiti cremat igne campum.
Sudore quanto frons ſcatet impigra!
Quantiſque flammis Paſtor inaeſtuat,
Viſurus aeternos in annos
Templa novis repetita votis!
Divinitatis jam, ſacra provehit
Decreta: pulchrum jam Fidei decus,
Rituſque, normaſque, aureoſque
Clarificat pietate mores.
Proh quanto abuſus diſſipat impetu!
Jam jamque diſcors vis, & inertia,
Torporque, rixaeque, & tumultus
Cum ſociis abiere retro.
Nec jam valebunt. Inſuperabilis
Opponit arcem pectoris obviam,
Auſumque dextrae praepotentem, &
Cuncta animi ſapientis arma.
Heus, quid rebelles vultis inutili
Furore Peſtes? cedite, cedite.
En blandientes ille in auras
Explicuit ſua ſigna victor.
Urbs forte felix! Hoc Duce in omnibus,
Quotquot dabuntur, rebus, & auſpice,
Brevi ſuperbum conſequetur
Ire ſuum ſuper aſtra nomen.
Quidnam timendum? Stat bene Civium
Praeſens ſuorum praeſidium: caput
Attollat ergo: jam ſiniſtrà
Propitii intonuere Caeli.
Hunc plaude nutum tu quoque, Praeſules
Qui vincis, omnes inter & emicas
Tu ſolus, Antoni, inter ignes
Luna velut radiis minores.
Te perque Eoum, teque per Heſperum
Ducit canoris Gloria plauſibus:
Teque Hippocrenaeae ſorores
Pindarico modulantur oeſtro.
Audiris? an me luſit amabilis
Imago pompae? jam videor datas
Audire laudes, & vagantem
Harmoniam per inane Regnum.
Jam parte ab omni ter reſonabilis
Reſpondit Echo: terque procul Niger,
Rhenuſque, Gangeſque, & Maragnon
Unanimi fremuere ludo.

Ter

Ter pronus Atlas, ter ibi horridâ
Riſit coronâ culmen Apalchicum;
Tauruſque, & argutus Nicates
Ter niveam poſuere frontem.
At quò relapſurum immemor Icari
Me Muſa transfers? culmine ab arduo
Deſcende mecum, & valle in imâ
Pande modos meliore buxo.

ILLUSTRISSIMO ÆQUE',

AC ERUDITISSIMO VIRO

IGNATIO MARIÆ COMO

PATRITIO NEAPOLITANO.

I.

IGnati, fluit unde animi mellita voluptas,
Cùm mihi Cumaeâ littera ab Urbe venit;
Neu ſtupidus mirere, precor, tollaſve cachinnum,
Si mala deciduo carmina mitto ſtilo:
Neve mihi rerum turbatus imagine dicas:
Tam ſubitò ignarus, qui modò doctus eras?
Sidonii ſtellis, Parthique fuere ſagittis,
Tuſcus aruſpicio clarus, equoque Scythes.
Amphitryoniades clavâ, Phegeuſque palæſtra,
Curſibus Hippomenes, atque Atalanta ſuis.
Clarus Hylas caeſtu, bellorumque Annibal aſtu,
Et Lycus in ſtadiis, Graecia amica, tuis.
Sed male agebantur cùm mente, & corpore feſſi,
Haud poterant tantas ducere laudis opes.
Sic ſenſus concepta meos ubi gaudia inibant,
Carmina non animis diſplicitura dedi.
Aſt placidam dum fata mihi rapuere quietem,
Quae bona Theſpiadum currere vena poteſt?
Aſpicis, ut Caelo cantat Philomela ſereno,
Stridula ut obducto nubibus errat avis?
Aſpicis, obſcurâ ceu tempeſtate Columbae
Stant pavidae; & primus diffugit ore jocus?
Talia finge meo decurrere tempora luctu,
Tempora Romanae pernicioſa lyrae.
Carmina Vatis amant pacem mentemque ſerenam.
Tantis illa carent dotibus, ergo cadunt.

Et

Et meritò in triſtem coguntur abire ruinam;
    Nam tenet inverſos vis inimica animos.
Bella tonant, ſtrictoque virûm ſeges aenea ferro
    Horret ad obſtantum funera; bella tonant.
Cornua jam gravibus feriunt clangoribus aures;
    Jam litui, & circùm tympana rauca ſtrepunt.
Æraque Sole micant, lucemque ſub aethera jactant:
    Armorumque nitor cum Duce terret equum.
Quò tanto celeratis iter, fera turba, tumultu?
    Aptanturve avidâ cur nova tela manu?
Plurimus heu ſanguis terras repefecit, & undas;
    Et diſperſa jacent quolibet oſſa loco!
Ergo quid ardetis fatum geminare ſiniſtrum?
    Haſta quid humano tincta cruore placet?
Non mos iſte Lupis, non iſte Draconibus eſt mos.
    Solùm diſparibus, cùm ſubit ira, nocent.
Inter ſe feritas non dimicat ipſa Ferarum.
    Cuncta ſuum norunt bruta fovere genus.
Quando Leo interiit diſcerptus ab ore Leonis?
    Aut minor eſt Apri dente peremtus Aper?
Morſibus eſt Tigris lethalis, & Hydra veneno.
    Parcit & illa ſuis, parcit & iſta ſuis.
Solus homo nocitura homini fert bella; nec horret
    Sanguinis audaces imbre rigare manus.
An rabies inſana animos, an fortior auſus,
    Funeris an potius crimen in arma rapit?
Heus, date reſponſum. Sua quiſque ſilentia ſervat.
    Perque virûm ſerpit pallidus ora color.
Sic eſt. Mortales ſors vexat amara flagello;
    Compoſitoſque vetat ducere pace dies;
Ex quo priſcus Adam ſceleravit origine Natos.
    Uxori heu nimiùm credulus ille ſuae!
Saltem veridicis afferret nuncia rumor
    Caſibus: haud variâ mens foret acta viâ.
Verba ſed acceptis pugnant contraria verbis.
    Hic probat, ille negat, pandit hic, ille tegit.
Quòcunque aſpicias, diſcordia ſubdola ſurgit;
    Confuſiſque crepant murmura conciliis.
An Babyloniacae redierunt ſecula Turris,
    Altera ubi alterius perdita voce fuit?
Hic caeſoſque Duces, deſolatoſque maniplos;
    Ille habuiſſe loco magna trophaea canit.
Quiſquis erat victus, fit tempore victor eodem.
    Res eadem palmamque, excidiumque ſapit.
Non tot mentito ſpecies quondam ore fuerunt
    Seu, Vertumne, tuae, ſive, Acheloë, tuae;
Quot ſermone hominum res induit una figuras,
    Perpetuas Lunae ſors imitata vices.
In Chaos antiquum confundimur. O miſerum me!
    Dicite, tam diſcors forma quid iſta velit?
Ah! veniat trepidis veniat pax aurea terris;
    Corque reconciliet fructibus omne ſuis.

Culmina reſpondent pacem, pia ſidera pacem,
    Pacem animi, pacem carmine cuncta ſonent.
Providus accilini det Carolus indole pacem,
    Carolus, huc fauſtâ tam bene ductus avi:
Carolus hiſtoriâ, gravidoque poëmate major,
    Pars ſtudii melior, deliciumque mei.
Ille ſui virtute animi, praeſtanſque triumphis
    Praevalet ad pacem ſternere ſolus iter.
Hac ſine pace leves mea vita recedit in auras,
    Accedunt propriis dum nova damna malis.
Me velut undantem nunc huc, nunc dividit illuc,
    Et rapit in varias cura moleſta vias.
Urget amara Soror, me laſſus Avunculus urget;
    Duritiaeque vocat triſtis uterque reum.
Quid faciam? nec ſorte datur recreare dolentes;
    Pendet ab arbitrio nec ſua cauſſa meo.
Pro te ſcribo frequens, oroque precorque Patronos,
    Pollicitus gratae debita dona manûs.
Patribus Alcyonas tamen alloquor in deſertis.
    Et mea pro nullo pondere verba cadunt.
Sunt ſurdi ſcopuli, ſunt ſurdae ad murmura rupes;
    Suntque repercuſſis aequora ſurda locis.
Surdior at longè ſcopulis, eſt ſurdior ipſis
    Rupibus, ac tumidis ſurdior aequoribus
Quiſquis in auxilium cauſſae mihi multa rogatus,
    Effectu vacuas ſuſtinet ire preces.
Verba truces animos quid flectere mitia narrant?
    Ad mea vota rigent pectora dura magis.
Grandia non harum capio myſteria rerum;
    Tempora nec felix ulla quiete traho.
Hinc nimiùm queror eſſe meum lacrymabile fatum,
    Crudeli in miſerum ludit ut arte caput.
Adde, quòd effractus tenuor; ſunt nanque Magiſtro
    Quinque mihi in ſuetis luſtra peracta Scholis.
Multa, quoad potui, docui Pietatis Alumnos,
    Et ſtudia ingenio cara fuere meo.
Nunc mihi continui ſunt taedia longa labores:
    Deficiunt vires, menſque hebetata labat.
O quis erit, clamo, qui pondere ſolvat ab iſto!
    Providus hanc Animam qui levet, o quis erit!
Romulidum Androdus mediâ moriturus arenâ,
    Vulnera ſuſcepit nulla Leonis ope.
Andromede aequoreis potuit perterrita monſtris
    Auxiliatorem Perſea habere ſuum.
Fila dat ignaro Minoia Filia Theſeo.
    Sic labyrinthaeis exit ab inſidiis.
In maris actus aquas, dorſo Delphinis Arion
    Fertur, & incolumis littora dives adit.
Quid memorem in claudos pietatis amica Leones
    Signa tuae, Menthor, ſigna quid, Helpi, tuae?
Inque pios brutorum homines benefacta, ferini
    Cordis ubi innatas depoſuere minas?

Solus

Solus ego nuſquam invenio, licet omnia tentem,
Qui mihi diripiat grande laboris onus.
Saepe meos ſenſus Patribuſque, aliiſque retexi
Queſtibus, & nutu, reque, & Epiſtoliis.
At rapidis abiere leves ludibria ventis,
Ceu folia horriſonis concita turbinibus.
Fraterno fecere alii mihi foedere juncti,
Et requiem curis obtinuere ſuis.
Diſcipulique mei (pudet iſta referre) cadentum
More Senum juvenes otia longa trahunt.
Scilicet ut ſerpens, dum talia mente revolvo,
Se magis inſinuet noſtra per oſſa dolor.
Eſſe quid haec dicam, niſi verbera ſortis, in unum
Quae fremit inſano torva ſupercilio?
Sit ſatis iſta lues, o quae crudelibus urges
Cladibus innocuos; ſit ſatis iſta lues.
An toto graviora paras mihi vulnera niſu,
Excidii finem conſtitura mei?
En nudumque caput tibi monſtro, ſinumqe patentem.
Nunc age fulmineâ conjice tela manu.
Tela, quibus demens imbellia pectora terres,
Hoſtia ſub votis ut tibi multa cadat.
Nil timeo: aeternùm mens eſt mihi neſcia flecti.
Nec face, nec luctu me, neque morte quatis.
Eruere in Lycio veluti cùm vertice quercum
Inſidiis Boreae, turbinibuſque ſtudent;
Illa ſuo ſtat firma jugo, ridetque frementum
Parte ab utrâque truces nil valuiſſe minas;
Propoſiti ſic ipſe tenax ſpectabor in aevum
Quaslibet ad furias, ſors inimica, tuas.
Sique ſuis Tellus cadat eruta fundamentis,
Impavido interitum tanta ruina feret.
Me miſerum! arreptae quónam trahor impete mentis?
Quod mihi robur ineſt? quamve reprendo Deam?
Oeſtro parce, precor, fingentis inania Vatis,
Siqua tuo, Ignati, pectore flamma calet.
Me facit ingrato dolor edere carmine queſtum.
Fi piet hic, animo cùm dolor exul erit.

Epigramma.

VUlnera crudeſcunt, ſi ſint abſcondita, tabo.
Paeonis auxilium, ſi retegantur, habent.
Hac tacitum reſerare lego ratione dolorem,
Qui mea ad extremos conterit oſſa rogos.
Scilicet alloquio deponat ut ille rigorem,
Diſcat & in tantis mitior eſſe malis.
Ergo remitte mihi querulae faſtidia Muſae,
Longaque judicio taedia ducta tuo.
Parcere ſaepe ſolent, Ignati, ſonitus hoſtes.
Supplicis ad veniam durus Amicus eris?

Plauſibus

II.

PLauſibus ergo Virûni mea carmina in aſtra feruntur,
    Carmina diſcordi tam male ducta chely?
Nec ſibi Ariſtarchum inveniunt, qui menre peritus
    Corrigat errores per genus omne ſuos?
Nec dat Ariſtophanes contraria verba libello,
    Conſtet ut ante meos culpa notata oculos?
Me miſerum! faciunt mulcentia murmura Vatem;
    Suntque ruinoſi cauſſa futura mali.
Quid mihi Apollophanes, quid Hages, Curioque, Cleoque,
    Quidve mihi Andromachus, quid Deciuſve crepant?
Non ego Alexander, non ſum Dionyſius alter:
    Nec tu mens, Dari, nec tua, Craſſe, placet.
Dexter Adulator, rebuſque doloſus agendis
    Saepe ſolet magnos infatuare animos.
Hinc Domini Auguſtus titulum ſuper omnia quondam
    Odit, amans fidae ſimplicitatis opus.
Juſſit & ex ſerio verove, jocove Nepotes
    Ne ſibi perpetuum nomina blanda darent:
Praetoreſque ſuos monuit, commiſſio honorum
    Nequa ſub Auguſti nomine facta foret.
Suffugiens, quia Conſul erat ſibi poplite flexus,
    Inverſo cecidit corpore Tiberius.
Sunt prope ſexcenti, qui ne caperentur ab aſtu,
    Continuo laudes corripuere odio.
Mellea Principibus tantum mendacia linguae,
    Illecebriſque habiles diſplicuere Canes.
Et mihi blandiloqui mens eſt inimica ſuſurri,
    Miles ut hoſce ſequor ſedulitate Duces.
Ergo quid illudens vanum mihi vendere fumum
    Gens petit, ut genio gloria inanis abeſt?
Non emo blanditias: Sinceros quaero Catones,
    Queis ſit in errores facta litura meos.
Et bene Parthenope Sapientibus integra abundat,
    Quandoquidem Heroum dicitur eſſe Parens;
Quos inter tu, Come, nites, tecumque Joſephus,
    Vitaliſque Animae Sergius aura meae.
Hos ego quaeſieram mea per documenta Magiſtros;
    Non hominum plauſu ducere grande ſophos.
Quid mihi cum ſtudiis, tantoque ſonore faventum,
    Si nimis arte rudem pagina atara notat?
Poſthac nulla meo dare carmina pectine cogar,
    Scriptaque in occluſis mittere Epiſtoliis.
Nam Criticum exopto, Laudator & exit, inani ;
    Titillare animum qui mihi voce ſtudet.
Sed nihilum clamare juvat: pulchrè, bene, rectè:
    Aut pallore tegi carmina miſſa ſuper:
Flentibus aut oculis ſtillantem emittere rorem:
    Ducere vel ſaltus, vel pede tundere humum.
Nam conducta velut ſub funere Praefica luget;
    Attamen ex animo non dolet aegra ſuo;

Dulcia

Dulcia Deriſor ſic verba profundit agendo;
Doctus at eſt ſuetis fallere blanditiis.
Haec documenta dedit numeroſus Horatius olim,
Cùm percepta mihi dia Poëſis erat.
Servavique memor tam longos mente per annos.
Juvit & exemplis edidiciſſe ſuis.
Talis lecta tibi cùm ſit querimonia primùm,
Neu ſtomachum oſtendas in mea dicta, precor.
Mecum volve animo potius, dulcedine quantum
Subdola inexpertis lingua nocere ſolet.
Haec facit, inſignem ſe credat ut ille Poëtam,
Cui jam Pegaſei pendula cauda Aſini eſt.
Haec facit, ut magnum ſe geſta per omnia jactet;
Seque, velut demens, & ſua ſolus amet.
Veraque deriſum trahit, exceptumque ſiniſtrè
In mala; & hac pejus forte quid eſſe poteſt?
Intyba non tantum ſegeti, non improbus anſer,
Aëris & vitium, Strymoniaeque grues:
Non amor & pecori tantum, pecoriſque magiſtro,
Juniperique homini pergravis umbra nocet;
Quantum ultra placitum capto Aſſentator Amico,
Res ubi mentitus tollit ad aſtra ſuas.
Cingite, Pierides, mihi cingite baccare frontem,
Gloria ne ſenſus faſcinet alta meos.

III.

Syllaque Sulpicium, Cinnamque Octavius olim,
Ditaque Pompejum Caeſar in arma ciit,
Et Marius Syllam. Civilia bella tonatunt;
Fractaque Roma ruit viribus ipſa ſuis.
Jamque attrita malis erat una fragoribus aetas,
Altera cùm Martis viſa furore trahi.
Nanque novo Auguſtus, turgenſque Antonius auſu
Conſeruere avidas hoſtis uterque manus.
Urbis ut in fluctu bella, horrida bella parabant,
Ducentes Latio fata ſuprema ſolo,
Hujus inhumanae pertaeſus Horatius irae,
Extulit impavidos terque quaterque ſonos:
Quid rigidum, ſcelerata cohors, immergitis enſem
In Patriae audaci viſcera laſſa animo?
Sanguinis anne parum ſuper aequore, humoque profuſum?
Anne cruore ſitis non ſaturata fremit?
Hei mihi! pugnatis, non ut Carthaginis altae
Concremet obſtantes Martia flamma domos:
Strictave vincla gerens circùm ſua colla Britannus
Carpat iter ſacrae per loca prona viae:
Aſt ut, Parthorum ceu vota ferocia anhelant,
Roma ſuâ tandem concidat uſa manu.

Ergo gravi quam Tuſca acies neque perdere ferro,
    Propedio Marſi nec valuere Duce:
Fulmina nec Capuae terrâque marique tonantis,
    Spartacus aut domitor, Chryſus, & Oenomaus:
Clauſtra per Italiae triplici neque turbine vecti
    Inſtabiles Cimbri, Theutonicaeque manus:
Fraude nec Allobroges, neque diruit Annibal armis,
    Annibal aeternâ notus in Hiſtoriâ:
Impia poſteritas devoti ſanguinis ultrò
    Tenditis immeritis vertere funeribus?
Et genitrix ubi Roma caput ſuper ardua tollit
    Sidera, florebit luxuriata ſeges?
Fiet &, ut quondam, ſilveſtribus horrida dumis,
    Queis ſtabulentur aves, omnigenaeque Ferae?
Barbarus heu capiet ſolamina Victor; & Urbis
    Calcabit cineres ungula ovantis equi!
Et tumulo compoſta Patrum quae pace quieſcunt
    Oſſa, dabit rapidis disjicienda notis.
Fertis & haec animo? Reſponſum reddite, Cives,
    Reddite: tam dubios quae mora longa tenet?
Talia jactabat; reſponſa ſed ulla petenti
    Non data: ſuppreſſo conticuere ſono.
Si licet exemplis in parvis grandibus uti,
    Res ſimilis factis accidit ante meis.
Miſſa Teatinis eſt plurima littera ab oris,
    Littera diſparibus condita carminibus.
Quo res ſumma loco foret, anxius ore rogavi,
    Aptaque proficeret quae medicina malis.
Inſerui gratoſque ſales, dulceſque lepôres,
    Et quid amicitiae munia fida probant.
Sed mihi Epiſtoliis reſpondit nemo receptis,
    Ingenuum quamvis cogeret officium.
Et tamen inſignes celebrantur in Urbe Poëtae:
    Grande ſophos captant: baſia gentis habent.
Quid fuit? anne animum ſunt deſpondere coacti;
    Cunctorumque obiit, me modulante, canor?
Nullane praeſtiterunt Ideae carmina, poſſent
    Debita ut ad pulſam diſſoluiſſe lyram?
Novimus. Arcadici ſunt nempe Patreſque, Virique;
    Doctorumque hominum nomina magna tenent
Heu nimiùm gens caeca, gravique immerſa veterno!
    Deciperis ſpecie, judicioque cares.
Quid blateras inſana? Midas tot credere cogar,
    Quos nitidâ cultos Palladis arte refers:
Thebanoque libens jurabo ſub aëre natos,
    His ubi tres verſus fingere Muſa negat.
Nec reliquos (haec pace velim dixiſſe) per annos
    Credam vaniloquo Fama quid ore ſonat.
Aſſerit illa Viros, queis ſcripſi, ex tempore Vates
    Pangere perpetuâ carmina digna cedro:
Et ſtupidas pendere Animas, & nectare plenas,
    Non prius auditum dum melos aure bibunt.

Haec

Haec factis ſi vera forent, tantilla dediſſent
Carmina, reſponſo ceu valitura ſuo.
Ergo ſi poſitis tenuere ſilentia rebus,
Sunt Heraclidae, ſunt Licinique pares:
Indoctique magis Melitenſe Philonide, nulla
Cui fuit in magno corpore mica ſalis.
Non ita Scriptor agis mecum, fidiſſime rerum
Ignati: modulis me tua Muſa beat.
Non ita Joſephus meus ille, meuſque Joannes,
Conſona qui meriti praemia fronte gerunt.
Melliſluo cordis ſcripſere levamine; & omnis
Plena ſuperfuſo littera honore fuit.
Heroës tantorum operum ſermone ſoluto,
Pieriàque mihi complacuere chely.
Callimachuſque Elegis, alterve Catullus, & aureo
Tullius, aut Plautus viſus uterque ſtilo eſt.
Hos ego non digner? Non proſequar aemulus oeſtro?
Non mihi laudandos tempus in omne putem?
Ante Aquilo Libycas glacie conſtringet arenas,
Et Tanais Parios imbre rigabit agros:
Eurus ab Heſperiis, Zephyrus ſpirabit ab Indis,
Saevaque erit tepidi tempore veris hiems;
Quàm teneri e noſtro labantur pectore amores;
Perpetuique memor non ferar officii.
Dum Caeli reget ergo animans hos ſpiritus artus,
Surget ab alloquio laus ſtudioſa meo.
Teque ſuper reliquos, Vir candide, amabo Sodales,
Qui virtutis opes Solis adinſtar habes.
Fac tamen, in medio foveas me corde precantem.
Gaudia dat famulo gratia tanta tuo.

IV.

QUid juvat, Ignati, me laude referre Poëtam,
Si rudis auriculas voce ſtrepente gravo?
Quid verbum ſuper omne modis palleſcere miris,
Aut Salios lepidâ fingere laetitiâ?
Sunt apinae, tricaeque meo dilapſa cerèbro
Carmina; & hiſce poteſt vilius eſſe nihil.
Verſibus incultis, paribuſque huic Choerilus oeſtro
Pellaei cecinit grandia facta Ducis.
Sed bis, terve ſalis per longa poëmata micam
Protulit: hinc miſeri nomina Vatis habet.
Si, quando aurivomos, regale numiſma, Philippos
Carminis in pretium prodigus ille dedit;
Choerile, dixiſſet, poſthac neu ſcribe canendo;
Sordida enim maculam gignere Muſa ſolet:
Nunquam geſta ſuis liniſſet ſplendida Regum
Verſibus, aeternum diffluit unde lutum.

Quàm

Quàm melius fecit, qui robora dura Jugurthae,
Et Mithridatis opus contudit arte prior!
Nanque malo (ut perhibent) per ineptum Epigramma Poëtae
Sylla dedit largae praemia digna manûs;
Conditione tamen, ne pangeret ampliùs hilum.
Sic famae alterius, conſuluitque ſuae.
Et mihi ſi primis ſcripſiſſet Amicus ab annis:
Anſer es, & nuſquam guttur Oloris habes;
Longa tibi rerum ſervare ſilentia praeſtat,
Quàm male compoſitos edere verſiculos;
Non ego prava meo traherem modulamina buxo,
Quae Strix, & nimio Bubo timore fugit.
Laude quid ergo vehor, cùm Vatum peſſimus omnium
Unus in officio verſor, Apollo, tuo?
Hei mihi! magnus amor fidos obcaecat Amicos,
Ne videant, quantùm me malus error agat.
Tu Comitum ex oculis velamina tolle meorum,
Dive Poëtarum, Caſtalidumque Pater.
Tu rigidos infunde animos, frontemque ſeveram,
Hic ut Ariſtarchus fiat, & ille Cato.
Judiciumque vocent mea Scripta, modoſque ſub ipſum;
Unde retro admonitus dem mea vela mari.
Verba at in aequoreos diffundo quid irrita ventos?
Quid male deſertas alloquor Alcyonas?
Jam ſuſcepta via eſt: ſit plana, ſit aſpera, carpam;
Nullus ubi melius Dux mihi ſignat iter.
Quiſquis opus legis ergo, meam miſerare Camoenam.
Haec ſibi Dux Comiti eſt, haec Comes ipſa Duci.
Encyclopaediâ praeſtantes ſaepe rogavi,
Corrigerent vitij quicquid in arte mei eſt.
Sed mihi grande ſophos clamavit turba frequenter;
Summaque perſtrepuit miſſus in aſtra ſonus.
Hiccine verus amor, foveam ſi cernit hiantem,
Nec mihi, ut evadam, dat ſtudioſa manum?
Menda aliena lubens tollo. Menſura quid ergo
In verſus eadem non adhibenda meos?
An nullâ Doctoris egent mea Scripta liturâ?
Fallitur heu quiſquis talia mente fovet!
Extera dicendum faſtidia nolle peritos,
Et fugere ad plauſus omne laboris onus.
Lamindus (quis credat?) io, pulchre, bene, rectè,
Scripſit, ubi verbis praelia verba dabant.
Haec Eques ut Caelo demiſſa oracla recepit,
Captus & hanc mentem lumine ſervat adhuc.
Pectore non tantò ſunt lipſana culta Deorum,
Lipſana, quae pretio continet arca ſuo;
Quantò (deluſum illacrymor ſub imagine veri)
Ille ſibi miſſum ſervat Epiſtolium.
Crede mihi, majora ſcatent errata libello,
Quàm ſua ridiculo condita verba ſtilo.
Proh ſcelus infandum! noſtri proh dedecus aevi!
Siccine decipitur, diſcete quiſquis amat?

Simpliciter

Digitized by Google

Simpliciter ſit ſermo; meum conſumere tempus
 (Parce, precor) nequeo rebus, Amice, tuis.
Sic aliam leget ille viam; & fortaſſe Magiſtrum
 Inveniet, doctas qui ſibi pandat opes.
Neu tibi dicta puta quae ploro miſerrima, ſodes.
 Per genus omne tuus ſat mihi notus amor.
Illecebris animum ferit iſta querela doloſum,
 Noxia qui tanti cauſſa, caputque mali eſt.
Scribere plura piget; ſpretaeque referre Minervae
 Quamvis damna vacet, ſcribere plura piget.

V.

PErlege ducta malo mea perlege carmina filo.
 Verna Teatinâ mittit ab Urbe tuus.
Scribo, fugaturus nocuos ex pectore flatus,
 Qui morbo hanc querulam ſuppoſuere Animam.
Culmine viſus eram per ſomnia montis in arduo
 Ingenuum latè cernere Concilium.
Facta aliena meis ſcrutari accedo cavillis:
 Noſcere ſaepe animo facta aliena placet.
Obſtupeo aggreſſus ſalebroſa cacumina plantis,
 Paret ubi intuitu res inopina meo.
Omnes capti oculis nigrantia tempora ducunt,
 Nam mala per longas invaluere moras.
Hic Aſclepiades Sophiamque, ſuaſque Xenarchus,
 Et Diodorus opes, Democrituſque novat.
Cantat Ophioneus, Thamyraſque, & Homerus, & ille
 Steſichorus Vates, Himera clara, tuus.
Tireſias, Druſuſque refert, atque Appius artes,
 Et Graecâ Aufidius Scriptor in Hiſtoriâ.
Praeterea commiſta Senum, Juvenumque laceſſit
 Turba ſonum: hanc vetuit me numerare labor.
Scrutantur digitis avidi ſua lumina; at inſtat
 Omnibus aeterno nox toleranda die.
Pars tenditque manus capturus, & aëra captat:
 Alloquitur truncos pars, homineſque putat.
Aſpectu in riſum mea concitus ora reſolvi,
 Quis motus valeat mox cohibere ſuos?
Ut riſu audierunt ſatis ilia conſternentem,
 Effuſo unanimes increpuere probro:
Quiſquis es, Heroum procul eſto profanus ab orâ,
 Non datur indignis huc male ferre pedem.
Illudis quid noſtra tuis nunc facta cachinnis?
 An ſumus externis fabula ludibriis?
Vix ea: cùm caecis adſunt duo Numina: Pallas
 Una, ut ab ore reor, Phoebus & alter erat.
Tum vox intonuit liquidas ſpatiata per auras,
 Ducere quae diam mi dedit ambroſiam:

Eſt Sophus, Orator, Vateſque facetus Oneſſus,
  Carus adhuc noſtris mente lyrâque Choris.
Parcite mordaci convicia fundere linguâ,
  Parcite: diſcordes non meret ille notas.
Nomen ubi biberunt avidis ſuper aethera notum
  Auriculis, geminâ conſtrepuere manu.
Huc ades (exclamant) numero ſuperaddere noſtro,
  Nanque animi dotes per genus omne placent.
Tu ſocium fac, Phoebe Pater, fac blandula caecum
  Nata Jovis: meritò ſic loca noſtra colet.
Jam tenui coepere oculi caligine condi.
  Expleat officium nox tenebroſa ſuum.
Haec ſua cùm noſtras venere incommoda ad aures,
  Plaudite io; Comes hic, diximus, alter erit.
Aſt ego contra: agiles abeant verba irrita in Euros,
  Naufraga Lethaeis vel rapiantur aquis.
Non emo caecorum tanti Mercator honores.
  Sat mihi ſub ſtudiis gloria parta micat.
Phoebe, tibi placuere mei ſi carmina plectri,
  Si colui Numen, grata Minerva, tuum;
Vos per ego has lacrymas, cordiſque calentis amorem,
  Perque ſacras artes, vos rogo, perque lyram,
Caſibus adverſis fracti miſereſcite Oneſſi,
  Nuper & offenſos luce polite oculos.
Jamque mihi pius ille Senex Ignatius, ille
  Praeſidium veſtri, deliciumque Chori,
Littore ab Euboico morbi medicamina miſit.
  Tantus in ardenti pectore gliſcit amor.
Ergo vel optatam mihi, Numina, ferte ſalutem,
  Praevaleat per vos vel medicina mali.
Quid data non poſſint ex Simplice vota? Deorum
  Ad nova clementes dona movent animos.
Subriſit placidis cum Pallade Phoebus ocellis,
  Et mihi, parce metu, quo cruciaris, ait.
Eſſe miniſterii Myſtes neu deſine noſtri.
  Hac unâ dabimus lege ſalutis opes.
Vade age, & amborum ſerva monumenta Miniſter.
  Gratia adhuc curas poſcit amica tuas.
Talia protulerat; cùm ſe ſub nocte ſilenti
  Somnus Oneſſaeis ſuſtulit ex oculis.
Dii faxint, caligo fugam de lumine laeſo
  Carpat, & incolumem vivere, ut ante, ſinat.
Ut bene vertat opus, tua vota, preceſque Tonanti
  Offer. Amicitiae ſic rogat officium.
Solve tamen Medico callidas pro munere grates.
  Sic famuli explebis ductus amore vices.
Vive diu, Ignati, vitâ mihi carior ipſâ,
  Et defioculum dilige: vive diu.

Siccine

IN EJUSDEM OBITU.

EPIGRAMMA.

SIccine ſingultus me deſeris ore cientem,
Ignari, o Animae parſque vigorque meae?
Heu miſerum! quid agam, ſi cordis amica voluptas,
Te pereunte, mihi non reditura perit?
Tu moriens ſuper aſtra volas, felixque bearis:
Vivo ego; at hanc cruciat terra inimica Animam.
Tu ſale, tu lepidis me ſolabare Camoenis.
Nunc premor, ac triſtes te ſine duco dies.
Urbe nec in totâ eſt qui leniat aſpera Amicus.
Invenio fidâ nec tibi mente parem.
Quid moror hic ergo, cùm me lacrymabile fatum
Torqueat; & poenis pax ſit ademra meis?
Vel tantis mihi fortem animum da caſibus acto,
Vel nos fac ſuperis ſors beet una Choris.

IN FUNERE CL. V.

LUDOVICI ANTONII

MURATORII.

DEſine, quiſquis amas, moerore ciere ſepulchrum,
Quo pia Lamindi molliter oſſa cubant.
Non lacrymis eget ille tuis, non queſtubus ullis.
Nempe ſupervacuas has putat eſſe notas.
Poſt cineres vitae fruitur melioribus annis,
Cui nequeat poſthac alter habere parem.
Hanc tanto largita Viro Sapientia dotem
Plauſit, ab ingenio tam bene culta ſuo:
Et Chorus Aonidum curavit, & Auctor Apollo,
Naufraga Lethaeis ne raperetur aquis.
Hoc ſuper auxilio viget ille, cruentaque mortis
Spicula in aeternum diruit opprobrium.
Victor & inviſit quot diſſecat arva Maragnon,
Primaque divitiis quot ſcatet Aula ſuis:
Immaneſque Animas quot fertilis educat Atlas,
Quotque bibunt undas, Bagrada lente, tuas.
Noſcit & hunc quiſquis pede proterit Apenninum,
Quiſquis & ad murmur cantat inane Tagi:
Et qui Gangentico de gurgite colligit aurum,
Et qui Caucaſeis horret in aggeribus.

Gloria

Gloria per liquidum nitido rapit aëra curru;
    Inque brevi Heroëm non ſinit eſſe loco.
Cunctus ob excelſam terrarum panditur Orbis
    Doctrinam merito, ſcribile & omne Viro.
Scribere quid Veteres, & quid nequiere Recentes,
    Mirifici quamvis gymnade, & arte forent;
Unius ingenium ſub apertas protulit auras.
    Creditus unde Italo de Lare prodigium eſt.
Palladis ergo legunt omnes hoc munera ab uno.
    Praeſtat inexhauſtas omnibus unus opes.
Unus habet collecta, libros quae ſparſa per omnes
    Tam nitido poteris vix reperire ſtilo.
Ac velut omne genus ſquammatae ex aequore turbae
    Captari in Populi grata alimenta ſolet;
Sic datur ex minimo omnigenas haurire libello
    Virtutes, ſolidum mentis in auxilium.
Quanta ſeges veniet, ſi tanta volumina ſolus
    Praevaluit Sapiens condere? quanta ſeges?
Scripta Theophraſtus, Chryſippus & aurea novit,
    Novit Ariſtarchus, novit & Empedocles:
Et cantu quos fama refert, Atteius ille,
    Ille ſuo clarus nomine Sulpicius;
Oraque concordi dixere pudore profuſi:
    Cedere Lamindi cogimur ingenio.
Nam majora ſuis ſunt noſtra volumina; at unum
    Palladii, pluſquam noſtra, decoris habet.
Huic ſuperare datur ſi dogmate quolibet omnes,
    Non ſapit ille hominem, ſed ſapit ille Deum.

In tumulum.

Hoc ſint funere naeniae,
    Et turpes gemitus, & lacrymae procul.
Quem legit ſibi Gloria,
    Luctus Palladium non facit ad Virum.
Sonum laetificum melos
    Permiſtum reliquis edere plauſibus,
Et lauro juvat, & roſis,
    Et puris tumulum ſpargere liliis.
Quid ceſſas, puer? impigrâ
    Huc delecta manu thura, & olentia
Affer munera Chloridis.
    Mox fuſis Arabum incende vaporibus
Inſculptum tumulum, & novam
    Florum de calathis projice copiam.
Nam quorſum, Lodoix, tua
    Plorem cum ſociis funera Vatibus,
Aut turbem querimoniis
    Sub terra cineres tam bene conditos?

Tu deſideriis diu
    Arſiſti ad ſolium tendere Numinum,
Defunctuſque laboribus
    Humanas acies retro relinquere.
O longae quoties morae
    Dixiſti impatiens: Carcere corporis
Quis me diſſolvet? leves
    Vel pennas Aquilae quis mihi praebeat,
Altis unde volatibus
    Pertingam ad Superos, & requie fruar?
Voti compos ovantia
    Nunc calcas pedibus ſidera liberis:
Nunc jam ſorte beatior
    Inter magna nites agmina Caelitum,
Vitae ducis ubi otium
    Obtentum meritis tempus in ultimum.
Hic quaeſita feracibus
    Virtutum ſtudiis, mentis & aureae
Divinis prope foetibus,
    Noctis depoſito tegmine Veritas
Stat nuda ante oculos tuos.
    Hic in fonte ſuo lux tibi fulgurat
Caeleſtis Sapientiae,
    Quà plenus reſonum ultra Oceani plagas
Auxiſti decus Italum.
    Cur ergo interitum collacrymer tuum?
Ah detur mihi vivere
    His tecum, hiſque mori conditionibus!

I.

OMne Voluminibus qui ſcibile prodidit aureis,
    In cinerem verſus conditur hoc tumulo.
Italiae extinctum neu defle, Heroa, Viator.
    Tot vitas, libros quot dedit Author, habet.

II.

QUis jacet hic? Lodoix gemino bene cognitus Orbi.
    Quo caſu? ſtudii pro gravitate ſui.
Queis celeber titulis? celeberrimus omnibus unus:
    Conditione, fide, mente, labore, libris.
Quis prope flet? Virtutum acies, quòd tempore nullo
    Heroëm invenient per genus omne parem.

III.

SCibile compoſitis qui protulit omne Libellis,
    Legit in hoc Lodoix, nunc cinis, eſſe loco.
Articulos quot ſcripſit, habet tot foenore vitas.
    Funere adhuc vivum num periiſſe putes?

IV.

FIda Comes Virtus Lodoico perſtitit: ergo
    Et jacet hic Virtus, & jacet hic Lodoix.

V.

ANnuerunt Artes ut foedere vivere tecum;
    Sic tecum annuerunt, o Lodoice, mori.

V I.

S Iſte gradus: ſpectanda tuis haec ſaxa, Viator,
Sunt oculis: quo vis tendere? ſiſte gradus.
Multa tuo emenſum latè vagus ore per Orbem
Videris: at nuſquàm clarius hoc cinere.
Conclamata jacent Lodoici hoc oſſa ſepulchro.
Protinus, audito nomine, flecte caput.
Nil majus tanto viguit Sapiente; nec unquam
Scriptor in altrici par fuit Italià.
Illa ideo viduata ſuum veneratur Alumnum,
Et deſideriis grandibus icta perit.
Ecquis non petat Authorem, & veneretur ademtum,
Si ſecum geniumque, obſequiumque trahit?

V I I.

D Octores fuerant ſex quondam; at in aethere ſeptem
Sunt modo, cùm Lodoix tranſiit ad Superos.

V I I I.

H Ic vitam Lodoicus habet bene mortuus: ergo
Gaude viventi poſt ſua fata Viro.
Non equidem vivit qui Terrae vivit in oris;
Ille equidem vivit qui bene demoritur.

I X.

H Oc jacet in tumulo Lodoix, quo doctior alter
Non fuit in cunctis, Hoſpes amice, locis:
Ille probus Lodoix, qui dia Volumina Scriptor
Panxit, & omnigenas mente profudit opes.
Neu lacrymare tamen. Terràque, & marmore in iſto,
Inque hilari Superûm culmine vivit adhuc.
Tu, qui lecturus pia carmina, ſiſtis ad urnam,
Perlege; ſed nullum profer ab ore ſonum;
Ne ſomno Heroëm excutias, qui mortuus haud eſt;
Dulce at in hac dormit, dulce quieſcit humo.

X.

S I vultum ſpectes, Lodoix homo paruit: at ſi
Ingenium pendas, Angelus ille fuit.

X I.

E Rrat qui claudi Lodoicum hac judicat urnâ.
Claudere caeleſtem non valet urna Virum.

X I I.

N Ulla querela juvat, ſibi quem Sapientia legit:
Gloria quem ſervat, nulla querela juvat.
Parce igitur lacrymis: Lodoix non indiget illis.
Vivit io ſua poſt funera, vivit io.
Tot duraturas ducit per ſaecula vitas,
Parta quot ingenio ſunt monumenta ſuo.
Quis lacrymis raptum poſthac Heroa ſequatur,
Multiplici huic vità ſi datur uſque frui?

X I I I.

L Udo vices, ſapiens dixit Ludovicus: inermis
Ipſe ego ludo vices, o Libitina, tuas.
Eſt mihi nanque mori ludus: quid demoror auras?
Sit ſatis heu longos enumeraſſe dies!

Ergo

Ergo meas (ait illa) vices tu ludis inermis?
Quin ego ludo vices, o Ludovice, tuas.
Si ludus, Ludovice, mori tibi forte videtur,
Cur ego ludentem vincere non properem?
Dixerat, & Ludovicum ictu Libitina ſubegit;
Ludentemque ſacrâ contumulavit humo.
Tunc experta: vices ſapuiſti ludere, dixit,
Cùm tibi ludus erat ſic, Ludovice, mori.

XIV.

QUi properas, haec ſaxa rogant te, care Viator,
Ut te conſpicias, ſculptaque verba legas:
Condita tam celebris Lodoici hic oſſa quieſcunt.
Nunc obitum noſti: nunc properanter abi.

XV.

HAc tegitur Lodoicus humo, ſuper aethera notus,
Palladis omnigenas cùm reſerarit opes.
Sed, quid ultra inhias? Lodoici nomine diſces
Quem brevis, & quantum contegat urna Virum.

AUTHOR
SUA FUNERA
DESCRIBIT.

QUalis, ubi mortis ſupra caput imminet ictus,
Ipſe ſibi exequias emodulatur Olor;
Sic mihi, dum lumen caecutit utrumque tenèbris,
Funera languidulis praecino carminibus:
Funera quamprimum, totis niſi ſenſibus erro,
Flenda, Phalanthaeus quà rigat arva liquor.
Flebilis ergo tuos Elegeia ſolve capillos.
Non facit ad cineres laeta figura meos.
Huc ades & lacrymis, & triſtibus obſita pannis.
Haec ſpecies Vati convenit una tuo.
Jam color effugit, jam ſqualor in artubus haeſit.
Vixque mihi eſt tenuis, quae tegat oſſa, cutis.
Sola triumphantis riget obvia mortis imago,
Dum gravis ut truncus corpus inane jacet.
Fallor, an extremis procedit honoribus Ordo,
Et ſequitur tacito moeſta dolore phalanx?

Sic

Sic eſt. Impoſitum feretro jacet ecce cadaver,
Ecce ſacros arae ſiſtitur ante gradus.
Viſendi ſtudio, juveneſque, ſeneſque, puellaeque
Ocyùs ad ſonitum deſtituere lares.
Spectaclum miſerandum oculis, quod flectere poſſit
Pectora, dura licet ſint adamante magis!
Labra incana, genae deformes, pallida frons eſt,
Haec, atque illa cavis orbita luminibus.
Occupat infectum macies circunflua vultum,
Terror & exiles ſaevit in articulos.
Cetera nil parent, Pietas nam cetera texit.
Accipe, ſi pannis noſcere operta velis.
Eſt ventris pro ventre locus: vix crate tenetur
Pectus, & horrendum crura, pedeſque rigent.
Quot parit effectus dominata potentia mortis!
Heu quantùm abſumptis carnibus exitium eſt!
Quid moror? en circùm flammis funalia lugent
Corpus ubi elatum eſt tegmina nigra ſuper.
Hic Chorus officium triſti modulamine cantat,
Ille tibi acceptas dat prece, Virgo, roſas.
Vera tamen Pietas poſt haec ſpectacula creſcit;
Nam ſtudet egreſſae conſuluiſſe Animae.
Intonat ergo novis requiem concentibus agmen,
Unde ſonus Templi culmina ſumma fetit.
Per ſacras tum munda manus oblatio latè
Offertur, Domino complacitura meo.
Aſt Calasanctiadum Myſtes, his rite ſolutis,
Quà patet extentum ſede cadaver, adit.
Multa praeit, facibuſque ſuis hinc ſiſtit, & illinc,
Supremum exequiis turba datura decus.
Ipſe Deum ſupplex, acie comitante, Sacerdos
Ore rogat, Stygiis ne malè mergar aquis.
Tum corpus quater aſpergit luſtralibus undis,
Scilicet ut mundus Spiritus aſtra legat.
Quin iterum ſubit, & fumanti thure vaporat,
Scandere quo ſuperos poſſit odore lares.
Coetus ubi requiem ſupremâ eſt voce precatus,
Flebile Veſpillo funeris explet opus.
Sarcophagi occludit deforme cadaver in umbris;
Nempe voraturis vermibus eſca datur.
O hominis fatum, nimiùm lacrymabile fatum!
O fractura ſuum certa ruina caput!
Ergo quid hic ſtruimus? longos quid inaniter annos
Fingimus? interitu ſtat ſua cuique dies.
Facta patent. Omnes metam properamus ad unam.
Mors omnes aequo turbine corripiet.
Et licet in vitâ diſtet Rex Croeſus ab Iro,
Nullibi diſcrimen tempore mortis erit.
I nunc, tolle animos, cùm vana ſuperbia tangit.
Es cinis, in cinerem mox redigère tuum.

AD

A D C L. V.

JOANNEM ANTONIUM

SERGIUM

J. C. ET ADVOCATUM NEAPOLITANUM

DE FUNERE

ILLUSTRISSIMI DOMINI

D. ANTONII MAGGIOCHI

REGII CONSILIARII.

ASpera non ſemper faſtigia bruma Nicatis
Occupat; aut nivibus tecta propinqua latent:
Nec fremitu perculſa crepant querceta notorum;
Aut ruit effuſis turbidus imber aquis.
Omnia mutantur. Tempeſtas invida Caelo
Deduxit ſuperum nuper in ima Jovem.
Prataque ſqualebant ſerpentis imagine Aterni,
Et gravis in Thetidos moenibus horror erat.
Sed nubes fugere procul, nigrique vapores;
Aurifluumque ſuo Sol tulit ore jubar.
Tu veniente die, tu diſcedente, Joannes,
Lugubris immeritas polluis amne genas.
Flebilibuſque modis raptum lacrymare Magiſtrum,
Cùm Pylii fuerant tempora agenda Ducis.
At non perpetuos gemuit Patroclon in annos
Æacides, tenerâ notus amicitiâ.
Nec per quem Macedo munimina diruit Urbium
Ardua, & exequiis larga talenta dedit;
Carus Epheſtion fletus; maneſque vocati
Sunt prece ab Elyſiis, ſuntque dolore locis.
Verte tuos, age verte, precor, circùm undique ocellos.
Stare ratum in toto videris Orbe nihil.
Aëre quae triſtis pendentia Mauſolea
Struxit, laeta ſui nomine facta Viri eſt.
Cruda Philoctetes pedibus ſi vulnera ſenſit,
Dona Machaoniae novit amica manûs.
Sola relicta jugo doluit Minoia Naxi;
Gaudia at explicuit juncta Puella Deo.
Quin etiam tranſlata alacri ſuper aethera faſtu,
Coetibus aſtrorum lecta corona micat.

Cetera finge pari ſapiens eventa recurſu,
  Quae vetat Aonius me numerare labor.
Scilicet adverſis ſuccedunt proſpera: & uno
  Cardine ſtare nequit quae rapit hora diem.
Ergo querelarum modò deſine, Amice, tuarum.
  Lamentiſque ſatis, funeribuſque datum eſt.
Luna quater latuit, pleno quater orbe refulſit:
  Nec redit ad vultum forma ſerena tuum.
Anne miſer crebros volves ſub pectore queſtus?
  Anne fluent lacrymae more perennis aquae?
Conſona nulla gravi dabitur medicina dolori?
  Triſtitiae ſpecies nulla levabit onus?
Non ita. Quanta animum properat ſubitura voluptas!
  Emicat ante tuos gloria quanta oculos!
Vivit io, decoratque novos Antonius annos,
  Parſque tuae melior, deliciumque Animae.
Indocilis quanquàm ſaevos deponere mores
  Atropos abrupit fila, columque manu;
Non omnis perit ille: ſui pars maxima vivit;
  Et cineri merces ſtat pretioſa ſuo.
Vir dedit & memores faſtos, memoratur & illis,
  Unde coronatâ ſidera fronte ferit.
Terrica quid timeat ducentem oblivia Lethem?
  Palladis ignaros torqueat ille timor.
Vivitur ingenio, famâque ſuperſtite. Dignum
  Laude Virum dotes interiiſſe vetant.
O quot in Euboicâ virtutibus Urbe refulſit!
  O Patriae quantùm vexit in aſtra decus!
Et pietas, & cana Fides, Divûmque calores
  Moribus intentas detinuere acies.
Noverat hic aequam ſervare per omnia mentem,
  Sive inimica forent, proſpera ſive forent.
Lydarum contemtor opum, quae niſibus ad ſe
  Cuncta trahunt, & vi compede tracta premunt:
Ultor avaritiae, & rerum bene providus omnium
  Inter adorati Numina conſilii:
Praetulit utilibus, ceu Fama renarrat, honeſtum.
  Carpere tam recto tramite ſuetus iter.
Perfidiaeque gravi rejecit munera vultu,
  Victor & explicuit pectoris arma ſui.
Quin ſcelus expavit letho vel pejus eodem.
  Tanta Viri probitas, relligioque fuit.
Suada potens, & ſancta Themis, ſtudioſaque Pallas
  Ubere Maggiochum continuere ſinu.
Inque avidam Comites fuderunt lumina mentem,
  Lumina facundis edita gymnadibus.
Non aliter Titan ubi climate ſurgit Eoo,
  Diſcutit horrores, nox tenebroſa, tuos.
Tum radios vibrat juga in ardua matutinos;
  Divitiiſque facit fertiliora datis.
Gelſiminoque redit nix pura, aurumque holochryſo,
  Narciſſoque pudor, vivaque flamma roſae.

Culta

Culta animos ſumunt biferi vernantia Paeſti;
Quot fovet Alcinous, quot Zephyritis amat.
Dotibus Heroës Antonius hiſce decorus
Praeſtitit; & dio claruit ingenio.
Nam Cicerone Pater, nec non Demoſthene major,
Fulmineo attonitos reddidit ore Choros.
Aſtraeaeque vices per docta pericula adeptum,
Vidimus officio non habuiſſe parem.
Virtutum numeroſa cohors hoc degere in uno
Geſtiit, & magnas ſiſtere mentis opes.
Et bene ſolertis facta, inclyta facta Magiſtri
Aucta ſuo ſtupuit nomine Parthenope.
Saepius hunc digito monſtravit, & omnibus, hic eſt,
Inquit, honoratae qui mihi ſerta regit.
Quid non ſperandum Gnaro duce, & auſpice? faſtu
Unica, cùm virtus ſumma triumphet, ero.
Vox ea & extremos ſubiit Garamantas, & Indos
Praepete ventorum tergore vecta ſuper.
Mirandumque Virum, natamque ad grandia mentem
Plauſibus excoluit turba perita ſuis.
Gloria Cumaeae ſe ſuſtulit Urbis in auras:
Fama nec altiſonâ deſiit ire tubâ.
Vesbius igne crepans, & Olympiea litora, & Hermus,
Et Megarae turres, Pauſilypique jugum:
Deliolique horti, & pulcherrima Mergelline,
Sebethuſque Pater, Naiadeſque Deae:
Exultaſſe novis perhibentur honoribus. Ecquid
Dulcius eſt ſapidâ nominis ambroſiâ?
Subſtitit aſt prudens, humiliſque Antonius in ſe,
Culmine ne raptus ſe ſuper ille foret.
Trans Thetidos fines, Atlanteoſque receſſus
Notuit ut cupidis tanta Minerva animis;
Quaelibet Heroëm, facto velut agmine, ad unum,
Dogma habitura ratum, Natio carpſit iter.
Jura, fidem, & mores, arteſque edocta forenſes,
Ad patrias, melior facta, revertit opes.
Laudibus unde memor celebrat Sirenis Alumnum,
Cui lepor, & virtus, gloria & omnis erat.
Nunc age. Laetitiae nonne hoc ſit origo, Joannes?
Nonne beat vivis pectora imaginibus?
Sit tibi in exemplum Xenophon, dux ille Sophorum,
Cujus in ore favos Attica ſtruxit apis.
Aure bibit reſonis Gnatum periiſſe ſub armis,
Sertaque de triſti vertice depoſuit.
Senſit ubi intrepidum raro cecidiſſe triumpho,
Impoſuit capiti ſerta relicta ſuo.
Teſtatuſque Deos, majora ex prolis honore
Gaudia habere Patrem, quàm nece moeſtitiam.
Scis decus omne tui, dum vita manebat, Amantis:
Scis quanto moriens ſcanderit aſtra gradu.
Ergo gravem exhilara, rerum fidiſſime, vultum.
Queſtubus urgeri non ſinit ipſe tuis.

Nanque Deo, egreſſus miſerae contagia terrae,
Laetus (uti fas eſt credere) perfruitur.
Patronos Caelo exceptos, exceptus & illo,
Conſpicit, & ſociis conſpiciendus adeſt.
Audit & orantes, oranſque auditur ab illis.
Scamna Chori ſapiens & ſapientis habet.
Fallor? an in medio patet aethere, & altius aſtrum
Affulget Patriae luce favente ſuae?
O nitor! o ſpecies! o gloria majeſtatis!
O pretium! o capitis quanta corona ſui eſt!

ODE.

Tellutis ergo pondus inutile,
Quae feriatam Pallados artibus
Gens fugit exercere mentem,
Neſtoreos ſine clade victrix
Gaudebit annos? Illacrymabilis
Nec falcis ictu demetit Atropos
Truncos, in hortorum perennem
Perniciem, opprobriumque natos?
Intemperatis mota furoribus
Solùm juventae diſſecat aureo
Sub flore, Phoenicis merentes
Secla ſuis numerare faſtis.
O fata ſemper ferre nocentia
Damnata virtus! Mercurialium
Sors o Virorum, pertinaci
Heliadum memoranda fletu!
En mortis alget prorutus impetu
Maggiochus, ingens gloria Curiae;
Ac intepentem lacrymarum
Cogit adhuc iterare nimbum
Et Principatus, & Comites Togae,
Pulloque amictam tegmine Patriam;
Jocoſque, cantuſque, & ſerenam
Laetitiam, placidumque riſum
Dantes protervis in mare Atlanticum
Portare ventis. En capitis minor
Sebethus atras in propinquum
Æquor agit gemebundus undas.
Comiſque ademtam turbine duplicem
Dolet coronam, quâ modò vortices
Per arva majores citarat
Euboicae dominator orae.

Hac

Hac ille adactum praetereuntibus
Teſtatur altè vulnus imagine;
Quantoque derivata triſtem
In Populum fluat amne clades.
Ecquis querelis pectus, & hiſpidis
Frontem occupatam nubibus explicet,
Si vertit importuna lethi
Machina Palladiam columnam?
Heroë in uno proh quot amabiles
Crevere dotes! quot comitantibus
Tutela virtutum Sodalem
Praeſidiis dedit ire Caelo!
Eblandientis flumina copiae
Siticuloſis auribus ordines
Bibère Patrum, cùm peritos
Eloquii patefecit amnes,
Qui nunc Latino, nunc Idiomate
Fluxere Hetruſco, nunc opulentiae
Et corda, lymphatoſque pleno
Secum animos rapuere curſu.
Sic tauriformis, cùm ſuperaddito
Urgetur imbri, exuberat Aufidus,
Pecuſque, ſtirpeſque, & revulſos
Adriacum lapides in aequor
Trahit profundo non ſine montium
Clamore. Paſtor culmine ab arduo
Dauni per agros obſtupeſcit
Diluviem intuitus ſonantem.
Scatente linguae ducta Neapolis
Auro elocuta eſt: Plaudite Filii.
Franciſcus iſtuc, Tulliuſque
Elyſiis rediere ab umbris.
Aſſurgit autem divite ſpiritûs
Hic merce major. Corde ſub igneo
Beatiores nempe dotes
Dulce ſibi ſtatuere regnum.
Jure ergo eandem rebus in omnibus
Servare mentem cernitur; aſperi
Fortuna ſeu crudeſcit hoſtis,
Seu placidi favet oris aurâ.
Non ille largis ducitur Attali,
Croeſique Regis conditionibus,
Si Vatis Argivi penates
Flexanimum valuit metallum
Captare blandâ luce, vel Urbium
Portas adinſtar rumpere fulminis,
Gentiſve non primùm ſubactae
Ingenuos laqueare mores;
Nec pellicator mollit amabilis,
Nec efficaci pectora machinâ
Evertit Antonj. Undecunque
Indomito viget ille niſu.

 Princeps

Princeps repulſae ſplendidior rei,
Quàm ſi, quid auri fertilis India,
Terraeque jactant tranſmarinae,
In gravidâ retineret arcâ.
Sed plura quantò Vir ſibi denegat,
Ab largienti plura habet aethere;
Gaziſque creſcit proſperatis,
Sub tacito velut arbor aevo.
Nil mirum. Honeſtum qui pius utili
Praeferre ſuevit, Numina provehunt
In majus Authorem: Sceleſtum
Praepete retrò agitant ruinâ.
Vitae approbatae vidimus integrum,
Omniſque purum criminis, ultimas
Aduſque metas ſub fideli
Juſtitiam coluiſſe ritu.
Hac & Severus praeſes, & hac Bias,
Hac & decorum carpſit iter viâ
Bocchyris; aſt Maggiochus omnes
In Themidos ſuperavit armis.
Solertis inter Numina Conſilj
Multùm ſagaci fulſit acumine,
Candente ceu Phoebe minores
Vecta rotâ ſolet inter ignes.
Examinatae praetulerunt ratam
Oracla vocis mox ſapientiam:
Quin lecta pro toto Senatu
Vota ſuae valuere mentis.
Nec tanta campos grandine verberat
Nivalis Arctos; nec nemorum fragor
Tantus reſultat, pervicaces
Saevus ubi quatit Auſter ornos;
Hinc quanta, & illinc excita fervido
Ab ore quondam fulmina in Impios,
Deumque, legemque, & quid Orbem
Sancta monet Probitas, peroſos.
Tum fas, & aequum, tum pudor, & fides
Bene ominatis crevit honoribus;
Firmumque in auguſtâ Theatrum
Hippoclidum ſibi mole ſtruxit.
His nempe prudens grandem animum intulit
Heros, & alti propoſiti tenax:
Nec ſede de praecelſâ in imum
Ferre pedes toleravit uſquam.
Superba latè non ſecus auxerat
In Urbe vires pompa Quiritium,
Cùm jura pacis comparatò
Pompilius daret aequa Regno.
Inter ſerenae lumina gloriae
Videre Cives talia, ſeu tuo,
Alcaee, plectrò, ſeu canendâ
Æoliae fidibus puellae;

O quà

O quà cœruleum Sol regit eiledum,
Dixere, naſcens; quà moderamine
Longae fatigatus diei,
Occidui ſubit ima ponti,
Ter clare Iberi Numinis, & quater
Miniſter, omnis quo ſapientia,
Rectique mores, & verendae
Imperii viguere normae;
Tardum paratis ſedibus aetheris
Te junge ſidus: praemia lentior
Repoſce Divos, quae merenti
Aſtra tibi ſtudioſa debent.
Amica Siren te duce geſtiat,
Tuiſque laeti vivere legibus
Poſſimus omnes, docta poſſit
Curia, Conſiliique Patres;
Donec ſub armis Carolus opprimat
Effracta Lunae cornua, & impiger
Trahat catenatum Tyrannum
Victor in opprobrium minarum.
Tunc & trophaeis, & ſenio gravis
Stellata ſcandas in Capitolia:
Tunc & triumphantes Sodalem
Suſcipiant reducem cohortes.
Diſcors at inter vota precantium
Ictu Innocentem mors citò ſuſtulit.
Amara mors! mors dura! quantas
In lacrymas facis ire Vatem!

Super tumulum.

I.

Qui putat hoc tumulo Maggiochum claudier, errat.
Hoc jacet extincto Suada, Minerva, Themis.

II.

Juſque, Decuſque gemunt, Probitaſque, Fideſque ſepultum.
Diſce, lapis quanti contegat oſſa Viri.

III.

Extincto, Dea forte mori ſi poſſet, Amico,
Haec cineres, Pietas, conderet Urna tuos.

IV.

Vivit Maggiochus poſt fata, nec obvius Urbi eſt.
Ergo abiiſſe Virum, non obiiſſe puta.

V.

Si tibi Maggiochum cernendi eſt nulla facultas
Praeſtita, neu doleas, cùm brevis Urna tegit.
Maggiochi una fuit, Themidoſque, Viator, imago.
Si vis Maggiochum cernere, cerne Themin.

Pro

PRO ERUDITISSIMA
JOANNIS BERNARDINI TAFURI
HISTORIA
DE SCRIPTORIBUS ANTIQUIS
IN REGNO NEAPOLITANO NATIS.

AD BENEVOLUM LECTOREM.

Octe ſuperfuſâ texere oblivia faſtos,
Et quid in Euboico nominis Orbe fuit.
Scriptoreſque ſuper, vitaſque, libroſque magiſtros
Excita poſteritas caſibus ingemuit.
Scilicet illata eſt huic tanta injuria Regno.
Pallados evènit tanta ruina notis.
Inſtiterint quamvis Lethaeo ex gurgite praedas
Tollere, pollicitae grandia facta manûs;
Vana truces abiere tamen molimina in Euros,
Ceu folia horriſonis perdita turbinibus.
Ergo tuâ immanem cum caudâ, o Gammare, barrum
Ridiculo oſtendit turba profeſſa joco.
Solus io ingenio, praeſtanſque labore Joannes
Promere ab inferno novit in aſtra ſitu.
Ille Salentinae Scriptor catus ille palaeſtrae,
Neriton unde ſuum jactat habere jubar;
Quas caecis latuere diu monumenta ſub umbris,
Explicat ante oculos, Lector amice, tuos.
Applauſu, fremituque virûm, ſtudiiſque faventum
Tybridis attonitae conſonuere viae;
Cùm quam praeſidio vinclorum impellere, & artis
Brachia multa gravem non potuere ratem;
Claudia Veſtali traxit per caerula zonâ,
Claudia Virgineas inter habenda Deas:
Qui modò dandus honor, vel gloria quanta Tafuro,
Quod nequiere alii, ſi bene duxit opus?
Duxit opus, noſtri quo climatis ardua virtus
Invidiae in rabiem non moritura viget.
Unde Viri laudes, nomenque, decuſque manebunt,
Solis, & attinget Patria utramque domum;
Robora dum montes, dum culta roſaria flores,
Æquora dum piſces, dum Polus aſtra feret,

Hoc

Hoc opus ut ſapiens, & cetera ſcripta Joannes
Perficeret ſtudii ſedulitate ſui;
Ingenuam impulerunt exempla domeſtica mentem.
Fortiùs haec tacitis motibus intus agunt.
Ergo alacrem ſubiere animum, Monitoribus illis,
Quos reſonat centum fama ſecunda tubis.
Ante oculos viſus Nicolaus Atlantis adinſtar
Surgere, Cyriaci magna columna Poli:
Atque hialos monſtrare ſuper ſacra Biblia faſtos,
Quicquid & ambroſio protulit eloquio,
Sive tuas ferret, Salvator, ad aethera laudes,
Sive tuas, Joſeph, ſeu, pia Virgo, tuas.
Ex me diſce, meus Sanguis, facta inclyta, tandem
Dicere. Perpetuus ſic tibi creſcet honor.
Parte aliâ intentus bella, horrida bella notabat
Angelus, Heroâ clarus in Hiſtoriâ:
Bella, quibus Veneti conferbuit agminis ardor;
Mota Salentini nec minor ira fuit.
Gallipoliſque, Hydruſque, ſuis & Neriton armis
Prompſit in hoſtiles robora tota manus.
Adriaci tremuere maris tunc litora; & horror
Dura vel externi contudit oſſa ſinûs.
Tam graphicis pingit monumenta coloribus Author,
Hiſce ut adeſſe, recens qui legit acta, probet.
Jamque ſtrepunt litui, & crebris clangoribus aures
Cornua perſtringunt: jam tremor urget equos.
Jam gladios cita turba levant: jam miſſile ferrum
Conjiciunt: acri jam feritate ruunt.
Telorumque operit tempeſtas turbida Caelum,
Pugnaceſque animos ſanguinis imber agit.
Exardent, vitamque volunt pro laude paciſci.
Blandula tam validum gloria calcar habet.
Digna Authore ſuo ſpectacla! Scit Angelus apto
Scilicet expertus bella referre ſtilo.
Nec dees hac ſpecie ſuper & Garamantas, & Indos
Nobilis o ſtudiis Bartholomaee tuis.
Aonidumque Choro, & Suadae ter amabilis, oeſtro
Taſſus, & eloquio Tullius alter eras.
Plurima Liberti teſtatur fabula Phaedri,
Fabula in Hetruſcam tam bene verſa chelyn:
Poſtque obitum vivus chartis Belliſarius aureis,
Dignaque regali Stirps Aquaviva throno.
Aſt Bonaventuram tacitâ quis mente relinquat,
Quem Seraphim Heroëm jactitat Ordo ſuum?
Hic Sophus, hic Vates, Orator hic, omnibus omnia,
O quot multiplicis praeſtitit oris opes!
Sive perinſigni deducta poëmata filo,
Seria Pater capiti queis Patavinus habet;
Seu modulos Animae, ſeu ſcripta Academica quaeras,
Vel Patriae ſacram, Nobilibuſve lyram;
Per varias curas, Graecoſque Italoſque labores
Gymnade conſumptus Pallados ille dedit.

Plurima Doctorem confluxit Natio ad unum,
  Inque ſuos rediit lumine plena lares.
Non ſecus Icario qui ſidere percitus ardet,
  Fontis ad irriguam currit anhelus aquam.
Haec ubi Majorum vidit documenta ſuorum,
  Senſit ad alta animum coepta Taſurus agi.
Fervidus ergo ſequens parili veſtigia greſſu,
  Edidit ingenii pignora mille ſui:
Ducta Cleanthaeâ ſub lampade pignora, ſerus
  Quae ſtupeat totâ poſteritate Nepos.
Nempe animus ſapiens animo ſapiente creatur;
  Inque ſuâ virtus prole ſtat ipſa Patris.
Nec poſſunt pavitantem Aquilae generare Columbam,
  Nec Leporem imbellem fortis in arma Leo.
Tu verò altivolae qui docta volumina pennae,
  Candide Lector, habes, nocte dieque legas.
Proh quantum ex iſtis dabitur tibi diſcere faſtis!
  Dotibus accedet gloria quanta tuis!

EPIGRAMMA.

SCripta vides, Patreſque tuos imitaris, ut aureas
  Quas Dea jactat opes de Jove nata, legas.
Culmina virtutum conſcendis in ardua Scriptor,
  Tangere quae ſtudiis vix potuere Patres.
Haec igitur non eſt imitatio ſola, Joannes:
  Amplius eſt Patres hoc ſuperare tuos.

DE

MATTHÆO ÆGYPTIO

C. L. V.

CUm gemmas lapideſque, argentumque, aeraque, (& aurum,
  Signaque, & auguſtis tot monumenta Animis,
Vel factis inſculpta ſuis, vel imagine vultûs,
  In longum ſtruerent ſecla vetuſta decus;
Vivet io (cecinere) datum per talia in aevum
  Nobilis Heroum gloria; vivet io.
Stellarum intuitu nec vis prohibere maligno
  Praemia, nec fati lex inimica petet.
Sic jubet & Meritum, ſic & Vigilantia mentis,
  Sic & multiplici parta labore Quies.
Tum caput excutiens ferali turbine Tempus,
  Turbine, conſilium quo ſolet omne premi;

Ecquid

Ecquid erit (rabido dedit ore tonitrua) honores
Si mea falx tantos, & mea dextra vetat?
Ergo ruinoſis tacitè labentibus annis,
Pectoris exhibuit quid gravis ira poteſt.
Nocte ſuperfusâ, quicquid veneranda Vetuſtas
Extulit Heroum dotibus, occuluit.
Viſceribuſque fremens terrarum obduxit in imis.
Sic jacuit turpi Gloria operta ſitu.
Perdita poſteritas gemuit monumenta Decoris,
Quicquid & ad faſtos dulce monebat iter.
Novit ubi invidiam, & bacchantis Temporis aſtum
Matthaeus, veteris lux animoſa notae;
Quid tantam, fugitive Senex, ruis, inquit, in iram,
Ut ſuper Indigetum geſta colenda fremas?
Quid ſtruis? aut caecis quâ ſpe tegis alta cavernis
Pignora, digna hominum poſteritate legi?
Falleris. Arma poteſt in te convertere Virtus,
Grandiaque ex tacito tollere furta loco.
Nec meritae ſinit uſque tegi rata ſymbola laudis.
Parte negata via eſt quâ ſibi, tentat iter.
Hac ego ſqualentes promam duce, & auſpice, praedas,
Concedamque iterum Sole ſub aſtra frui.
Dixerat. Ex denſis revocare Ægyptius umbris
Signa, ſuperjectâ ſorde ſepulta, ſtudet.
Marmoraque, & nummos, ſimulacraque, & arma Potentum,
Quotque notas clauſit vaſta ruina, fodit.
Et ſtabili luxata ſagax in ſede reponit;
Et docet appoſitis condita temporibus.
Quae furvo jacuere toro, Vir ad aethera moles
Erigit, & ſculpto carmine luſtrat opus.
Romula, Chaldaea, atque Ægyptia, Graecaque in uno
Scilicet hoc virtus geſtit habere thronum.
Illius ingenio quid debeat alma Vetuſtas,
Multiplici Europes Natio teſte refert.
Omne hieroglyphicum, ſeu grammata obeſa, ſtrophaſve,
Aut aenigmatibus ſymbola plena ſuis,
Unius Oedipodis mens intellexit, & aureo
Melleus explicuit gentibus ore Comes.
Qui jura, & ludos, rituſque, & nomina Divûm,
Artificeſque operum, bella, Polique gradus;
Qui ſtudiumque hominum, qui linguas novit & Urbium,
Et quot adhuc artes Pallas amica fovet;
Quem coluere Scholae, Regeſque, Sophique Magiſtrum,
Quid facere omnigenâ gymnade non poterat?
Divinum ſtupuit Germania adepta libellum,
Legit ubi hunc Sphingem diſſoluiſſe Patrum.
Quin Decimus Quintus Lodoix, & Gallia norunt
Lumina; & ingenium conſuluere ſuum.
Nec minus eſt ditem mirata Hiſpania mentem.
Nam grave de juſto Marte peregit opus.
Ebibit haec avidis cùm CAROLUS auribus, ecquis
Orbe vel in toto doctior, inquit, erit?

Prae-

Praefectumque creat, quo Bibliotheca regatur.
Quàm bene! Vult Sapiens Rex Sapientis opem.
Regia ſum calamo perarata volumina Achaeo
Committit fidei clarificanda ſuae.
Ille vel e minimis ducit compendia rebus;
Intuituque facit multa videre brevi.
Quae meliora tamen ſint mentis acumina; an hujus,
Scriptorum an veterum; ſolvere Terra nequit.
Eminet Europes quae plurima Epigraphe in Aulis,
Inque foro, inque hominum ſedibus, inque Deûm,
Reddite (clamat adhuc) Matthaeo reddite honorem.
Author inacceſſo me dedit ille ſtilo.
Aſt quó, quò celerem rapuit vis enthea Vatem?
Splendida cur libris facta Virumque cano,
Si tuus, invida, barbara, perfida, terribilis Mors,
Hunc furor humanis ſuſtulit ex oculis?
Heu! quis ſit rigido finiſque, pudorque dolori?
Quis carum immodico non gemat imbre caput?
Quando fides, probitaſque Viro, & ſapientia rerum
Cum nudâ invenient ſimplicitate parem?
Multis ille bonis lacrymabilis occidit unus.
Nunc tibi, Mors, ter io laeta triumphe, cane.
Non periit tamen ille tuo molimine totus.
Plurima pars flammas haud ſubitura rogi eſt.
Quot magnae documenta Animae, chartaeque ſuperſunt,
Lumina tot vitae nobilioris habet.
Scilicet iſta datur Sapientibus inclyta merces,
Poſt cineres vivant ut ſine fine ſuos.

DISTICHON.

Marmora Matthaeo vixere ſepulta: Sepultus
His Matthaeus habet vivere marmoribus.

FERDINANDO SANFELICIO

ERECTARUM ANTE REGIUM PALATIUM

OB NATAM REGIS CAROLI BORBONII PRIMOGENITAM

MACHINARUM ARCHITECTO.

LAſſus eram, & tacitae ſub amica ſilentia noctis
    Serpebat placidus per mea membra ſopor.
Ecce mihi viſum media inter ſomnia Templum,
    Gloria perpetuum quo tenet alta Thronum.
Templum auguſtum, ingens ſuper ardua culmina montis
    Stabat, inacceſſae nobile mentis opus:
Aurea cui gradibus ſurgebant limina, & aureis
    Stridebat foribus cardo vel ipſe ſuis.
Magnificaeque aurum faſtigia ſumma tegebat
    Sedis; & hoc nexae parte ab utrâque trabes.
Ergo micante auro, tremulaſque imitante favillas,
    Sparſa refulgentis lumina Solis erant.
Majeſtaſque ſoli, murique, tholuſque, columnaeque
    Æthere mirandam conſtituere domum.
Quin inſculpta etiam veterum monumenta Virorum,
    ARCHI ope TECTORUM qui valuere magis.
Hinc ſurgens obeliſcus erat, domus inde Deorum;
    Hinc Labyrinthaeis ſubdola tecta modis;
Amphitheatrum amplum, & pendentia Mauſolea,
    Grande Forum, atque hortis moenia penſilibus;
Pyramidumque decus, turreſque, arceſque ſuperbae;
    Quicquid & ars clarum poſteritate dedit.
Multaque praeterea ſub poſtibus arma coruſcis,
    Arma per Artificum nobilitata manus:
Vecteſque, armillaeque, & circinus, atque dioptrae,
    Sucula, libellae, regula, amuſſis, helix.
Normaeque, & tabulae, trochleaeque, & tympana, & anſae.
    Cetera me vetuit dinumerare labor.
Turba frequens Sciolorum avidè ſumptura coronam,
    Gloria ſcandenti quam dat habere viro,
Omnibus ardebat ſuperare cacumina nervis,
    Ardua res quamvis aſperitate foret.
Ergo acres prompſere animos, auſumque virilem;
    Certatimque ſuum quilibet orſus iter.
Sed calor, & ſtudium, & molimina corporis omnia
    Irrita in aequoreos mox abiere notos.
Pars pudibunda redit, pars corruit impete in imum.
    Hic tremit, ille dolet, pendet hic, ille jacet.
Poenitet imparili tentaſſe pericula niſu,
    Ludibrio factis conveniente ſuis.
Tunc fabrâ exclamat Fernandus in arte Magiſter,
    Ille tui, Siren, gloria prima ſoli:

Non datur ignarae pertingere ad ardua menti;
Nec facit ad vacuum tanta corona caput.
Conſtanti virtutem animo coluiſſe neceſſum eſt,
Quiſquis amat claro cingere honore comas.
Hac duce meta ſuis ſcandetur & illa triumphis,
Praemia & invicto parta labore leget.
An mea concordes mendacia verba putatis,
Aut caritura ſuâ per genus omne fide?
Vera cano. Tu Diva meis o blandula flammis,
Tu rata amatoris fac documenta tui.
Da, precor, hunc firmo conſcendere robore montem,
Victoriſque tuâ pignora habere manu.
Dixerat: arreptum per dura, per aſpera rerum
Urget iter. Virtus corda animare ſolet.
Nec vires peracuta ſuas, nec inhoſpita terrent,
Nec quid difficilis cuncta laboris habent.
Ridet inaccesſi millena pericula victor
Ille jugi, Heroüm dum nova ſerta vocant.
Ergo ſuo tandem ſudore rigatus honeſto,
Tangit adorati culmina amica loci.
Ut ventum ad Divae viſu mirabile limen,
Obvia gens oculis eſt citò facta ſuis.
Chirocrates, Rhoecus, Nicon, Megareius Heros,
Soſtratus, Æmylius, cùm Cteſiphonte Scopas,
Mneſicles, Satyrus, Theodorus, Democrateſque,
Zmilus, & Hermogenes, cumque Philone Rholus,
Daedalus, & Libon, & quem dedit Oſtia Mater,
Archytaſque meus, Zenodotuſque ſenex.
Quis valeat modicis, licet alter Apollo, frequentes
Verſibus Artifices pandere? turba fuit.
Hi Comitem excepere ſuum Paeana canentes,
Mitis & ante Deae conſtituere Thronum.
Blandula dilecto tunc Gloria plauſit Alumno,
Plauſit, & ambroſios protulit ore ſonos:
Trans maris ambages, Atlantiacoſque receſſus,
Artibus o celebris Parthenopaee tuis,
Veniſti tandem, perque aſpera fata moleſtum
Firma tuo virtus pectore vicit iter.
Sic tacito volvebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans; ſpes neque vana fuit.
Quas ego te curas, per quanta incommoda vectum,
Quantis expoſitum caſibus accipio!
Mens tua multa tulit, longùm ſudavit, & alſit,
Infererent moles inter ut aſtra caput.
Haec quàm pulchra tuis, Fernande, ſcientia fulget
Dotibus; & celebris diceris eſſe Faber!
Clarior in toto nec te datur Orbe Magiſter,
Surgat ut auguſtis machina verticibus.
Amphitheatralem duxiſti ad ſidera molem,
Quam ſuper omnigenum fama loquetur opus.
Lumina Phoebeae radiantia lampadis inſtar
Inſolitum dederunt nocte ſilente diem.

Culmine

Culmine & attollens ſua Lilia Turris ab aureo,
    Prodigium mentis credita ubique tuae eſt.
Nobilis obſtupuit tanta ad ſpectacula Siren;
    Exteraque attonitis Regna ſtetere oculis.
Borboniuſque Atlas, & Atlantis Amalia Conjux,
    Ars fuit ingenii cùm ſibi viſa tui,
Alter in alterius jactantes lumina vultum,
    Dixerunt taciti: par ubi ſurgit opus?
Unica Fernandi referetur gloria ſemper,
    Omnibus haec terris unica ſemper erit.
Talia ut audivi de te monumenta triumphi,
    Senſibus excepi gaudia plena meis.
Ardoreſque tuos agnovi, & Regis amores
    Hiſce ſub auſpiciis; & placuere mihi.
Haec ubi Fernandus bibit aure, pudore refertas
    Virgineo circùm viſus habere genas.
Quale rubeſcit ebur violatum ſanguinis oſtro,
    Albave purpureis lilia miſta roſis;
Laudibus ille ſuis tales dabat ore colores,
    Fixus adorato lumina bina ſolo.
Compoſiti placuit pudibunda modeſtia vultûs,
    Incenditque ſuae pectus amore Deae.
Gloria at Artificis volvens tot mente labores,
    Debita, ait, curis accipe dona tuis.
Prodigioſa gravem decorat tibi machina frontem.
    Virtutem ſequitur ponè merentis honor.
Vix ea: Fernandi, plaudentibus undique turmis,
    Cinguntur nitidis tempora chryſolithis.
Ad ſtudium geniale virûm, laudeſque faventum
    Templa beata ſonant; voxque per aſtra volat.
Diva tamen ſolo non hoc contenta tributo eſt.
    Siquid habes, inquit, dulcis Alumne, pete.
Talia tunc humili Fernandus voce profatur:
    Quandoquidem eſt animo gratia tanta tuo,
Fac Regi, bona Diva, meo dein ludat in Aulâ
    Parvulus inceptis CAROLUS auſpiciis.
Illa autem: laetare, manent immota piorum
    Fata Deûm, votis proſpera fata ſuis.
Naſcentem Imperio Regem, venturaque cernes
    Pignora, pacifico debita Conjugio.
Quantus erit populorum alacrem concurſus ad Urbem!
    Cordibus eventus gaudia quanta ciet!
Parthenope o felix! o terque, quaterque beati,
    Queis datur auguſtos cernere poſſe Duces!
Sic pia fata monent. Manibus date lilia plenis;
    Spargite Cumaeo florea dona ſolo.
Haec ego ſpectabam; Majâ cùm Plejade natus
    Venit ab aethereis moenia in ima plagis,
Et mea fatalem quaſſans per tempora virgam,
    Compoſitis ſomnum ſuſtulit ex oculis.
Tunc rubuit croceis invecta Aurora quadrigis,
    Fulgidiorque ſuas ſparſit ab axe roſas.

Deſinat

Epigramma.

Deſinat immenſum ſpectacula priſca per Orbem
    Alta coronatis fama referre tubis.
Nec Babyloniacos hortoſque, atque aemula Lunae
    Culmina, & in Rhodio ſigna ſuperba ſolo;
Aut vaga Pyramidum ductas ad ſidera moles
    Concinat, aut Templum, caſta Diana, tuum.
Ardua diſpoſitis nec Mauſolea columnis,
    Elide Phidiacum nec magè jactet ebur.
Amphitheatralem Fernandi ars aurea Circum
    Condidit; & ſimilis non datur Orbe nitor.
Ergo ſuo Artificum cedant portenta labori.
    Unum prae cunctis hoc celebretur opus.

IN EJUSDEM FUNERE.

Dum me cella tenet Dominoque mihique vacantem,
    Vertice ubi Thetidos prominet Aula ſuo:
Fixus & aeternis meditor myſteria rebus,
    Spiritus unde viam liber ad aſtra premit;
Lugubrium mihi fama loquax fit nuntia rerum;
    Et bene ſuffer, ait, ſi mala fata gero.
Dilectus tuus ille, tui Fernandus amator,
    Ille tui cultor carminis interiit.
Interiit, de te qui verba paterna locutus,
    Annuit, inter opes quàm ſibi carus eras.
Solvitur in lacrymas Urbs duro exterrita letho:
    Inque vicem Gnati triſtia fata gemunt.
Tu ſilicis venas circùm praecordia duces?
    Nec fluet ex oculis lacryma amara tuis?
Non ſecus his ſtupui, quàm qui Jovis igne ſubactus,
    Vivit, & an vivat, neſcius ille ſibi eſt.
Ut me collegi, Superûm ſic Numina, dixi,
    Dulcibus adjicitis rebus amaritiem?
Fernandus (quid mentis opus praeeunte Matheſi,
    Partaque multiplici gloria mole, valent?)
Fernandus, quo ſe jactitat amica Magiſtro
    Siren, Numinibus par Dea, Tybri, tuis;
Ille Opifex, famâ trans aethera cognitus, Archi=
    Tectonices Princeps maximus ille perit.
Heu quàm terribili Mors invida ſaeviit ictu!
    Intulit in Patriam vulnera quanta ſuam!

Digitized by Google

Pulla ſinum, madefacta oculos, diſcinctaque crines,
    Sidera Parthenope queſta dolore ferit:
Quis mihi te rapuit Fili, dulciſſime Fili;
    O decus, o Animae vita magiſtra meae?
Tu Cteſiphon, Structorque Epheſi, tu magnus Epeus,
    Tu Philo, tuque mihi Daedalus alter eras.
In te Palladius, Varro, & Vitruvius: in te
    Hinnicus, & Rufus, Wolfius, atque Leo;
Quotque Latina pares Tellus alit ubere; quotque
    Graeca Animas, mentem conſtituere ſuam.
Inclyta in Euboico quaecunque ſtat aëre moles,
    Noſcitur eſſe tuae nobile mentis opus.
In Calasanctiadum micat ultima machina Clauſtris,
    Machina ab ingenio tam bene ducta tuo.
Atque opere in tanto, mihi ſemper amata, canebas,
    Sume animi, Pietas, haec monumenta mei.
Fit leve quicquid agam pro te. Tua plurima virtus
    Inſita filiolis, praemia quanta meret!
Non opis aequa meae longum tibi ſolvere in aevum,
    Nec Generis toto quicquid in Orbe mei eſt.
Si quid juſtitiae eſt, ſi mens ſibi conſcia recti,
    Siqua Pias ſpectant Numina ab axe Scholas;
Digna tuis ſua dona ferant ſudoribus, o quae
    Auſpice Josepho non leve nomen habes.
Haec inter teneri documenta perennia amoris
    Heroëm tacito Mors pede praeripuit.
Heu mihi quot generat Mors importuna dolores!
    Heu mea quàm durum ſerpit in oſſa gelu!
O nemora, o valles, quas haec habet ora, beatas,
    O ſacer Arcadibus mons Tegeaee Choris;
Vos ego teſtor, uti moeſti violentia caſûs
    Pectore depulerit gaudia tota meo:
Nec recreet languentem Animam ridentis imago
    Veris, & ipſe loci multus in ore lepor.
Hic niveo micat ante oculos candore Nicates,
    Nec timet ardoris ſpicula, Phoebe, tui.
Illic prata hilaris per florida ſerpit Aternus,
    Gaudet & amnicolis ludere piſciculis;
Uber Aternus aquis, Cereri quo gratior alter
    Non datur, & paſto, qui bibit inde, gregi.
Dulce ſtrepunt fontes manantibus undique lymphis.
    Murmure commotae dulce queruntur aves.
Saepe Adoleſcentes laevi ſua retia tendunt
    Amite, pennato blandula damna Choro.
At ſenſus non iſta meos, licet apta, voluptas
    Occupat, aut aliquâ conditione levat.
Nunc mare, nunc poſitas celſis in montibus Urbes,
    Nunc humili intueor ruſtica tecta ſitu.
Nunc celebres inviſo domos, Equitumque penates,
    Pictus ubi miſtis floribus hortus olet.
Hinc violae, & calthae, & nardi, & colocaſia vernant,
    Et caryophyllon, purpureuſque crocus:

Digitized by Google

Tulipa, gelſiminuſque, & de convallibus illinc
 Lilia, & ignivomae, lacteolaeque toſae.
Delicias tamen haſce inter, virideſque receſſus,
 Percipit unde ſuum Chloris amoena decus;
Me caſiae tantùm, narciſſique, atque anemones,
 Me granadillae, meque hyacinthus habet.
Scilicet hi Mortis flores ſecum omina ſervant.
 Talia per tumulos pignora ſparſit amor.
Ergo genas, largoque ſinum perfundere fletu,
 Et Manes querulâ voce vocare juvat.
Clauſa voluptatis mihi janua cernitur. Unus
 Funere ſub tanto conterit oſſa dolor.
Inciderint quócunqe oculi, pater obvia luctûs
 Cauſſa, per aeternos commemoranda dies!
Arma relicta ſuper teneri lacrymantur Amores,
 Singultu medios impediente ſonos.
Squalenr armillae, vectiſque, ciconia, & orbes,
 Antlia, libellae, tympana, amuſſis, helix.
Regula pulvereo, trochleaeque, atque ergata nimbo,
 Circinus, & normae, ſucula, & anſa jacent.
Cetera quis valeat percutrere carmine Vates?
 Non illis ſpecies, non color ullus ineſt.
Quos, Sebethe Pater, dum cernis talia, ſenſus
 (Te ſiquidem gravior cura remordet) habes?
Heu nimiùm infelix! Caſu percuſſus acerbo
 Tyrrhenum miſeras in mare volvis aquas.
Oceanoque, ſuis qui te citus excipit arvis,
 Permiſces undas triſtior, & lacrymas.
Donec erit Phoebo ſua laurus, oliva Minervae,
 Et Veneri myrtus grata, Palique nemus;
Maximus iſte tuus dicetur funere luctus;
 Maximus Herois funere ſemper erit.
Interea, Fernande, teris ſeu ſidera plantis,
 Arte Equites inter ſeu ſpatiare pares;
Si Caelo ſtudioſus adhuc mea carmina curas,
 Nec meus ex tenero corde receſſit amor;
Quod tibi condo gemens ſub pectore, reſpice buſtum.
 Anne loco claudi nobiliore potes?

Super tumulum.

Hic Fernandus habet ſua mortuus oſſa, Viator,
 Ille Mathematico lumine clarus Eques.
Neu fera Fernandi, potius lacrymare Matheſis
 Fata ſuper, Gnato quae viduata jacet:
Nec putat aut ſimilem reperire, paremve Magiſtrum.
 Tantum praenituit dotibus ille ſuis.
Ecquis vel ſimilis, vel par quear eſſe per Orbem,
 Si propè divinum prodidit ingenium?

In

Digitized by Google

IN FUNERE

MARCHIONIS HORATII ROCCA.

ODE.

CRudele Fatum! pone tyrannidem.
Longam dediſti quid mihi ducere
Hucuſque vitam, cùm rogarim
Dote frui meliore pacis?
Ut truculento ſcilicet impetu
Urgerer ictum nuper Horatium,
Secumque Virtutum ſubactos
Cernere funeribus triumphos.
Haec non ferendo pondere Spiritum
Ærumna laſſat, meque ſub aſperâ
Torquet fatigatum ruinâ
Perpetuis lacrymare rivis.
Ecquis profuſis ſordidus imbribus
Non immaderet, Mortis ab invidae
Furore ſpectans devolutum
Dulce decus, columenque Regni?
Proh quanta clades prominet Artium,
Suadaeque, Legiſque, ac Sapientiae!
Dolemus unius jacere
Exequiis propè funeratas.
Illae ſecundo ſub Ducis omine
Florere viſae tempus ad ultimum;
Nunc forte vergentes eâdem,
Hoc pereunt pereunte Divae.
Qualis ſuperbo ſidera vertice
Attingit audax Aula potentium;
Si fracta fundamenta terrae
Deficiant, trahit illa magnam
Latè ruinam non ſine montium
Clamore. Tanto diſcite Poſteri
Heroa ab occaſu. Vel uno
Materies patet ampla ſigno.
Verùm parentans non ego Horatium
Meis ſileri carminibus feram.
Laetabor agnoſci Nepotum
Per memores ſua geſta faſtos.
Longè ſonantem qui Rhodanum bibit,
Ripaſque Iberi qui colit aureas,
Et qui reluctantem Viſurgim;
Quique tuo lavit amne crines,
Sebethe, ſenſit, quò gravis indoles
Nutrita doctis ſub penetralibus
Extendit alas, & merenti
Digna Togae monumenta tergo

Aptavit

Aptavit ardens. Tum patrio Themis
Delapſa Caelo per liquidum aethera
Sodalis aeternum in triumphum
Impoſuit diadema fronti,
Dixitque: Patres, hujus amabilem
Et fas, & aequum, & priſca ſeveritas
Vigebit ad nutum, & redibunt
Secla iterum, Genitoris illa
Felicis auro ſecla fluentia.
Hic & labantes nunquam aliàs dato
Firmabit Inſignes, & Imos
Conſilio ſtudioſus Author.
Quid mens Horatj non meditabitur
In plurimarum commoda Gentium,
Pericla quem curae ſagaces
Expediunt per iniqua rerum?
O te beatam! ſume ſuperbiam,
Nánque inter Urbes, docta Neapolis,
Tu ſola fulgebis, minores
Luna alios velut inter ignes.
Tuam beato Numine Curiam
Intaminatus dum reget Arbiter,
Exuberantes ire cauſſas
Proſpicies meliore curſu.
Sic & clientum longa negotia
Dijudicatâ lite quieverint,
Io Senatûs Temperator
Vivat io, repetente coetu.
At quid perito quid Themidos Viro
Plaudentis unà facta recludimus,
Cùm meritis experti ſciamus
Divitias operoſiores?
Scientiarum vis ſibi plurima,
Suuſque fulſit propoſiti tenax,
Rerumque prudens, & favente
Sorte animus, dubiáque rectus.
Tonare viſus, eruditus eloquj
Alter redundans flumine Tullius;
Tantamque demirata dotem
Attonito ſtetit ore Siren.
Hinc mota pennâ Fama ſuperſtite
Tranſvexit oras nomen in ultimas,
Quà Solis efferveſcit ignis,
Quàque rigor glacialis horret.
Ab ore totus conſilium petens
Pependit Orbis; cernuus & Tibris,
Niluſque, Gangeſque, & Maragnon
Fronte ſuum coluere votum.
Quid ni? Verendum maſcula diſſitis
Heroa virtus, candida veritas,
Fideſque, laudatique mores,
Et pietas dedit eſſe regnis.

Praeferre

Praeferre honeſtum vidimus utili
Ad Poſterorum lumen; & omnia
A' ſe removiſſe affluentum
Dona gravi, placidoque vultu.
Regno triumphat libera ſcilicet
Virtus catenae neſcia ſordidae, &
Exoſa gazas inſequentes
Fit ſibimet pretioſa merces.
Hac arte ſummas nixus Horatius
Arces Deorum ſcandit; at omnium,
Livore tabeſcens maligno,
Praeripuit Libitina Patrem:
Rerum merentem notitiâ Patrem
Felicis annos ducere Neſtoris,
Et ferre virtutum ſuarum
Omnigenis documenta terris.
Heu mors! amaras me memorem tui
Rurſum coarctas promere lacrymas. –
Jamque unda, ſingultuſque linquunt
Ambiguum fluitare vitae.

EPIGRAMMA.

PErpetuos vitam te ducere rebar in annos.
Venerat è titulis haec mihi cura tuis.
Maſcula erat virtus, aequi tu fortis in hoſtes,
Menſque triumphali provida conſilio.
Judicium humano praeſtantius uſque refulſit;
Quaeque tuo crevit vis ſtudioſa animo.
Tu tamen heu! moreris, moriuntur & omnia tecum,
Quae te victurum non niſi ſigna dabant.
Omne ego praeſidium poſthac rear eſſe caducum,
Cùm videam fortem te quoque, Rocca, mori.

SUB EFFIGIE

MARCHIONIS HORATII ROCCA.

I.

SI velut os referunt, ſic mentem ſigna referrent,
Non foret in toto pulchrior Orbe labor.

II.

Effigiem vel nulla poteſt Ars fingere Horatj;
Fingere virtutum quis valet effigiem?

III.

Functe quid Patrem manus aemula pingit ademtum?
In Genito vivus cernitur ille ſuo.

I V.

O Mnia pande Togae vectum per munia, Pictor,
Nil facies, Animae ſi meliora tegis.

V.

E Xprime quadruplicis plaudentia carmina Regni
Qui penis Heroëm notificare tuum.

V I.

S I propriam cuperet Sapientia pingere formam,
Illa ſibi è tanto Principe capta foret.

V I I.

T E caput Imperii, te pandere poſſet amuſſim
Omnia qui poſſet pandere dona animi.

V I I I.

F Ruſtrà Themis Natum, mortalis dextra, coloras.
Scilicet à Divâ pingier ille poteſt.

I X.

D Ucere quiſquis amat vivos in ſchemate vultus,
Regnorum quatuor, ſi valet, addat opes.

X.

Q Uicquid ad hanc tabulam nequit addere cura colorum,
Addere ſcit relonis fama ſecunda tubis.

SUPER TUMULUM.

I.

H Ac quicunque putat, quòd Horatius abditur urnâ,
Decipitur. Tantum non capit urna Virum.

I I.

S Int procul hinc Patriae, procul hinc lamenta Senatûs.
Non periit, vitam qui probitatis habet.

I I I.

H Ac Themis, & Pietas, hac Lex, & Suada ſub urnâ eſt,
Oſſa ſub hac solùm cùm tua, Rocca, jacent.

I V.

Q Uem tegit hic tumulus, vivit poſt funera. Virtus
Dignum laude Virum denegat una mori.

V.

P Arthenope, & Virtus gelidam lacrymantur ad urnam;
Altera Patronum plorat, & una Patrem.

V I.

F Acta Alemannus, Iber, Italus, Galluſque probarunt.
Laus quadruplex tantum dat tibi noſſe Virum.

V I I.

J Uncta Politiae Themis ingemit ante ſepulchrum.
Interitum Herois lacryma dia docet.

Non

VIII.

NOn totus periit tumulatus Horatius. Una
Si ruit, è meritis altera vita ſibi eſt.

IX.

DA tumulo flores, & baſia fige, Viator.
Unius hic fato Jura ſepulta latent.

X.

OFficio vixit, ſibi mortuus Arbiter. At nunc
Ille ſibi vivit, mortuus officio.

XI.

MOrtis ad imperium Roccae tegit oſſa ſepulchrum.
Num teget & nomen mortis ad imperium?

XII.

LEgis honos hic Rocca jacet. Num cernere vivum,
Hoſpes, amas? Natum contueare ſuum.

XIII.

DA tumulo plauſum. Hic cauſſas quoque Horatius orat.
Clauſa ſed audiri non ſinit urna ſonum.

ODE.

ORoſiſque, liliiſque
Gratioſum picta vultum,
Aureoſque comta crines,
Quae ſecura per receſſus
Hippocrenes accinentem
Laeta Vatem, recreaſti ſumma quondam ſidera:
Solve Muſa nunc capillos,
Lacrymiſque, ſordibuſque
Sparge purpuram genarum;
Et Sodalis ingementis
Æmulata rite fletum,
Tunde mecum luctuoſis, tunde Caelum queſtibus.
Ipſa temporum ruina
More fluminis cadentes
Lacrymarum poſcit imbres;
Nanque Gentium Parentem,
Principemque Gratiarum
Fata Horatium ſiniſtro ſuſtulere turbine.
Ergo parce Adalſiano
Alligare verba nodo:
Pone blanda, laeta differ;
Et meorum quaere Fratrum
Triſtiora quaere plectra,
Hoſpitiſque Dithyrambi laude dignum concine.
Ecce Neſis, ecce Limon,
Ægla, & Hermus aptus armis,

Navi-

Digitized by Google

Navibuſque Euplaea felix,
Et Megariae cavernae,
Omniumque amoenitate
Pulchra Mergelline acerbo conqueruntur funere.
Lenis hunc Sebethus amnis,
Hunc Lucrinus, hunc Avernus,
Frigiduſque Sarnus undis;
Stagna Cumis hunc propinqua
Ore lugent involuto;
Flebilique funeratum voce Roccam perſonant.
Heu Magiſter ille Legum,
Ille pauperum Patronus,
Judicique, Conſilique,
Et Togarum Rector ille,
Ille Regis Adminiſter
Flere lumen, & cor urget excitare naenias.
Jam Neapolis decoros
Sciſſa crines, atque palmis
Tunſa pectus applicatis,
Inter horridas cupreſſus,
Inter inſitos dolores
Fata, clamat, erudito dura fata Filio!
Docte Fili, quâ mearum
Firma Legum vi columna
Corruiſti! quaeve dextra,
Dextra barbaris rapinis
Sueta longùm, te labanti
Te levamen, te Parenti grande robur abſtulit!
Jure luget; nam ſeverae
Zelus ingens aequitatis,
Fortis ardor in rebelles,
Eloquique Tulliani
Pompa, & unà cum Patrono
Nata virtus vel ſub ipſo ſunt ſepulta marmore.
Hinc Latini, Gallicique,
Hinc Iberi, Teutoneſque
Damna mortis lacrymantur.
Nempe ut umbris difficultas
Caeca mentes occupavit,
Solis inſtar deciderunt hoc ab uno lumina.
Quid ſtupemus ergo, triſtes
Si queruntur ore Cives;
Perque amoeni prata Regni
Quiſque flores, quiſque frondes
Carpit aeger, & merentis
Floribuſque, frondibuſque ſpargit urnam Principis?
Grata Muſa, te fideli
Junge Civium coronae;
Sparge lauros, & remiſtos
Sparge liliis acanthos.
Sic Horatii quietem
Augurare molliorem nominandis oſſibus.

Sua

Digitized by Google

SUB EFFIGIE
FRANCISCI DE ANDREA.

I.

ITalus Orator tibi ceſſit, & Atticus uni.
Quid mirum? Eloquio par tibi nemo fuit.

II.

MErcurium celebrat, quia vixerat ante, Vetuſtas.
Si tunc vixiſſes, jam colerere Deus.

III.

CUm Cicerone tonas, & cum Demoſthene clamas.
Itala te meritò, Graecaque terra ſtupet.

IV.

HAc bene Franciſcum ſimilavit imagine Pictor.
Ille tamen Suadae vivida imago fuit.

V.

FRonte vel ex gravidâ datur amplam agnoſcere mentem.
Conjice, virtutum qui ſibi campus erat.

VI.

SI daret & vocem, dedit Ars velut aemula vultum,
Hunc Themis audires ore tonare Deae.

VII.

NEu fuge Franciſco praeconia tradere Tullj.
Nomine ſi diſpar, par fuit eloquio.

VIII.

HOc Franciſcus, & hoc nituit Sapientia vultu.
Fors etiam diâ mente fuere pares.

IX.

SUada ſuum, probat eſſe ſuum Themis aemula Natum.
Mente tamen dici poſſet utrique Pater.

X.

LIngua tacet: verbum mens concipit: ore daretur
Si ſonus, eloquii flumina quanta forent!

XI.

DIceret, aſt prudens tacet, aſtra rapacia Tellus
Ne premat, ablatum dent ſibi Cauſſidicum.

XII.

JUdex, Cauſſidicus, Scriptor, ſcidit, attulit, auxit,
Jurgia, res, faſtos, foedere, jure, libris.

CARMINUM
LIBER VII.

EPIGRAMMATA.

De Claudiâ.

PRoh mores inverſi hominum! fert Claudia ſubli=
Gaçula, & eſt ſoleis fibula larga ſuis.
Fronte galerus ineſt; nam ſueta calantica ſordet.
Laetaturque brevem pandere caeſariem.
Cùm ſibi forte placet, de ſedibus exit avitis,
Indignata ſuo ritè ſubeſſe viro.
Quin etiam reſonis hunc percutit ictibus audax;
Subjectumque ſibi per genus omne facit.
Parcite Grammatici, errorem ne dicite, quando
Diſcipuli recitant: haec vir, & hic mulier.

De Florindâ.

ES caeco cur nupta viro, Lycus inquit; Amico
Nubere ſi poteras, qui bene cuncta videt?
Reſpondit Florinda: Domi cùm cornua fiunt,
Luminibus caecum quàm juvat eſſe virum!

De Niſâ.

PYrrho Niſa datur, pulcherrima Niſa, marito;
Fertque levi dotem conditione ſuam.
Hac mulum ſibi Pyrrhus emit; ſed forte laborum
Ille ſub ingenti pondere lapſus obit.
Tunc Pyrrhus: Dos eſt tibi corpore, Niſa, venuſto,
Fac igitur, mulum quò mihi rurſus emam.
Rem capit; & largo ſe praebet Adultera Amanti.
Sic mulum accepto munere Pyrrhus emit.
Niſa nothum peperit. Tunc: plaude marite; petiſti
Unum, ſed geminus nunc tibi mulus ineſt.

In Albulam.

VIr probus eſt Flaccus, gregibus praedives, & auro:
Albula tu pellex, divitiiſque cares.
Nubere vis Flacco: multùm ſapis Albula. Flaccus
Non vult uxorem te: magis ille ſapit.

Ad

Ad Camillum Theodoræ Maritum.

POne, Camille, precor, conceptum pone furorem,
Cùm Theodora tuos nuda ſit ante oculos.
Hoc ſolet illa modo ſe pandere Amantibus: ergo
Cur tibi ſe nudam pandere Sponſa nequit?

De Annâ Quincti Conjuge.

UNam nupta domum Quincto colit Anna marito,
Altera mercedis jure locata ſibi eſt.
Percipit aſt nihilum; nam quae conduxerat aedem,
Anguſtam patitur Fulvia pauperiem.
Quid faciat? palletque fame, lacerataque ſordet
Veſtibus Anna ſuis, & grave ſemper olet.
Ingenioſa domum praeſente numiſmate vendit,
Ancipiti ſpondens commoda certa viro.
Magnifico veſtit ſe tegmine, editque libenter.
Quique color vultu fugerat ante, redit.
Blanda oculos, depicta genas, & odora capillos,
Idaliam roſeo vincit in ore Deam.
Fervida Amatorum concurrit turba; novaſque
Corpore divitias comparat Anna ſuo.
Fitque datâ locuples pariter mercede maritus.
Tantaque lucratus munera Quinctus, ait:
Femineam erravit qui mentem dixit ineptam.
Femineum pro me quàm ſapit ingenium!

De eâdem.

AD te cùm Procus ingreditur, ſibi gratia facta eſt.
Nomen adhuc factis convenit, Anna, tuis.

Ad Amaryllidem, quæ dotem ſibi oblatam amiſiſſe querebatur.

Cùm male perdideris pretioſum, Amarylli, pudorem;
Crede mihi, dotis perdere dona, leve eſt.

Ad Phyllidem.

TU mihi, Phylli, places; nec poſſum dicere cauſſam
Dicere at hoc poſſum: tu mihi, Phylli, places.

Ad Cæliam.

QUiſquis amat primò te, Caelia, amatque ſecundò,
Funeris in laqueos bis ruit ille ſui.

De Lucretiæ Romanæ Statuâ ſine cultro in manibus.

QUàm ſit viva, petis, Lucretia ſculpta Columbo?
Ne ſe mactaret, ſica negata manu eſt.

In

In Tertullum avarum.

IN centum partes longis rationibus aſſem
Dividit: hinc magnum creſcit eundo lucrum.
Abſtinet at gazis Tertullus, & expavet uti;
Et tanquam pictis gaudet imaginibus.
Arent ora, ſcyphum nec emit ſibi barbarus undae.
Non tribuit ſtrenam, fert ubi dona puer.
Sordidus oppilat pejori pulvere naſum.
Nec ſudariolum, mucus ut exit, habet.
Inter opes mendicus opum dum vivit avarus,
Pondere diſſuitur pera: crumena cadit.
Sentit ut amiſſam, notat ora trementia pallor;
Ingentique Animae penè dolore perit.
Veſtigat, rogitatque omnes, huc pergit, & illuc.
Aſt reditum ad peram non facit illa ſuam.
Quàm benè! nanque impenſae abeunt, redeuntque monetae.
Illarum hoc ſuetum dicitur officium.
Ductus avaritie ſumptum non fecerat ullum.
Et miremur, opes non rediiſſe ſuas?

In Aulum vulgò Equitem.

DIcitur Aulus Eques vulgato nomine: verùm
Seſe Equitem adverſà pandere ſorte nequit.
Quid faciat? ſibi dote datum male vendit agellum,
Ac phaleris comtum mox emit Aulus equum.
Vectus equo campoſque frequens, Urbemque peterrat.
Hac ratione Equitem ſe ſatis eſſe probat.

De Veſpaſiano claudo.

IN ſtabulo bos unus erat, cùm dixit Amyntas:
Vade, & eme emporio, Veſpaſiane, parem.
Diſceſſitque, bovemque parem ſibi Villicus emit.
Claudicat ille gradu, claudicat iſte pede.

De duobus Fratribus Agno, & Lupo.

AFfluit ille rapax vitiis; & dicitur Agnus.
Virtutum hic inſons dote; vocantque Lupum.
Permutent nomen. Factis, & nomine concors
Agnus deinde Lupus, dein Lupus Agnus erit.

In Murem.

HEu! longam vitam tibi caſeus eſus in arcâ,
Muſcipulâ aſt eſus, contulit ille brevem.
Ergo cauſſa fuit, mus improbe, caſeus eſus,
Longaque cur fuerit vita, breviſque tibi.

Ad Pontilianum Grammaticæ Magiſtrum, morbo articulari laborantem.

Declinare

Declinare nequis ſi caſus articulorum,
Quomodo Grammaticam, Pomiliane, doces?

Ad Ponticum.

Dives, inops; mitis, rabidus; pius, efferus idem es?
Te volo, te comitem, Pontice, nolo meum.

De puero, qui ſub veſpere natus, primo mane obiit.

HEu puer infelix, cui barbara fata fuerunt!
Sole cadente oritur, Sole oriente cadit.

Ad Rullum.

SÆpe rogas, ſi factus Amans cum Conjuge ludam.
Si fias Aſinus, dic mihi, Rulle, rudes?

De Philomuſo.

CUjas ſis, multo perſaepe rogatus Amico,
Semper mundanum te, Philomuſe, refers.
Sed cùm tres dentes toto tibi in ore ſuperſint,
Jure Tridentinus dicier ipſe potes.

Tres calami, quos Valens Imperator adhibet ad ſcribendam contra Sanctum Baſilium exilii legem, atramentum non emittunt.

IMpie, in exilium quid pellere ab Urbe laboras
Heroëm, innocuus qui pietate ſuâ eſt?
En calamus triplex tibi denegat atramentum:
Prava nec exilii ſcribere juſſa potes.
Scilicet & calamus tantâ pietate movetur;
Et Baſilj, & mores ſic docet ille tuos.
Diſcere ſi non vis a Praeſule, vivere ſaltem
Nunc pius a calamis diſce, Tyranne, tuis.

Ad Agrippinam.

PArce queri, ſi caede Animam tibi Filius aufert.
E telis pateris vulnera facta tuis.

Ad Neronem.

AGrippina obiit, ſtratuſque Britannicus. Olli
Enſis, & huic tulerunt terra venena necem.
Mors tua ſola deeſt. Age te, Nero, confice ferro.
Bis dat anhelanti gaudia, qui citó dat.

Cerea ejuſdem Statua in abſcondito collocata.

SOlis ab igne procul fruſtrà ſtat imago Neronis.
Irae quippe ſuae ſe liquat igne Nero.

Andreæ Romano, forti caſtoque Duci.

FOrtia bella geris, complesque tremore phalanges;
Victor & omnigeno ſemper ab hoſte redis.
Virgo tamen ſervas per tanta pericla pudorem.
Hoc es diſſimilis: cetera Martis habes.

De Flavio timido milite.

DUm ſe Chriſticolae, Thraceſque ad bella parabant,
Plaudite io mecum, Flavius inquit, io.
Praelia ſuſcipimus Fideique, Deique triumphis.
Gloria num toto major in Orbe ſonat?
Herculei Comites ergo nunc promite vires:
Et pateat, virtus pectore quanta ſedet.
Nunc animum ſubeat ſtricto concurrere ferro,
Ictibus ut meritis Thracia caeſa cadat.
Dixerat: aſt rauco ſtrepuere ubi cornua cantu,
Marſque agitare acies coepit utraſque loco;
Territus & jaculis, & triſtis imagine mortis,
Sollicito petiit ruſtica tecta pede:
Legit & in caecis habitare cuniculus antris,
Donec ſanguineum finis haberet opus.
Quaeſitus dein, terga fugae cur vertit, & hoſtes
Noluit in Thraces tela ciere manu,
Flavius hac, inquit, tractare negotia vovi
Nulla die: hac melius quid pietate datur?

Leonilla ſuam in ſpeculo contemplans pulchritudinem, contabuit a marito deſerta.

SE placidâ ut vidit fontis Narciſſus in undâ,
Perditus ad formam tabuit ille ſuam.
In ſpeculo meditata ſuum Leonilla decorem eſt:
Doſque venuſtatis compulit ipſa mori.
Sunt ſimiles, ſunt diſſimiles: miſer occidit ille
Echus ſpretor, & haec Conjuge ſpreta ſuo.

De Lycoride.

DUm roſeo errabat formoſa Lycoris in horto,
Candidulum pupugit ruſtica ſpina pedem.
Ah! Veneri formâ, laeſaque pudore Puellam
Non poterat melius pandere ſpina parem.

In Cornelium ſatellitem nequam, arboris caſu oppreſſum.

DEcrerant Juvenes cornutam huic frangere frontem,
Vulnere nequitiae conveniente ſuae.

Sumere at abnuerunt ſceleſato ex ſanguine poenam.
Terruit iratos carceris umbra animos.
Quod tamen excidium complere aliena timebat
Dextra, tulit vicibus ſors inopina ſuis.
In caput infandi convulſa ſatellitis arbor
Concidit; & fractum vulnere ſtravit humi.
Quilibet hoc diſcat: praeeuntem poena ſceleſtum
Rarò clauda ſuis deſeruit pedibus.

De Hylâ ebrio luxurioſo.

QUi maris ex ſpumâ Venerem denunciat ortam,
Errat. Hylas ortam ſat probat eſſe mero.

De Portiâ.

POrtia triſtis erat, nam dum fumabat in ollâ
Elixanda, avido rapta latrone caro eſt.
Audiit ut lacrymis, & queſtibus aſtra cientem
Paullus, ait: quidnam, Portia bella, doles?
Flebilis illa: Lyco carnem miſerata coquebam;
Fure ab inhumano ſed mihi rapta fuit.
Paullus ad haec: nihil eſt. Non coctam, Portia, carnem;
Crede mihi, crudam te Procus ille rogat.

In Chionem.

TE Chionem dicunt, ſed nominis error habetur.
Si calida, & nigra es, quomodo tu Chione es?

De Marco.

LOngo menſe, fores quà natus in Urbe, rogavi.
Nec mihi dixiſti, callide Marce, locum.
Quaeſivi: Euboicae placuere palatia ſedis,
Et celebri Artificum ſtructa Theatra manu?
Splendida dixiſti placuiſſe palatia luxu,
Et placuiſſe novis ducta Theatra modis.
Nec tantum ſatis eſt: & Olympica littora, & Hermum,
Et Megarae turres, Pauſilypique jugum,
Euplaeaeque tibi, Mergellinaeque receſſus
Æglamque, & Divûm Templa placere crepas.
Si genio placet ergo locus, placitiſque bearis,
Te ne Placentinum, Marce, negabis adhuc?

Bertholdo Poëtæ peſſimo.

CArmina ructabat vacuas Bertholdus in auras,
Cùm rudit patulo ſtridulus ore Aſinus.
Hoc ego non caſu, ſed more putavero factum.
Nanque Aſinus ſocio ſaepe rudente rudit.
Ergo ſi rudit Bertholdi ad carmina, ſuetam
Alterius vocem credidit eſſe Aſini.

Ad Galateam.

LActea tota genas, frontemque, & lactea collum,
Lactea tota ſinum, lactea tota manus:
Lactea quin mores, & lactea tota pudorem;
Et macula in totâ non habet ulla locum.
Nomine non alio poteras, Galatea, vocari.
Praevalet hoc dotes explicuiſſe tuas.

Ad Leucotheam.

NOn Dea, at alba nites: indigna, & nomine digna es.
Non es, & ipſomet tempore Leucothea es.

De Ligeâ.

SOlatura ſuos formoſa Ligea labores,
Mellifluum roſeo carmen ab ore dabat.
Auritumque nemus mirâ dulcedine cantûs,
Suaviter & ſtupidas abripiebat aquas.
Et volucrum curſus ſiſtebat, & aëre ventos,
Blandiculis mulcens aſtra vel ipſa modis.
Orpheus ut vigili cantum bibit aure, parentem
Calliopen certè credidit eſſe ſuam.
Haud mora: praecipiti velocior irruit Euro,
Et collo circùm brachia amica dedit.
Heus, perfuſa genas tunc igne Ligea decoras,
Quid, ſcelerate, putas? quidve requiris? ait.
Parce, puella, pudens erroribus Orpheus inquit.
Credideram matrem te Deus eſſe meam.
Cantibus uſa, Deum ſi me trahis aethere ab alto,
Quis nequeat terris, te modulante, rapi?

De Panopeâ.

UXor acuta oculos vidit Panopea feneſtris
Cum Gertrude ſuum ludere amante virum.
Fluctibus irarum citò ferbuit acta ſuarum;
Indoluitque datam contemeraſſe fidem.
Poſt Venerisque jocos, foedaeque negotia vitae
Venit ut ille, gerens pendula poma, domum;
Haec promiſſa fides? haec eſt data dextera dextrae?
Hiccine amor thalami candidus? uxor ait.
Palluit, & toto contabuit ore maritus.
Increpuere animum crimina tanta reum.
Ut ſe collegit: quid me furiata laceſſis?
Ruris ego haec carpſi poma novella tui.
Illa autem contrà: quid inania fingis Adulter?
Altera poma tuis lecta fuere jocis.
Jam novi & quam tu, & quo ſtramine. Facta negabis?
Perdita Gertrudis dicet utroſque focos.
His oculis, his, inquam, oculis tua crimina vidi;
Hac dotale licet rus ſit ab Urbe procul.

Tunc

Digitized by Google

Tunc vir: centoculus quid turges Arge? duobus
Te ſuperare oculis ſcit Panopea ſuis.

Carolo Tonſori.

RUſtice dum mollem tondes mihi Carole barbam,
In lacrymas bis me ſemper abire facis.
Scire petis cauſſam? mihi tergis amore crumenam;
Polluis & faciem caede rubente meam.

Epitaphium Beliſario.

PErlege qui tranſis. Jacet hac Beliſarius urnâ,
Nomine tranſgreſſus Solis utranque domum;
Qui Domitor Perſas Oriente, Gothoſque ſubegit
Italiâ, & Libyco Vandala caſtra ſolo:
Traxit & in celebrem Regeſque Duceſque triumphum,
Laude datâ: ter io Maxime, Ductor io.
Excellens adeò virtute refulſit, & armis.
Hinc aliena oculos eruit invidia.
Tu caecum ne crede Virum, viâque carentem.
Et videt, & vivit qui bene nomen habet.

Dionyſio II. Syracuſarum Tyranno.

INſtabiles fortuna rotas improvida verſat:
Turbinibuſque ruit, quod ſtetit ante, ſuis.
Caſibus en quantis Dionyſius exul abundat:
En miſer ut luſâ nobilitate jacet.
Ille Syracuſiâ tam dives in Urbe Tyrannus
Vix humili rabidam temperat arte famem.
Priſtina quem vidit regalibus hora ſuperbum
Faſtibus, abjectum poſtera vidit humi.
Praetereunte ſtipem ſic quaerere ab hoſpite pauper
Cogitur; & mediis vivere ludibriis.
Culta popina viro eſt, fordeſcenteſque tabernae,
Atque Corinthiacae fumida tecta caſae.
Sunt ubi nunc faſtus, titulique, & Regia, & aurum?
Hei mihi! ponderibus procubuere ſuis.
O imis mutata, Animae, quae ſumma videtis,
Nilque dari toto ſemper in Orbe ratum,
Cur mentem ad ſuperi non vertitis aetheris aulam,
Omnia in aeternos ſunt ubi firma dies?

Horarium Regulo miſſum.

MItto tibi donum, quod temporis indicat horam.
Suſcipe, & a dono diſce perire meo.
Aſpicis, ut gluten, filumque ſolubile parvum
Vas ligat? utque horae curſus eundo perit?
Aſpicis, in partes ut arena elabitur imas?
Utque ſuâ fragile eſt conditione vitrum?
Non ſecus in terris hominum, bone Regule, vita eſt.
Eſt gluten, filum, curſus, arena, vitrum.

Puerorum ſaltus per flammas.

PEr flammas ſaltare alacres, dum [illegible] novantur,
Cur ſoleant pueri, dic mihi, Roma, tui.
Scilicet Æneae celebrant monumenta Parentis,
Cui dedit innocuum Doricus ignis iter.

In idem.

HOc Phaëtonta joco, flammaſque referre putarunt,
Queis citò in Eridani concidit uſtus aquas.
Quàm male! contulerunt Phaëtonti incendia luctum:
Omnibus haec pueris gaudia flamma parit.

In idem.

NUnc ſapis, antiquo quàm tempore vixeris amens,
Cùm tibi, Roma, Deûm culta ſuperſtitio eſt.
Si ſordes Animâ ſubſunt, quî tollere ſordes
Haec Animae poterat flamma profana tuae?

Ad Attalum Venatorem.

NEc lepores, nec aves mihi mittis munere, quamvis
Plurima venatu ſit tibi praeda tuo.
Inveni tamen ipſe viam, quâ digna merenti
Detrimenta feram: poena parata tibi eſt.
Ulciſcar, lepores, & aves licet, Attale, mittas.
Vi quid ages? inquis; vi quid agam? comedam.

In Petrum Cauſſidicum.

CAuſſidicus Petrus eſt, nec verba dat ulla miſellis.
Scilicet his etiam vendere verba cupit.

Ad Eupompum Pictorem.

PInxiſti Alciden angues, Eupompe, necantem;
Inque throno Divûm cum legione Jovem.
Nec tamen in ſolio ſpectabilis iſte ſuperbo,
Nec ferus in cunis affuit ille ſuis.
Pictorem amborum bene Zeuxida pingere quaeris?
Corriget hic melior ſors tua menda manu.

De Baliſtâ, & Brenno, latronibus.

FUr ſaccum abripuit pannis Baliſta refertum,
Cauponamque adiit praepes ab Urbe procul.
Pondere depoſito petiit turdoſque, placentamque,
Et fumans lentis ignibus artocreas.
Jamque ſuas dapium revocabat munere vires,
Cùm Brennus ſolitos inſtruit arte dolos.
Mox ſaccum rapit ante pedes a nemine viſus;
Limine ab hoſpitii poſt tonat: Hoſpes, ubi es?

Carnis habes ne aliquid? num Maſſica vina paraſti?
Fac citò: me laſſum torquet acerba fames.
Ut data meta epulis, luſtrans Baliſta tabernam,
Non invenit opes ſedulitate ſuas.
Infremit, & queſtu nunc hunc, nunc increpat illum,
Et latrocinii fertque refertque reos.
Perdidit aſt operam. Id meritò male vertit Iniquo.
Res male abire ſolet, quae male parta venit.

Ad Roſimundam.

VIx roſa nata, ſuae languéſcit imagine formae,
Ponit & infirmum diſperitura caput.
Diſce ſuperba roſà vitam Roſimunda caducam.
Quis ſcis, an inde humili legeris eſſe animo?

De Claudia Virgine Veſtali.

CLaudia dum nimio graditur celeberrima cultu,
Et facies compar nobilitate micat,
Fundit in innocuam convicia Roma puellam,
Hanc rata Virgineum contemeraſſe decus.
Annuat aſt purum quò criminis illa pudorem,
Ad vada vicini Tibridis urget iter.
Et quam non homines, & mille movere catinam
Robora nautarum non potuere loco;
Unica Virgo ſuâ facilem per caerula zonâ
Ducit in illaeſae ſigna pudicitiae.
Unde poteſt fixam Veſtalis ducere navim?
Virginis intactus ſtat pudor: ergo poteſt.

In eandem, quae tam arctè Patrem amplexa eſt, ut contra vim Tribuni plebis, ex curru triumphantem detrahere conantis, immobilem effecerit.

RUmpitur invidiâ, Capitolia ad alta Tribunus
Laude triumphantem cùm videt ire Ducem.
Tanta nequit ſpectacla pati temerarius hoſtis.
Uritur, & rabies ima per oſſa ruit.
Jamque Heroa ſtudet curru divellere ab aureo,
Inque caput furiis praecipitare ſuis.
Inſilit, hoc ſpectans, ſuper ardua culmina curris,
Immotumque fovet Filia Virgo Patrem.
Haec tenet, ille trahit: contendit amorque, odiumque
Excita ſed tandem praelia vincit amor.
Martia ſic unus Patri per bella triumphus,
Alter Veſtali per pia facta datur.
Majorem quem fortè putas? memorandus utrique
Auctor adeſt: hic eſt Virginis, illè Patris.

Ad Virginiam puellam Romanam.

NE grave ſervitium patiare coacta, vel Appj
Candorem vitiet dira libido tuum,
Quàm bene caeſa cadis patriâ ſub cuſpide! Vivit
Hac tibi libertas, hac tibi morte pudor.

In Oppiam Virginem Veſtalem.

OPpia crede mihi: laeſi damnata pudoris
Non bene ab enſe tuae concidis icta manûs.
Soſpite debueràs, ſi fas erat, ante pudore,
Non jam poſt decoris turpia damna mori.

Floroniae Epitaphium.

DUpliciter vixit: modò in hac Floronia foſſâ
Mortua dupliciter, vitâ, & honore, jacet.

De Arriâ.

DAmnatum de more Patrum dolet Arria Paetum,
Nec potis eſt fato conſuluiſſe ſuo.
Deſtinat ergo mori; ſtringenſque interrita ferrum,
Mox ſibi ad interitum viſcera laſſa ferit.
Deque ſuo educens ſtillantem corpore cultrum,
Dat Paeto, ut parili ſe necet excidio.
Sic quos una dies ſociali foedere junxit,
Foedere adhuc junctos perdidit una dies.
Nunc Libitina tace: tu dividis omnia niſu.
Dividere hos ipſâ nec quoque morte potes.

C. Licinius Macer, repetundarum reus, audiens Ciceronem cauſſae ſuae contrarium, faucibus ſudario conſtrictis, voluntariâ morte deceſſit.

ORe tonat Cicero, contortaque fulminis inſtar
Lethali feriunt impete verba reos.
Quotque dat ore ſonos, tot comparat ille triumphos.
Nec valet impietas vulnere abeſſe ſuo.
Hunc Macer ut trepidis exterritus auribus haurit
Vindicis in cauſſam tela parare ſuam,
Cogitur infelix nullam ſperare ſalutem.
Et legit ante mori, quàm petat ira caput.
Tum ſudariolo ſibi faucibus interclusis,
Deſperatam Animam more latronis agit.
Horrida quàm fuerint dicentis fulmina Tullj,
Si minus iſte gravem credidit eſſe necem?

Turanius ſenex nonagenarius, ultrò a Caeſare

procn-

Digitized by Google

procurationis vacatione ſibi concesſâ, mœſtus componi ſe in lecto, & tanquam mortuum a familiâ plangi juſſit. Tunc verò finem dolori ſuo dedit, cùm priſtino labori a Cæſare reſtitutus eſt.

Effoetae toto frigent in corpore vires,
Annotumque gravi pondere ſanguis habet.
Nec ſuetas complere valet Praetorius artes,
Grande perat quamvis ferre laboris onus.
Ergo ſeni Caeſar, curas deponat ut omnes,
Annuit, & pacis gaudeat inter opes.
Non aequo fert iſte animo; ſed acerbus adurit
Conſilii trepidum ſub novitate dolor.
Tum ſuper extenſus feretro, Natiſque, Suiſque
Se velut extinctum collacrymare jubet.
Lamentis, gemituque domus, ſtrepituque remugit;
Altaque continuus ſidera clamor init.
Audit ubi haec Caeſar, dat munia ſueta volenti.
Sic hilaris ſtudium ſuſcipit ille ſuum.
Quos, ſenis exemplo, juvenum decet eſſe labores,
Qui ſeſe exanimem, dum vacat, eſſe putat?

Cùm Hermias puer a Delphino amatus, perque maria vectus, coortâ tempeſtate, periit, delphin Amaſii perditi dolore affectus, in ſicco expiravit.

Per vaga delphinis vehitur puer aequora dorſo,
Et genio potis eſt ire redire ſuo.
Ille jocat, ſecumque alacris jocat iſte viciſſim:
Mutuaque unanimes flammula amoris alit.
Aſt cita tempeſtas cùm flantibus infremit auſtris,
Heu! puer horriſonas occidit inter aquas.
Vivere nec patitur delphin: in littore ſicco
Moeſtus Amatoris caſibus emoritur.
Delphinis proh digna ſuo ſpectacula Amico!
Dum valet ille, valet, dum perit ille, perit.

M. Antonius, & Fulvia in ſectum Ciceronis caput ſævierunt.

Plauſibus aula ſonat, ſtratoque Antonius oſtro
Nobile ſympoſium Regis adinſtar obit.
Apponique caput menſâ Ciceronis in aureâ
Imperat; ac tantum geſtit ad intuitum.
Et bibit, & comedit, dapibuſque meroque ſaporem
Autumat exanimum ſuppeditare caput.

Tum dapibus vinoque gravis, ludibria in hoſtem
    Mille ſuum mordax, probraque mille, vomit.
Fulvia ſe comitem deſpectibus aemula jungit:
    Nec ſceleri cedit Conjugis illa ſui.
Nunc ſpuit in faciem, nunc inter ſcommata linguam
    Sanguineo extractam gutture, pungit acu.
Fulvia quid tantâ, quid vult Antonius irâ?
    Quid caput in menſâ, quid cruor iſte notat?
Saevitiae, capite hoc Conjux, hoc Sponſa cruore
    Vult ſaturare famem, vult ſaturare ſitim.

Aſbylus Olympionices Crotoniata
ter continuâ ſerie victor.

SEu caeſtu, diſcove velis, ſaltuve, palaeſtrâve,
    Aut curſu in ſtadiis ludere Olympiacis,
Asbylus uſque valet, vincitque ter ordine; & olli
    Terna facit capiti ſerta philoſtephanos.
Laeta ſupercilio miratur Graecia vires,
    Ac ter io meritâ laude triumphe canit.
Aſt ego nil miror. Si vis cognoſcere cauſſam:
    Perpetuae vires Virginitatis habet.

Calanus Indus ab Alexandro Magno rogatus,
ſiquid moriens mandare vellet,
ex quo ſponte cremabatur rogo,
nihil, inquit. Propediem
te videbo.

SCanderat, exoſus vitalia lumina, in auras
    Indicus erectam Gymnoſophiſta pyram.
Tunc ait: e vitâ proh terque quaterque beatum
    Diſceſſum, & miſeris quot ſcatet illa malis!
Nanque voraturis combuſto corpore flammis,
    In lucem excedit Spiritus iſte ſuam.
Jamque cremabatur; Macedo cùm fortè jocatus,
    Siquid aves, inquit, docte Calane, pete.
Ille autem contrà: Moriens nihil, Optime, quaero.
    Te bene poſt paucos, crede, videbo dies.
Exitus acta probat. Periit Dux tempore curto.
    I nunc, & ride vaticinantis opus.

Eros ſervus, M. Antonii deſperatione impulſus,
ut gladium acciperet ad inferendam illi mortem,
gladium quidem arripuit, ſed converſo
in ſemetipſum ictu, ad pedes
Domini ſui corruit extinctus.

Digitized by Google

VIctus ab Auguſto, fractiſque Antonius armis
Deſtinat infauſtos claudere morte dies.
Corripe, mentis inops ait, impete corripe ferrum,
Siquid amoris adhuc, Serve fidelis, habes;
Meque feri, maneſque Animam deſcendere ad imos
Hanc ſine: ſub Stygios ſic juvat ire lacus.
Fidus Eros rapit arma; tamen ſe confodit ictu,
Et cadit ad Domini victima caeſa pedes.
Extremum, mala juſſa cavens, ut obiret amorem,
Non poterat letho nobiliore mori.

Vatiae Servilii Epitaphium.

HOc jacet, in tumulo famoſus Vatia, inertem
Quem data Praetorem vota creaſſe dolent.
Tempore vixiſſet longo; ſed marcida vitae
Otia ſectatus, tabuit ille brevi.

Dido.

QUid Maro, quid comites de me cecinere Maronis,
Fabula (candori credite, ſecla) fuit.
Nec Phrygium novi, nec eram Phrygis orta diebus;
Sancta fides primi nec violata tori eſt.
Me ſibi Sichaeus junxit. Qui primus amores
Abſtulit, in tumulo continet ille meos.
Effugitura focos, atque arma procacis Iarbae,
Caſta meâ cecidi fortiter uſa manu.
Nempe mori melius duxi viduata marito,
Quàm temerare meam ſorde pudicitiam.
Diſcite, Nymphae alacres, ex me ſervare pudorem.
Unus adorandas vos facit iſte Deas.

In Joannem Mariam Ducem Mediolanenſem, quotidie Cives novo tormentorum genere opprimentem.

LÆta ſub Inſubribus recreaverat aethera Gallis
Urbs, Tranſpadani gloria prima ſoli.
Nunc miſeras lacerata genas, & ſciſſa capillos
Ingemit in Natos aſpera fata ſuos.
Imperiique dolet moderamina habere Tyrannum,
Quem Milo, quem Phalaris, quem tremit ipſe Creon.
Ille ſuis vacuam negat eſſe furoribus horam,
Quolibet agglomerans funera mille die.
Opprimit innumeros nullo diſcrimine Cives,
Excruciatque novis mortis arundinibus.
Saevitiam mirare? mori qui carcere Matrem
Imperat, in Cives qui pius eſſe poteſt?

Spurina formoſus Adoleſcens, videns feminas

Digitized by Google

viroſque ad libidinem decoro aſpectu ſuo provocari, faciem ſibi vulneribus deformavit.

UNde Animae excidium juvenes didicere recentes?
Hiſce quis inſani dux in amore fuit?
Ut Ganymedaeos poſſint incedere cultu,
Omne animi ſtudium, corporis omne locant.
Emicat alternis & barba relecta diebus;
Et minii facies neſcio quicquid habet.
Albeſcunt Cyprio mendaces pulvere crines;
Oſque, pedeſque movent, cruraque, & arte manus.
Femineos ſtat cura ſinus accendere flammis,
Idaliamque jocis ſollicitare Deam.
O ſcelus! o noſtri lacrymabile dedecus aevi!
Hoccine, ſuſceptâ lege, ſalutis iter?
Non ita formoſus feciſſe Spurina refertur,
Perpetuâ juvenis clarus in Hiſtoriâ.
Non opere, aut fuco colluxit amabilis ullo.
Odit mollities quid muliebris amat,
Dotibus at potuit naturae vincere formam,
Lesbia, ſive tuam, ſive, Ariadna, tuam.
Scilicet ante alios longè pulcherrimus, unus
Omnibus hic omnes ſurripuit Veneres.
Alliciente trahi tamen ore viroſque, puellaſque
Indomiti noſcens turpe ad amoris opus,
Multiplici informem fecit ſibi vulnere vultum.
Suſtulit inſtantis ſic caput omne mali.
Quàm decet eſſe hominum caſtos, hoc Principe, mores,
Qui ſibi, laedatur ne pudor, ora ferit?

Super Epaminondæ ſepulchrum.

CLaudor in hoc Thebes Dux marmore cognitus armis,
Quo vivo vixit Thebe, obeunte, obiit.
Ipſa mori juſſis me cladibus impulit unum;
Unus enim hanc vetui cladibus ipſe mori.
Ne me, poſteritas, Theben ſuper ingeme: ſolùm
Illa obiit, cineres poſt ego vivo meos.

Ortâ de Regno contentione, Iaſium fratrem Dardanus interfecit.

SIc eſt; ſic docuit longa experientia rerum:
Regia Regnantes non capit una duos.
Occupat hos fratres regnandi inſana cupido;
Alter & alterius lege ſubeſſe negat.
Contendunt verbis factiſque: at vulnere fratris
Exanimus tandem concidit Iaſius.
Cur hiſce Iaſius, non Dardanus occidit armis?
Ille homine, hic ſummo de Jove natus erat.

Io

Digitized by Google

In idem.

Siccine, regnandi ſcelerata libido, tumeſcis?
Barbara ſic animos mortis ad arma rapis?
Proh quantam furibunda paris molimine cladem!
Crimina quanta, throno non caritura, moves!
Aſpice, in Iaſium ceu Dardanus irruit armis;
Frater & in fratris funere victor ovat.
Nempe oritur cùm dirus amor ſibi ſubdere regnum,
Sanguis in occaſum, juſque fideſqe ruunt.

Annibal veneno moritur.

INcidat in Latios ne belliger Annibal aſtus,
Hoc uſu intrepidus ducta venena bibit;
Et moritur. Fortem poſt tot diſcrimina rerum
Non aliter poterant fata probare Ducem.

De eodem.

QUi pretioſa ſui calcaria perdit honoris,
Illius ad vultum lacryma amara facit.
Roma exercitium virtutis perdidit; ergo
Non Byrſa Annibalis funera, Roma gemat.

De eodem.

ANnibalem ne, Byrſa, ſuper lacrymare peremtum.
Non mors, vita gravi, mors animoſa Duci eſt.

Senſus Puellæ devotæ, roſam manu tenentis.

VIvida nuper erat, ſed nunc roſa facta caduca eſt,
Siccaque in occaſum, non reditura, fugit.
Sic mea vita brevis: vix orta haec occidit: ergo
Vivere diſce roſâ, diſce perire roſâ.

Orpheus a Maenadibus occiſus.

INdomitas feritate tigres, rabidoſque leones
Lenit ad harmonicae carmina blanda lyrae.
Flectere ſed furiis Eleleidas Orpheus actas
Non valet; armatas vel retinere manus.
Æſtibus ergo ſuis Vatem vertuntur in unum,
Quo juga Pangaei congemuere ſoli.
Pars virides thyrſos, non haec in munera factos;
Pars jacit in caelebs ſtridulà ſaxa caput.
Illae olidas glebas; raptoſque ex arbore ramos;
Hae quaecunque ſibi ſuggerit arma furor.
Poſt varios caſus, poſt vulnera tanta, cruentis
Orpheus oppreſſus cladibus interiit.

His confer nunc bruta modis, Bacchaſque frementes.
Illa homines dices, haſce fuiſſe Feras.

De eodem.

Hydra, leaena, tigris, panther, lupus, urſus, & omne
Hoc genus, irarum terrirat igne animos.
Orpheus iſta tamen molliti dulcedine cantûs,
Et genii exarmans vi, ſibi prona facit.
Cantat, & arte iterùm ſua barbita pulſat eâdem.
Verùm ex Maenadibus vulnera paſſus, obit.
Si fera bruta igitur ponunt, non Maenades, iram,
Iram femineam non datur ira ſuper.

Caeſar amputatum Pompeii caput intuitus, lacrymatus eſt.

Cum caput inſidias projecto corpore truncum,
Pompeii lacrymis fata cruenta doles.
Non gemis hunc gladio, Caeſar, cecidiſſe peremtum,
At gemis e manibus non cecediſſe tuis.

Pompejus gladio percuſſus, ſemel gemitum emiſit.

Poſtquam ter Domitor ... duxit honore triumphos,
Et ter io Latii perſtrepuere lares;
Fractus Caeſareis tandem Pompejus ab armis,
Fugerat in Tedes, Rex Ptolemaee, tuas.
Tu tamen ad crimen mox deligis author Achillam,
Pompejumque dato vulnere obire jubes.
Ille ſuis moriens gemitum dat faucibus unum,
Et gladio ad Pharias ſanguinolentus aquas
Uno nempe notat gemitu tribuiſſe vel unum
Sponte tibi regnum, quo vix facta noci eſt.

Nihil locutus eſt.

Has largo, Ptolemaee, vices pro munere reddis?
Siccine Pompejum depopulare caput?
Dum vixit, ſolio te fidus Amator ademto
Reſtituit; moriens te quoque fidus amat.
Cerne: ſuae retegat ne te, Rex perfide, mortis
Artificem, clauſo providus ore tacet.

Seipſum copperuit.

Cuſpidis immanes jam jam moriturus ad ictus,
Corpus, & ora ſibi, quâ potis arte, tegit.
Nec facit haec caſu Princeps: mens Principis haec eſt:
Ne legat ingratâ vulnera facta manu.

De

De eodem.

COmpoſitâ ut ſpecie intereat, ſe celat amictu.
Haec etiam Domini cura cadentis erat.

Attila Hunnorum Rex, cognomento flagellum Dei, quieſcens effuſo e naribus ſanguine ſuffocatus eſt.

GRande Dei in toto qui diceris Orbe flagellum,
Atila, de Scythicis bellua nata jugis,
Deprime Pannoniam, & ferro populare quid obſtet;
Concuſſamque acies transfer in Italiam.
Sanguine ſpumantem lacrymoſa Aquileja Timavum
Cernat, & immiſſo tecta cremata foco.
Teutonicas inviſe plagas furibundus in armis.
Omnia fatali turbine verſa ruant.
Tot patrium molitus iter poſt funera, Amator
Pectore volve novum, volve, Tyranne, torum.
Infelix! tibi clauſa via eſt. En ſanguine miſtam
Exundante Animam fluminis inſtar agis.
Haec bene conveniunt. Qui vixit ſanguine potus,
Debuerat potus ſanguine rite mori.

Super idem argumentum.

ATtila membra toro defeſſa reponit in aureo;
Mens tamen ad clades irrequieta redit.
Somniat humanum patulo abſorbere cruorem
Ore: adeo caedis fervet iniqua ſitis.
Sanguine ſed proprio Rex ſuffocatur, & udo
In thalamo extremae munera ſortis habet.
Nunc nequit ille queri: totâ quod mente petivit,
Obtinet: ecce ſatur ſanguinis amne natat.

De Heraclito, & Democrito, quorum alter oculis fletu clauſis erat, alter verò labris riſu apertis.

TEtricus in lacrymas abit Heraclitus amaras;
Democritus riſum protrahit ore ſuum.
Talis in aſpectu comparet imago Sophorum;
Hinc labra riſus habet, fletus & inde oculos.
Quid tantis diverſa petit ſententia factis?
Quidve animos variâ cogit utroſque viâ?
Ille hominum aerumnas ſpeculatur; & uſque gemiſcit.
Stultitiam hic hominum; ridet & uſque jocos.

Cajus Caligula Imperator unicam eſſe Populo

Romano

Romano cervicem exoptabat, ut unico poſſet ictu faciliùs abſcindi.

C Arnificis votum eſt: celeres vaneſcat in auras.
Sanguinis eſt votum: tartara in ima cadat.
Cuſpidis ut poſſis unum diſcindere ad ictum,
Unum Romulidis appetis eſſe caput.
At prius Ioniis ſeges aurea ſurget in undis,
Piſcis & in medio gramine nabit agri;
Quàm valeas ſtultam, Rex impie, tangere metam;
Nanque rogas ſuperos non facienda Deos.
Roma ſui fiet, quam tentas perdere, voti
Compos: amat mortem flebilis illa tuam.
Hanc merito vindex infert tibi dextera Chaereae,
Et cadis innumeris victima vulneribus.
Ah! mihi, dixiſti, tua mors, Urbs Romula, vita eſt;
Haec, Cai, reſpondit, mors tua vita mihi eſt.

De puero, qui mortuus vultum habebat ridentem.

M Ortuus hic puer eſt, ſed funere ridet in ipſo.
Ridet abeſſe ſolo, ridet adeſſe Polo.

Rhodope pellex ob pulchritudinem uxor ducta eſt a Pſammeticho Ægypti Rege.

E T nocuit, Rhodope, & juvit tibi ſumma venuſtas,
In Phariâ Rhodope nobilis Hiſtoriâ.
Tunc nocuit, ſcortum cùm fecit adire lupanar.
Juvit, ubi in ſolio te dedit eſſe Deam.
Ori femineo nocet ergo, juvatque venuſtas.
Quis ſciat, an damnum majus, an utilitas?

Cheopes Ægypti Rex, attritus nimio ſumptu Pyramidis viginti annis abſolutæ, formoſiſſimam filiam proſtituit.

P Erpetuis famam Cheopes lucretur ut annis,
Pyramidem immenſis ducit in aſtra opibus.
Filia fit largo cuivis mercabilis aere;
Patris ad imperium ſic ſua Fama volat.
Dicere famoſos nunc poſſumus undique. Quid ni?
Pyramide eſt Genitor, Filia proſtibulo.

Pompejus tormentorum minis a Gentio Rege ſollicitatus, ut ſecreta Senatûs conſilia

mani-

Digitized by Google

manifeſtaret, digitum lucernæ admovit comburendum.

DUm ſtimulis Pompejus erat regalibus actus
Prodere conſilio quid ſtatuere Patres,
Lampadis hoſtili digitum dedit igne cremandum;
Et ſtetit impavido damna ſub ipſa animo.
Non tulit Herois tam fortia monſtra Tyrannus.
Juſſit ad Auſonios hunc remeare lares.
Quem potuit digitum Pompejus adurere, aduſtum
Gentius ex flammis cernere non potuit.

Agathocles Siciliæ Rex vaſis fictilibus utebatur.

DE figulo Genitore ferunt Agathoclea natum
Fictilibus menſas ſaepe oneraſſe ſuas.
Scilicet efferret ne vana ſuperbia Regem,
Ante oculos patrium legit habere lutum;

De eodem.

CUr vaſis figulina libens immiſcuit aureis,
Si ſua theſauris Regia dives erat?
Ad decus oſtendit vili quoque ſtirpe Creatis.
Cùm virtus comes eſt, ſaepe patere viam.

De eodem.

HEus quicunque tuo de ſtercore ad ardua honorum
Erigeris, tumidum pone ſupercilium.
Anguſti memor eſto laris, Patrumque tuorum,
Quos Deus in miſerâ ſorte praeeſſe dedit.
En Rex ante oculos Agathocles terrea ſervat
Vaſa, legens primi ſordida ſigna ſtatûs.
Quemlibet his abigit ſolerti ex mente tumorem;
Immittitque animo frena, regendo, ſuo.
Sic honor huic creſcit, quoque ſic tibi creſcet in aevum.
Non tumor Heroas, ſed modus iſte facit.

In Maximum.

INcipis, & nunquam peragis res, Maxime, coeptas.
Rem (puto) non peragis, cùm bibis, & comedis.

De duobus Juvenibus ab equo in cœnum lapſis.

DUm vecti ſpatiantur equo per lubrica fratres,
Volvitur in liquidum lapſus uterque lutum.
Qqq Spurcitiem

Digitized by Google

Spurcitiem videt ille ſuam, nec talia curat.
Veſtis hic ad maculas pallidus ore tremit.
Cur inter fratres ſurgunt diſcrimina; ut unus
Sordibus hiſce alacris, triſtis & alter eat?
Diligit ille Animae maculas, & corporis; inſons
Hic Animâ; maculas corporis odit adhuc.

Q. Horatius Flaccus requieſcere Tarenti, & mori exoptavit.

ET maris, & terrae, bellique ſub arma crepantis
Laſſus, amo curis otia tuta meis.
Jamque mihi renues albeſcunt vertice crines;
Jamque facit ſegnem ruga moleſta ſenem.
Non genius, non robur idem, non greſſus euntis,
Non eadem ſpecies, quae fuit ante, manet.
Aggravor, & ſenſim decreſco cadentibus annis;
Totaque diminui corporis oſſa puto.
Ah! requies electa mihi ſint rura Phalanthi,
Quà rigat uberibus culta Galeſus aquis.
Dulce mihi ridet ſuper omnia Regna Tarentum:
Dulce ſedent animo tot ſua dona meo.
Non datur in Latiis Pomona beatior arvis;
Aura nec Heſperidum gratior ulla locis.
Ver ibi perpetuum, tepidaſque dat aethere brumas
Juppiter; & ſedem neſcit habere gelu.
Pellitae paſcuntur oves! fert vitibus Aulon
Quot tua ſub praelo munera, Bacche, gemunt.
Nobilior ſuperat Campanum bacca Venafrum,
Nectareaſque Deûm roſcida mella dapes.
Nereus exponit conviviis lauta palato;
Suggerit innumeras ſilva propinqua Feras.
Deliciae hic omnes poſuere cubilia, & alter
Pulchrior in toto non patet Orbe locus.
Gratia rara mihi eſt tantâ requieſcere in Urbe;
Gratia at in tantâ rarior Urbe mori.

De eodem.

OTia arator agri defeſſus, & otia miles
Bellica ad arma ſenex non rediturus, agit.
Secubat & poſitis annoſus navita remis;
Putris & in ſicco littore cymba vacat.
Ergo etiam laſſum bellique, viaeque, mariſque,
Aoniique operis me decet apta quies.
Tu Lacedaemonium ſis pax mihi fida Tarentum;
Inque tuo foveas haec mea membra ſinu.
Terrarum tuus ille ſuper placet angulus omnes,
Numina delicias quo ſtatuere ſuas.
Illic opto mori. Voti ſi compos obibo,
Fiet honorato quàm mihi terra levis!

Mentem ſanam in corpore ſano ab Apolline poſtulavit.

ILle ſibi Croeſi, Narciſſi hic fervidus aurum
Poſcat adoratos in ſua vota Deos.
Pars Liciuj campos, & vaſta numiſmata Craſſi,
Et quotquot Babylon condere jactat opes.
Divitias alii Serumque, Arabumque potentes,
Lydia, ſive tuas, India, ſive tuas.
Tu tamen, ut vivas & mente, & corpore ſoſpes,
Flacce, roga Phoebum ſupplice voce tuum.
Non faciunt aera incolumem cum corpore mentem.
Qui valet & mente, & corpore, hic aera facit.

De eodem.

JUre petis mentem, ſanumque ab Apolline corpus.
Haec duo cùm teneas, cetera, Flacce, potes.

Inſtabili Fortunâ, firmum ſe virtute ſuâ futurum aſſeruit.

STantis in orbe Deae nec Horatius expavet auſum,
Nec quam creber agit ventus, & unda rotam.
Blandula ſi vultu ridet Fortuna ſereno,
Laudat ad Æoliam praeſtita dona lyram.
Aſpera in aſpectum ſi vertitur hoſtis acerbum,
Reſtituit facili quae dedit ante manu.
Seque ſuâ virtute tegit, primamque quietem
Servat in inſtabilis firmior arma Deae.
Haec meritò eveniunt. Fortuna in cetera victrix
Regnat: Virtuti victa dat illa locum.

Catoni Uticenſi, qui Martiam Conjugem ſuam conceſſit Hortenſio, eoque mortuo, rurſus eandem teſtamento hæredem duxit.

TU tibi docte canis Cato; te cedente marito,
Dum cupido nubit Martia Sponſa viro.
Uxorem non das, ut des; das cautus Amico,
Uxor ut haec locuples ducta ſit inde tibi.

Aglaus Pſophidius exiguo contentus prædio, ab Apolline felix in tantâ paupertate nominatus eſt.

NOn qui dives habet palatia, & horrea, & aurum,
Vaſtaque millenis praedia bobus arat:

Sed

Sed quocunque probus qui munere noverit uti,
Suppeditat parcâ quod Deus ipſe manu:
Fert & pauperiem, vitae morumque magiſtram,
Et pejora gravi crimina morte timet:
Felix ille quidem eſt; Telluris & incola, pleno
Pocula, par Superis, nectatis ore bibit.
Tempora cultor agit tenui contentus agello
Pſophidius, totâ clarus in Arcadiâ.
Non huic divitiae, non munera nota potentum;
At domus eſt pauper, vitaque labe vacat.
Quam ratio aut dederit, fors aut objecerit, illâ
Aſpicitur laetus conditione frui.
Nec circumſcriptis unquam de finibus exit,
In propriâ, expectans fata, ſeneſcit humo.
Jure igitur felix ab Apolline dicitur unus;
Nemo ubi contentus vivere ſorte ſuâ eſt.

De Amyco, & Sereſto.

AMbo ſenes: coma nigra Amyco eſt, & cana Sereſto.
Cur? gerit ille emptam calvus, & iſte ſuam.

Mithridates Laodicem conjugem cum ſorore, matre, fratribus, liberiſque interfecit.

CUncta Vetuſtatis crudelia facta ſileſcant.
Plus his ſaevities in Mithridate riget,
Uxorem, & fratres, matremque, ſatoſque, ſororemque,
Et quicquid ſupereſt Germinis, iſte necat.
Nec facit haec caſu. Dulcis nequit eſſe, veneni
Gutture qui ſueto pocula plena bibit.

Caeneus, Elati filia, in ſtupri mercedem a Neptuno obtinuit, ut in virum mutaretur, & invulnerabilis eſſet; aſt arborum acervo in Centaurorum pugnâ oppreſſus eſt, & in priſtinum ſexum converſus.

NOn habet aſſimilem ventoſa ſuperbia Caenei,
Turget, & aequorei vim male paſſa Dei eſt.
In fortem converſa virum, quem robora poſſint
Nulla venenatis perdere miſſilibus,
Fronte Jovemque procax, et cetera Numina temnit;
Debita nec patitur thura adolere focis.
Haſta ſibi Deus eſt: ſacros huic reddere honores
Cogit ad imperium pectora quaeque ſuum.
At Centaurorum progreſſus in agmina bello,
Occidit injectis obrutus arboribus.
Virque in femineam mutatur, ut ante, figuram.
Concubitiſque carens munere utroque, jacet.

Diſcat

Diſcat quaeque ſuum ſervare Puella pudorem.
Turpia Amatorum praemia deficiunt.

In idem argumentum.

MUnera quis ſtupeat male perdere Caones ſtupri?
Tam male dilabi, quam male parta, ſolent.

De Pſyllis, qui in ventum Auſtrum, ſumptis armis, hoſtiliter perrexere.

HOrrida bella ſonant; Martemque accendere Pſylli
Vique animoque fremunt: horrida bella ſonant.
Millia multa ruunt ſtridentem turbine in Auſtrum,
Quem ſibi, quem campis ſemper obeſſe putant.
Ergo pares ſtudiis certant ingentibus omnes,
Hoſtis ubi ingenio ſola ruina ſedet.
Ferrum contorquent, & obumbrant aethera telis,
Ingruit in medio noctis imago die.
Sumere ſic poenas inimico a ſanguine credunt;
In caput Artificum torta ſed arma cadunt.
Lapſa alios feriunt, manatque ex vulnere ſanguis,
Contundunt alios, ſubſequiturque tumor.
Ictus conveniunt, & miſſio ſanguinis acris.
Si cupitis cauſſam noſcere, mente carent.

De iiſdem, qui ad magnum Auſtri impetum montibus arenarum operti, omnes perierunt.

AUſter acerba fremens Getico par bella Gradivo
Excitat in campis, Africa terra, tuis.
Hic ſtrepit, ille ſtrepit: furit hic, furit ille: phalanges
Cladibus unus agit, cladibus alter agit.
Victor ab extincto quòd ſi redit hoſte Gradivus,
Auſter & extincto victor ab hoſte redit.
Hoc diſcrimen adeſt: prius hic humat agmina, & exin
Mactat: at ille prius mactat, & exin humat.

In idem argumentum.

CEde Gradive: tuis fugiens pars vivit ab armis;
Tota cohors, bellum cùm gerit Auſter, obit.

In Melitidem, qui venit, everſâ Trojâ, auxilium Priamo jam mortuo laturus.

ATtulit ut matulam poſt funera Amicus Amico,
Minge, precor (repetens) lux mea, minge, precor;

 Hic

Hic Priamo ſic venit opem conferre perempto,
Diruta cùm flammis Pergama pulvis erant.
Quaeris, uter fuerit dementior? utraque, dicam,
Stultitia in toto non habet Orbe parem.

De Theagene Capro, qui cupiens dives videri, multa pollicebatur, & nihil dabat.

PRomiſit, promiſſa Caprius non contulit unquam
Munera. Scrutari deſine; pauper erat.

De eodem.

NOn aſſum fumus, ſed fumum praeſtitit aſſum
Fumus es; ergo aſſum reddere, Capre, nequis.

Ad Joſephum Baptiſtam, Authoris Conterraneum.

SI te Cryptaliae genuere, Joſephe, Poëtam,
Ipſa dedit Vatem me quoque Terra ſuum.
Teque Academiae, cui tradunt otia nomen,
Arguiaeque nemus me tenet Arcadiae.
Quae vivunt, ſunt multa tuae monumenta Minervae;
Palladio Scriptor multa labore dedi.
An referam ſimiles? Tu mente Academicus aurea;
Dignor ego Juvenis dicier Arcadicus.

In Midam, cui Aſininae fuerunt inditae auriculae, cùm ſtridulam Panos cantilenam harmonicis Apollinis carminibus praetuliſſet.

DE cretâ figulus, de pannis fullo lavandis,
De bello miles, de grege paſtor agit.
Quamque ſapit, prudens ſeſe arte exercet in illâ,
Qui petit aeterni ducere honoris opes.
Claruit Alcides in clavâ, Antaeus arenâ,
Roſcius in ſcenis, & Palinurus aquis.
Stulte quid ergo Mida ſtatuis de carmine judex,
Norma Aganippei ſi tibi nulla Chori eſt?
Cogeris en meritas pro crimine ſolvere poenas:
En aſini auriculas, quas dat Apollo, geris.
Non ſtupeo auriculas aſini tibi ineſſe merenti;
At ſtupeo in totum non abiiſſe aſinum.

De eodem.

Scire,

SCire, Mida, quaeris, doleat cur Mundus, ut aures
In ſpatium tractas aſpicit ille tuas?
Non aſini veniſſe dolet tibi deſidis aures;
Has dolet ad mulros tranſiliiſſe viros.

Æſchylus caſu teſtudinis interiit eliſo capite.

FUlmina te vidit Marathonia pugna rotantem;
Te Tragico ſtupuit Graecia tota ſtilo.
Nil tamen ingenium, nil ſtrenua dextera bello
Eripere ex monitis te valuere malis.
Nam capitis ſplendore tui Jovis armiger ales
Eluſus, nitidam credidit eſſe petram:
Et ſuperas hoc miſſa ruit teſtudo per auras,
Illiſitque tuum, moeſte Poëta, caput.
Ergo Animam ſi caeſus agis cum ſanguine miſtam,
Hoc Tragicum caſu te ſatis eſſe probas.

De eodem.

PUlſa dedit teſtudo diu te vivere, Vates.
Te teſtudo dedit pulſa repente mori.

De eodem.

QUando domo profugis, num vitas, Æſchyle, mortem?
Falleris: en profugum te domiporta necat.

Diagoras Rhodius eodem Olympiæ die tres filios victores intuens coronatos, præ gaudio expiravit.

HIc liquidam ſudare palen, hic tundere pugnis.
Ille ſapit duro ludere pancratio.
Pectora quiſque ſuis ſupereminet aemula factis,
Claraque Olympiaco dat monumenta Choro.
Ergo ſibi partis victricia tempora cingunt
Frondibus, & magni dona laboris habent.
Nec ſe ferre ſinunt inſignia praemia fratres.
Ponitur in patrium terna corona caput.
Amplexuſque iterant, ferventis & oſcula amoris,
Oſcula, & amplexus dulcia melle magis.
Sentit amans alacres Genitor ſub pectore motus,
Laetitiaeque nequit mittere frena ſuae.
Liquitur, & flores inter, plauſumque ſonantem
Feſta repentino terminat interitu.
Nunc equidem triſti proverbia ſorte pateſcunt:
Extrema aggrediens gaudia luctus habet.

De eodem.

Gaudia

GAudia habere Pater poſthac majora nequibat;
Credibile eſt igitur tunc voluiſſe mori.

Apollo, cùm Cyclopas interfeciſſet ob fabricata Jovi fulmina, quibus Filius Æſculapius perierat, Olympo depulſus, Admeti Regis armenta in Theſſaliâ cuſtodivit.

BRontenque, Steropenque, & membra Pyracmona nudum
Fulmina nil prodeſt condere amica Jovi:
Treſque Auſtri horriſoni, treſque addere grandinis aptos,
Treſque ignis radios, treſque ruentis aquae:
Et crepitu humanas motura tonitrua mentes,
Fulguraque, atque iras, cumque pavore faces.
En Pater aſpiciens percuſſum fulmine Natum,
Enecat Artifices triſtis Apollo ſuos.
Juppiter hanc ſpeciem ſtomacho non ſuſtinet aequo.
Uritur, & ſuperâ Numen ab arce fugat.
Annos ergo ſuos hominum ſub imagine Apollo
Tranſigit in campis, Theſſala terra, tuis.
Et legit Admeti niveas per prata juvencas
Ducere, & ad vitreas Paſtor amicus aquas.
Melotâque licet, perâque, pedoque vagetur,
Numinis ore tamen neſcio quicquid ineſt.
Abdere nempe alacrem nubes ſtudet aemula Solem;
Sed patet, ut radiis ſcinditur illa ſuis.

De eodem.

RUſtica melote, ex vili femoralia panno,
Ocrea plena gravi, calceoluſque luto:
Laneus eſt thorax, hirſutaque faſcia circùm,
Eſt Juveni immundus pulvere pileolus.
Paſtorale pedum gerit, & veſtigia firmat;
Pendet & ex collo pera ligata ſuo.
Dum pecus hac ducit ſub imagine in arva Magiſter
Theſſala, mortalis non ſibi vultus ineſt.
Quid: veſtes faciunt hominem, cecinere priores?
Hic rudis eſt pannis, & patet ore Deus.

P. Ovidius Naſo in exilio mortuus & ſolemnes a Getis obtinuit exequias, & nobile ſepulchrum.

QUi ſilices, ſolidumque fovent ſub pectore ferrum,
Tigridq & iratâ plus feritatis habent,
Cur lacrymis maduere Getae, cùm motus ad ictum
Naſo Tomitanâ concidit exul humo:
Magnificumque novo ſtruxere decore ſepulchrum,
Viſaque in exequiis creſcere pompa ſuis?

Pelignae

Pelignae cicurare animos potuere Camoenae.
Quid mirum eſt, tantus ſi benevertit honor?

Ejuſdem Epitaphium.

HOc jacet in tumulo tenerorum luſor amorum,
Raraque Peligni gloria Naſo ſoli.
Flexerat iſte Getas mirâ dulcedine Muſae.
Vatis & haec meritum nobilis urna probat.
Non animum potuit mitem ſibi Caeſaris unum
Reddere. Terrenos ſic agit ira Deos.
Caſibus his fractus letho ſua lumina clauſit,
Nulli flebilior, quàm tibi, Sulmo parens.
Fallor. Laude recens longum qui creſcit in aevum,
Muſa necis Vatem fata ſubire vetat.

P. Virgilius Maro Æneada teſtamento comburi juſſit; Cæſar autem vetuit.

UNa cremata foco cecidit, Maro docte, Pelaſgo,
Altera, vis, Latio Troja cremata cadat.
Non ita. Troja tuo rediviva volumine vivet,
Dum Polus aſtra feret, dum vehet amnis aquas.
Nec dabitur diae crepitantibus urere flammis
Mentis opus, dignum poſteritate legi.
En vetat Auguſtus ſuper aethera dote Minervae
Notus, & Auſoniae conſulit Hiſtoriae.
Hoc erit & Caeſar, tuque, & tua Troja ſuperſtes
Conſilio; exque tribus maximus unus eris.

Alexander Magnus a Parmenione admonitus, ut inſidias Philippi Medici caveret, poculum ab ipſomet Philippo datum hauſit, exploratam viri habens fidem.

SOlliciti, ut perhibent, amor eſt res plena timoris.
Damna putat Comitis, ceu ſua, quiſquis amat.
Ne Medici Æmathius Princeps bibat arte venenum,
Parmenio ingenti ductus amore timet.
Admonet, inſidias caveat quaſcunque Philippi,
Ut ſolet omnigenos hoſtis ab hoſte dolos.
Sed teneri cui nota fides, probitaſque Miniſtri,
Tradita Alexander pocula, ut ante, bibit.
Proditioque; & amor nequeunt conſiſtere in una
Sede: vel hic ſolus, ſola vel illa poteſt.

Egnatius Metentinus fuſte uxorem interfecit,

quia vinum e dolio biberat,

IGnis ſive tibi, det ſive Egnatia nomen,
Motibus ardentem te ſatis eſſe probas.
Sive meto a verbo, ducatve a metior ortum,
Cognomen, factis convenit uſque tuis.
Fuſte humeros, Sponſaeque caput metiris. & ardens
Hanc metis, ut vitae ſtamina prona ſecas.

Franciſcus Petrarcha in agro Patavino apoplexiâ mortuus eſt.

JAm procul ex Cirrhâ diſceſſerat incola Phoebi:
Muſarumque moram ſuſtinuere Chori.
Ad ſua cùm reducem non amplius arva viderent,
Occupat imbelles triſtis imago ſinus.
Terpſichore, atque Erato: comites nos ibimus, ajunt.
Errantem dabitur ſors reperire Patrem.
Euganeas tunc forte vias Petrarcha terebat,
Harmonicis meditans grandia carminibus.
Ut Vatem videre, comis qui ferta parabat
Laurea, crediderunt Numen adeſſe ſuum.
(Majeſtas adeò vultûs gravitate refulſit,
Tuſcaque divinum plectra dedere ſonum.)
Continuò: Pater o ſalve. Quid noſtra moraris
Gaudia? Te Muſae, te tua Cirrha vocat.
Phoebe redi: ſine te ſuſpendimus organa, & altus
Noſtra doloꝛ fregit pectora: Phoebe redi.
Vocibus ille datis apoplecticus expiravit.
Interitûſque fuit myſtica cauſſa ſui.
Mortalem trepidae ſpeculantur ut ore Camoenae,
Nos quoque (ſuſpirant triſtiùs) error agit.
Nullibi ſed Phoebo tandem rediere reperto.
Fertur & in varias mens agitata vias.
Cùm ventum ad Cirrham, Phoebum aſpexere, novique
Erroris dederunt, nuntia, & interitûs.
Ille ſub haec: lis inter erat Terramque, Polumque.
Poſcit & hic Vatem, poſcit & illa ſuum.
Aſt ſubitò rapuit Polus impete ad aſtra Petrarcham.
Ni faceret, victrix (credite) Terra foret.
Veſter & error habet veniam. Modulamine Vates
Si non Phoebus erat, jam prope Phoebus erat.

In Fauſtam, quae a Conſtantino Imperatore, Viro ſuo, in balneas ardentes conjecta deperiit.

QUalis ab attonitis laſcivae crimine Phaedrae
Occidit Hippolytus dilaceratus equis;

Foeda

Foeda noverca tuae ſic Fauſta libidinis ira
    Caſtus inhumano vulnere Criſpus obit.
Ille tamen ſuperas rurſum remeavit in auras.
    Prolis Apollineae tam potis una manus.
Hujus at aeternum formâque, animâque decori
    Iſtria congemuit Principis interitum.
Phaedra animae laqueo (crimenque caputque malorum
    Se teſtata prius) pendula clauſit iter.
Tu malefacta taces. Sed te ferventis adurunt
    Balnea, luxuriae cùm monumenta patent.
Par, diſpar ne probrum eſt? Sub funere criminis illam
    Poenitet; at Criſpi mors tibi iniqua placet.

In Tigillinum, vitæ corruptiſſimæ virum, qui accepto mortis ſuæ nuntio, ſibi fauces præcìdit.

NOn alios ſemper conflata calumnia perdit.
    In caput Artificis ſaepe reverſa ſui eſt.
In Latiam cur ergo vomis convícia gentem,
    Si ruit a ſummis machina culminibus?
Fraude Equiteſque tuâ, Dominique obicre, Neroni
    Foedere amicitiae cùm male junctus eras.
Aſt Otho ubi rerum moderamine flexit habenas,
    Livor, & inſidiae mox patuere tuae.
Juſſit & ille mori per cognita crimina ſontem,
    Crimina ad extinctos multiplicata viros.
Carnificis morerere manu ne proditor, inter
    Auſus es infames te jugulare Lupas.
Hac nece dignus eras: alios qui caedere noras;
    Debueras ſimili caede, Tyranne, mori.

Petrus Calceonus dum radendam tonſori barbam committebat, repentè expiravit.

EHeu quàm fragilis miſerâ compagine vita eſt!
    Ex tenui pendet diſperitura pilo.
Innumeros valet ergo pilos ſi ſcindere tonſor,
    Unum non poterat mors ſecuiſſe pilum?

De eodem.

PEtrus adurendam flammis probat eſſe Joannam,
    Quae procul Anglorum compulit ire manus.
Vincit: & abſumptam medio videt igne Puellam:
    Gaudiaque effraenus fronte animoque notat.
Radit at albentem cùm ſtricta novacula barbam,
    Calceonus ſubito concidit interitu.
Barbara ſic pendunt ultrices crimina poenas.
    An poterat poenis ſoſpes abire ſcelus?

CARMINUM
LIBER VIII.
EPIGRAMMATA.

In Ruſticum.

TE colo, ave repeto, de vertice tollo galerum:
Sed mihi non reddis, praetereundo, vices.
An te vociferer male natum? hoc ſufficit unum:
Conveniens factis, Ruſtice, nomen habes.

In Fauſtinum Cauſidicum.

DAt tibi grande ſophos facundi turba Senatûs.
Non tua mens plauſum, menſa diſerta facit.

In Attalum.

VIncis agens cauſas, omnes licèt, Attale, perdas.
Pacta tibi merces parte ab utrâque venit.

In Cajum.

NOn liquet, an ſtudiis aliena negotia tractes.
Procuratorem te liquet eſſe tui.

Ad Marianum Nobilem.

MUlta tibi ſcripſi, reſponſa nec ulla dediſti:
Eſt haec nobilitas, an tua ruſticitas?

Ad Agnellam Virginem.

CAndida tota nites, Agnella, & pulchra videris.
Hoc ſciat hoſtilis, quaeſo, caveto, Lupus.

Orion gloriatus nullam eſſe feram, quam non conficeret, a Scorpione interfectus eſt.

FUnera dum cunctis inferre ſuperbit Orion,
Quotquot monſtra parens gignere terra poteſt,
Vulnerat errantem lethali Scorpius ictu;
Venatorque gravi decubat interitu.
Quiſquis habere tumes jam robora magna, caveto.
Saepius ex minimis certa ruina venit.

In Criſpum ſenem calvum, & delirum.

Ante capillatus fueras, nunc vertice calvus.
Non grave, ut ante, caput ſed leve, Criſpe, tibi eſt.

In Fabullam.

Errantem ſpeculata lupum, quid territa palles?
Parce Fabulla metu. Tu lupa, & ille lupus.

Ad Albam.

Donavi tibi multa libens quaecunque rogaſti;
Viceruntque tuas tot mea dona preces.
Munera nec ceſſas me plura rogare frequenter.
Deſine: nam peccat qui nihil, Alba, negat.

Ad eandem.

Lanatos tibi mitto lupos, comediſque libenter.
Quid ni? Sunt ſapidi, nanque latrina aluit.

Ad Regulum.

Munificus mihi plura dabas; nunc, Regule, nil das.
Non miror: podagrae juncta chiragra tuae eſt.

Ad Amaryllidem.

Es bella, & locuples, & das quaecunque rogaris.
Ergo virum expertam cur, Amarylli, negas?

Ad Roſam pœnitentem hypocritam.

Es Roſa, pungenteſque rigent in corpore ſpinae.
Erras qui Veneri te negat eſſe ſacram.

Levinus ad Venerem puellam.

Si Veneris bene nomen habes, Veneriſque figuram;
Dic age; cur Marti non licet eſſe mihi?

Idem.

Vincere neu me crede, levi ſim nomine quamvis.
Marte ferar gravior ſub tua bella, Venus.

Apollonius Tyaneus Philoſophus impudicos adeo motus a pueritiâ repreſſit, ut inſignem præ ſe ferret caſtitatem.

Vincere blanda Venus praecordia tentat Ephebi
Ignibus, & Cyprio ſubdere colla jugo.

Digitized by Google

Fortis Apollonius tenetis ſtat ad arma ſub annis;
Extinguitque faces, telaque jacta terit.
Victor inoffenſum ſic indicat ore pudorem;
Et comitem extremas ſervat ad exequias.
Unde ſcit Idaliae contundere praelia flammae?
Vel Sophiâ diſcit, vel pudor ipſe docet.

De Amoebeâ.

DUxit Amoebeas caſtam cum Conjuge vitam.
Cur? Citharoedus erat, Turba novena, tuus.

De eodem.

NUpta foret quamvis inter pulcherrima Nymphas,
Inque ſuo Charitum luderet ore lepor;
Nulla tamen Venetis vir praemia novit; at omnes
Duxit Amoebeas virginitate dies.
Ergo ſi mediis non arſit in ignibus unquam,
Non homo, ſed tettis Angelus ille fuit.

Clitomachus pancratiaſtes tantâ excelluit caſtitate, ut ſi forte de rebus Venereis ſermo in conviviis incidiſſet, illicò ſurgens diſcederet.

TUrpia Clitomachus Convivas dicta profati
Non tulit; aſt dapibus fugit ab appoſitis.
Luxurioſa odio ſi tanto eſt verba ſequutus,
Quanto opus horruerit, marcida Cypri, tuum?

Ad Clitomachi Convictores.

ABſtineant Socii et dapibus, voſque omnia edatis,
Plurimus intendi debet ab arte dolus.
Omnia Clitomachus convivia ut exeat, unum,
Quod Venerem ſapiat, ſufficit indicium.

Aquila alterum Rhodopes Ægyptiae calceum abſtulit, deportatumque Memphim, in Pſammetichi Regis ſinum injecit.

DUm Rhodope ſe nuda lavat, Jovis armiger ales
Calceolum celeri dexteritate rapit.
Inque ſinum Regis demittit ab aëre praedam.
Quâ generata animo flamma, Cupido, tua eſt.
Venis ergo ſuis creſcentia vulnera alentem
Excoquit Ætnaeo non minor igne calor.
Nec recubat, feramque trahit per membra quietem,
Donec ſit ſolio ducta puella ſuo.

Ut Regis ſtetit ante oculos pulcherrima pellex
  Flava comas, pectus lactea, picta genas;
Aſpectu calet ille magis, celebratque hymenaeos,
  Et Rhodopes Pharium dat diadema comis.
Culmina quis poſthac deſperet ad ardua tolli,
  Si nova ſceptra gerit, quae Lupa turpis erat?

Carolus V. Imperator perſolvi ſibi vivo jubet exequias.

CArolus in feretro vivum jacet ille cadaver,
  Qui decus Imperii, terror & hoſtis erat.
Moeſta per obſcurum lucent funalia Templum;
  Tunſaque flebilibus perſtrepit aura modis.
Obſitus eſt nigro paries velamine circùm;
  Et quó reſpicias, mortis imago ſubit.
Lamentis, gemituque hominum ſonat excita ſedes,
  Tempore moeſtitiae conveniente ſuae.
Aſt lacrymis ſuffuſa oculos dum turba parentat,
  Ille ſuas ſiccus conſpicit exequias.
Sic moritur vivus, tamen ipſo in funere vivit.
  Nam ſibi qui moritur, quo bene vivat, habet.

De eodem.

ESt gravis Imperium ſibi ſarcina: Olympia liber
  Vincat ut aſcenſu Regna, relinquit onus.

Ad Q. Ennium Rudiis natum, ubi nunc Cryptaliæ, Authoris Patria.

MAxime te Vates Rudiae genuere vetuſtae,
  Me quoque; ſed verſo nomine Cryptaliae.
Inſpirant numeroſa alacres mihi carmina Muſae;
  Labraque Caſtalio Cynthius amne rigat.
Boeotus ſum mente tamen, pinguique Minervâ:
  Nec mea tantillum dicta leporis habent.
Aſt tibi & ingenium, mens & divinior, oſque eſt,
  Unde ſonat faſtis Roma ſuperba ſuis.
Et monumenta Operum recoluntur honore tuorum,
  Silva vetuſtatis ceu ſibi adepta decus,
Priſca ubi non tantum ſpeciei robora, quantum
  In ſe perpetuae Relligionis habent.
Tu Patriae decus ergo meus celebrabere Civis:
  Dedecus ipſe ferat Civis ab Orbe tuus.

Ad eundem.

DA veniam Civi, ſi lege Poëſeos errat.
  Quae venit invito noxia, nulla venit.

Ad eundem.

Scit

SCit Venerem fucus defectibus inſere: fucum
Verſibus adde meis: ſic erit hiſce Venus.

De Cyane, Virgine Syracuſanâ.

INter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas,
Cui potis eſt roſeâ cedere fronte Venus,
Nixa reluctatur (tantum colit illa pudorem)
Ne ſibi concepto vim ferat igne Pater.
Ille autem demens, multoque gravatus Iaccho,
Corruptâ ſpolium Virginitate rapit.
Laeſa premit magnum ſub corde Puella dolorem:
Inceſtum reputat vix Cyanippus opus.
Hoc ſuperûm fremit ira Deûm, peſtemque refundunt,
Civibus unde ſuis Urbs viduata gemit.
Ut tantis medicina malis accedat, Apollo
Occidat infandi criminis Author, ait.
Ignorant, quid ſacra velint oracula, Cives.
Conſilium Cyane labe notata capit.
Ergo Patrem arripiens, altaria ad ipſa trementem
Pertrahit, iratis ſic placitura Diis.
Implicuitque, comam laevâ, dextrâque tenaci
Arma Syracuſios extulit ante Choros.
Mactat & ulta Patrem: tum ſe transverberat ictu,
Et collapſa ſuper turpe cadaver, obit.
Invito eſt animo vim filia paſſa paternam:
Ebrius, & demens tunc Cyanippus erat;
Caede tamen pereunt. Cupidâ ſi mente patraſſent
Crimina, quae nocuis poena luenda foret?

Plato inter ſcribendum ſuavi deceſſit obitu.

ATtice ſcribe Plato (dixit Sapientia) ſcribe,
Ne careat ſtudiis hora ſuprema tuis.
Imperio pares, mentiſque oracula ſcribis,
Quae ſtupeat longo Terra Poluſque die.
Interea pretioſa tuae Mors ſtamina vitae
Demetit; & fixo vulnere, ſuave peris.
Nempe, Plato, ſcribens vixiſti ſuaviter olim.
Par erat, ut ſcribens ſuaviter occideres.

De eodem.

COetus apum ſuavem portenderat ille Platonem,
Qui pueri inſedit picta labella ſuper.
Suaviter & vixit, quoque ſuaviter ore locutus;
Philoſophique fuit ſuave docentis opus.
Suave ſonant libri: ſcripſit prope funera ſuavis.
Debuerat fato ſuaviter ergo mori.

De Lucio Manlio, egregio pictore,

& Servilio Convivâ .

C Um celebri Conviva domo coenaret Amici,
Et prolem informi cerneret ore ſuam;
Non ſimili fingis, dixit, pingisque figurâ.
Diſparitas, Manlî, quo tua fonte fluit?
Ille ſales mentis miratus, acutior inquit:
Pingimus ad lucem, fingimus ad tenebras.

Ad Alexim, qui pro Civibus ſcripſit Civitibus.

I Poſitâ ſupra T, Crux formatur, Alexi.
Ferre Crucem debes, nam tua Sponſa Lupa eſt.

Titus Manlius Silani filii ſui intereſſe noluit exequiis.

P Role meâ indignum te judico, & Urbe Deorum,
Accipis ut vetitas more latronis opes.
Ex vultu procul ergo meo, procul improbus eſto.
Non facit ad crimen publica cura tuum.
Manlius haec rigidâ Silano ubi voce profudit,
Sponte ſibi impatiens intulit ille necem.
Fertur in exequias coetu ſtipatus amaro
Filius; officio Manlius unus abeſt.
Et licet admoneant, ut funeris adſit honori,
Omnigenas ſurdâ reſpuit aure preces.
Nec miſerae ſua prolis amor praecordia tangit.
Deficit in prolis crimine Patris amor.

Polus, hiſtrio in totâ Græciâ celebris, perſonam Electræ urnam cum Oreſtis oſſibus geſtantis tam egregiè repræſentavit, ut ſpectatores ad lacrymas commoverit.

S Ic oculos, ſic Virgo manus, ſic ora ferebat,
Cùm gemeret funus, triſtis Oreſte, tuum;
Exprimit ut vivâ rem Polus imagine, & ipſi
Electrae ſimilis fata inimica dolet.
Nam ſtupefactâ adeò praecordia flectit, ut omnium
Ex oculis lacrymae fluminis inſtar eant.
Quo ſtudium tantum ſibi comparat ille Magiſtro?
Aut Electra modos hos docet, aut tribuit.

Ad Pyramum Sartorem.

LÆvus ut in riſum diſſolvas ora, facetos
Mimorum aſpiciens, Ethologûmque jocos,
Das ſcenae in pretium, ſub dura incommoda vitae
Forcipe quid Sartor, quidque lucraris acu,
Indigus hinc comedis mordentes lumina caepas.
Sic tuus in lacrymas, Pyrame, riſus abit.

Ad Camillum Romanum De Hectore perjuro.

CArmina compoſui, ſed fur mihi ſuſtulit Hector,
Excuditque typis nomine furta ſuo.
Hac primùm novitate meis dolor oſſibus arſit;
Inde quies animo parta, Camille, meo eſt.
Cùm licitum credat, perjuria promere reſtem,
Credit adhuc licitum furis habere manus.

De Empedocle.

FRigidus ardentem Empedocles ſe truſit in Ætnam,
Ille Agrigentini gloria rara ſoli;
Ut cùm Terrigenûm ex oculis foret exul, in aſtris
Crederet aeternum quilibet eſſe Deum.
Aſt crepidas ubi flamma furens rejecit ahenas,
Senſaque, & arcani mox patuere doli.
Scilicet occultum nihil eſt, quod nemo revelet.
Omnia vel latebris extrahit ipſe dies.

In malum Poëtam laudis avidum.

CArminibus laudare meis tua carmina nolo,
Carmine ne laudes carmina noſtra tuo.
Nam tua denigrant, & carmina noſtra dealbant.
Non bene pro Corvo ſuppeditatur Olor.

In Cantharum furem.

NE latret impatiens Domini pro rebus Hylactor,
Objicis inſueto, Canthare, more cibum.
At cuſtos magis ille ſuis latratibus inſtat.
Turpia ſic prenſus carcere furta luis.
Caſu diſce tuo: Cautos qui fallere tentat,
Vanas ſaepe ſuas ingemit inſidias.

Ad Veſpaſianum calvum.

VEniſti in plateam caliendro ornatus, & aureâ
Veſte tumens; Equites qualia ferre ſolent.
Te ſed in adverſum dum turbine perſtrepit Auſter,
Mox coma de calvo vertice rapta volat.
Ridiculum mirata caput, gens tota cachinnat;
Tuque nimis caſûs ore pudente doles.

Parce

Parce tuo tandem ſapiens, age parce pudori:
Neve dole ſortem, Veſpaſiane, tuam.
Si cute inhaerentes ultrò cecidere capilli,
Turbine non poterat ficta volare coma?

In Metellum alienorum ſcriptorum furem.

QUaliter incedens alieno tegmine Cornix,
Majeſtate ſibi cedere dixit aves:
Cùm tamen unanimes avium venere phalanges,
Poſſet uti pennas carpere quaeque ſuas;
Undique ſurreptis nudata coloribus, omnium
Illa jocus volucrum, ludibriumque fuit;
Sic tumidus jactas praeſtare, Metelle, Poëtis,
Dent licèt aeternâ carmina digna cedro.
At ſi forte ſibi, queis fur tua ſcripta poliſti,
Reſtitui verſus plurima turba petet,
Crede mihi, riſum Cornicula nuda movebis,
Longaque mordacis fabula gentis eris,
Fiet & . ut miſerae ſentina ſuperſit Opellae,
Putrida quae fontem te canat eſſe ſuum.
Unde tibi facilis venit ſapientia? Vates
Tam citò concinnus, qui modò ineptus eras?
Non tibi mens, oeſtri non ſpiritus, oſque rotundum eſt.
Pone tumens ergo, pone ſupercilium.
Nam male progrediens ventoſo inflatior utre,
Detegis ingenio te ſatis eſſe levem.

Ad Juvenem, qui a Scorto pomum recepit.

PRima hominum genitrix oblato femina pomo
Cauſſa necis totâ poſteritate fuit.
Tu pomum recipis, quod dextera pellicis offert?
Inſidias, Animâ ne moriare, cave.

Ad Columbam, pulchram pudicamque mulierem.

VIctores quot ab hoſte Duces rediere ſubacto,
Saepe Poëtarum concinuere Chori,
Rara pudicitia, & ſpectabilis ore venuſtas
In te perpetuò bella, Columba, gerunt.
Aſſiduiſque docet victoria parta triumphis
Pectore quàm virtus ſit generoſa tuo.
Sed te nemo canit: pudeat tacuiſſe Poëtas.
Vincere ſe plus eſt, quàm domuiſſe alios.

Joanni Bernardino Tafuro Patriâ Neritino.

NObilis o Scriptor, quo Neriton uſque ſuperbum
Majeſtate ſuum tollit ad aſtra caput;

Quot

Quot celebri in Regno vixere Neapolis ante,
Virgo ſuum pareret quàm ſine labe Deum,
Tu bene Scriptores revocas in luminis auras,
Lethaeaeque rapis gurgite ſolus aquae,
Vitam aliis reddis, ſed reddita vita, ſuperſtes
Perpetuò ut vivas poſt tua fata, facit.

Eidem.

SI linguis centum, centumque Poëta ſonarem
Oribus, & numero vox animoſa foret;
Quas tibi perpetuas teneor perſolvere grates,
Carmine non poſſem conglomerare meo.
Vix ego notus eram, quà pinguia prata Galeſus
Irrigat, & molles vellere nutrit oves.
Tu facis, ut laudes mihi duplicet ultima Thule,
Tranſeat & Solis gloria utramque domum.
Nanque tuis adeó illuſtras mea nomina chartis,
Scriptor ut invidiâ major in aſtra ferar.
Quid referam, meritis ſi dona minora videntur?
Tu meritis merces unus es aequa tuis.

Autolemus fulmine percuſſus eſt.

HEu cave cras fulmen, fulmen cave, dixit Aruſpex
Autolemo: infelix ictus ab igne cades.
Territus ille minis, ſubit ima Cuniculus Arni.
Effugere at certum non valet interitum.
Nam ſua dimotis dum brachia jactat in undis,
Ex Jovis immiſſo fulmine tactus obit.
Fata manent immota: morae nectuntur inanes.
Quis vertat, ſuperi quod ſtatuere Dii?

In Autolycum furem, Parnaſſi incolam.

CLarus ubi geminis Parnaſſus in aethera ſurgit
Collibus, & Templum, rector Apollo, tuum;
Incutiuntque animis horrorem Numine rupes,
Caſtaliuſque liquor, Caſtalidumque Chori;
Triſtibus Autolycus bona gentibus eripit audax,
Et latro vicinas depopulatur opes.
Cur, animos exempla movent, dixere priores?
Frena vel impietas non habet ante Deos.

De Neærâ, & Charmione, Cleopatræ ancillis, quæ Dominæ ſpontaneam imitatæ mortem, Reginæ coronam ex capite lapſam ſemianimes repoſuerunt.

SPonte ſuâ Cleopatra perit, Dominaeque peremtae
Lethiferum Ancillae ſponte ſequuntur iter.

Aſt

Aſt dum ſemianimes delapſum e vertice cernunt,
Imponunt Dominae mox diadema comis.
O amor! o fidei monumenta canenda per aevum!
O meritum aeternâ laude miniſterium!
Ut Cleopatra obitu Regina pateret in ipſo,
Haec etiam Ancillae cura utriuſque fuit.

M. Cato Uticenſis, lecto Platonis Phaedone de Animæ immortalitate, mortem ſibi gladio conſcivit.

Immortalem Animam Cato perlegit; & ſibi plauſum,
Sidera ſit tanquam certò aditurus, agit.
Tum mortis cauſſam per docta volumina nactus,
Se gladio incumbens enecat ille ſuo.
Fit reus: at veniam pernobilis emeret error.
Pergat ut in Caelos, eſt ſibi dulce mori.

Ad eundem.

Poſt clades, mihi ſola placent, ais, aſtra: ruinis
Liber io moriar, blanduſa ut aſtra petam.
Quàm male! non moreris pulchris illectus ab aſtris:
Caeſaris, at moreris, ne moriare manu.

Philoxenus Poëta in Latomias lapidarias conjici maluit, quàm Dionyſii Tyranni Tragœdias invitâ conſcientiâ probare.

Immeritae te laudis amor, Rex futilis, urget.
Sed tibi adulari mens oculata negat.
Multa tuo quoniam conſcripta Tragoedia fumo eſt,
Quaeris, hyperbolico qui prober ore modos.
Reſpuit inſulſam laudare Philoxenus artem.
Hinc male Latomiis claudirur ille tuis.
Fallere mellito nunquam decet ore: quid ergo
Opprimis ingenuum ſimplicitate Virum?
Si laudem venare, pares tibi quaere Poëtas,
Et reſonus paean, & tibi plauſus erit.
Decipiere tamen. Non qui tua carmina clamat,
Ille ſapit; verùm qui tacet, ille ſapit.

Diverſi generis volucres antequam Julius Cæſar interficeretur, avem Regaliolum Pompejanæ Curiæ ſe inferentem diſcerpſerunt.

HEu nimiùm infelix ales, cui nomina Regis
In volucrum rabidam nil valuere manum!
Jam perit & roſtris diſcerptus, & unguibus uncis:
Jam laceros artus Curia tota videt.
Haec nova quid miſeris portendunt monſtra figuris?
Quid Regaliolus caede rubente monet?
Tu peteris, Caeſar; nam conjurata Quiritum
Clade fremit vitam ſternere turba tuam.
Tu Rex Orbis ades: male ſaucius ergò peribis;
Teſtis & interitûs ipſe Senatus erit.
Fallor, an armatas ferro, quà ducta ſuperbis
Molibus aſſurgit Curia, cerno manus?
Sic eſt: en vario confoſſus vulnere, Caeſar,
Occidis, inque tui ſanguinis amne natas.
Signa probat tanto lacrymabilis exitus ictu.
I nunc, & riſu deſpice monſtra tuo.

Simulacrum Jovis Olympici ante illatam Caligulæ mortem in cachinnum prorupit.

NUminis ante oculos mors proxima Caeſaris errat;
Et lepido in riſum ſolvitur ore Deus.
Quid facit ad mortem portenta per ipſa cachinnus?
Ridet inhumani ſtultitiam Domini.
Nam terris inhiatque coli, Numenque vocari;
Et miſer, ut ferro beſtia caeſa, perit.

Taurus ad ſacrificium ductus, cùm ſecuris ictu conſternaretur, Sergii Galbæ eſſedum invaſit, totumque fœdavit cruore.

EXcutit incertàm Taurus cervice ſecurim,
Mugituque aram, Conciliumque fugit.
Tum ruit in Galbae, moriturus vulnere, currum,
Et fluidi totum ſanguinis imbre lavat,
Sanguine nempe cupit Galbae memorare cruorem,
Quem prius extinctis fuderat Heſperiis.
Nanque vocans Praetor quos Portugallia alebat,
Tanquam ageret tanti commoda amica loci;
Millia multa hominum vir perfidus enſe peremit,
Vertit & in cladem grande ſalutis opus.
Vult & morte ſuâ Galbae portendere mortem
Taurus, uti ſceleri poena ſit aequa ſuo.
Cùm notes ergo truces & morte, & ſanguine caſus,
Ille aliquid fortis vaticinantis habet.

Ad M. Craſſum, cui in bellum Parthicum profecturo, pro albo, aut purpureo pullum datum eſt paludamentum.

Quò

QUó quó, Craſſe, avidis improvidus irruis armis?
Num tua de Parthis certa trophaea putas?
Deciperis: pullum pro tegmine traditur albo.
Indicat hoc mortem ſub fera bella tuam.
Tuque malum augurium naſo criſpante cachinnas,
Et properas auri denſa per arma fame?
Infelix pater, & patre infelicior ipſo
Filius! in vetitas quàm nocet ire manus!
Publius ecce tuus fato, tuque occidis uno;
Et geminos truncos terra aliena legit.
Quid quereris? tu cauſſa mali es. Nunc ingeme culpam.
Quae venit audaci poena, luenda venit.

Pulſo ex Urbe Romà Tarquinio, & Canis loquutus eſt, & Serpens latravit.

IMmutat Natura ſuas induſtria leges;
Nam latrat hinc Serpens, verba dat inde Canis.
Sic geminant hominum vocemque, Canumque latratum
In fontem innumero crimine Tarquinium.
Vox diverſa ſonat Serpentum, hominumque, Canumque,
Cùm procul ex Latiâ ſede Tyrannus abit.
Una tamen vox eſt; nam quiſque haec dira precatur:
Monſtrum horrendum ingens occidat ante diem.

Quo Titus Veſpaſianus anno Jeruſalem delevit, ſidus adinſtar gladii in Cœlo apparuit, imminens Urbi.

URbs nimiùm infelix! Tibi quanta Tragoedia ſurgit!
Imminet heu capiti quanta ruina tuo!
Fata cruenta canit gladii ſub imagine ſidus,
Quod tua funereo lumine tecta ferit.
Aſpicies fluidum taboque & ſanguine Cedron,
Et loca corruptis plena cadaveribus.
Templaque caede novâ, plateaeque, viaeque rubebunt:
Vulgus iners ferri praeda, Equiteſque cadent.
Nec dabitur ſceleri murus. Regumque Inopumque
Limina Mars reſonis diruet excidiis.
Ac ubi regali tua culmina in aſtra minantur
Ambitione, gregi creſcet amica ſeges.
Te certos poſt poſt ergo dies mala funera perdent;
Meturuſque caput te ſuper Orbis erit.
Debueras quid velle, voles. Sed facta recuſat
Qui bona, quando poteſt; cùm velit, ille nequit.

In portu dulcuit mare, cùm Dionyſius junior Syracuſarum Tyrannus principatu expulſus eſt.

Clade

Digitized by Google

CLale Syracoſias Regnator amaricat Urbes;
Foedaque amaritiem vel maris unda ſapit.
Pulſus at Imperio, ſuetas nequit edere clades.
Quid maris ergo ſtupes, ſi modò dulcet aqua?

Secundo bello Punico bòs prodigiosè loquutus, cave, inquit, tibi Roma.

HEu tibi Roma cave, cave Roma ſuperba: tonabunt
Cladibus Imperii Punica bella tui.
Annibalis mirata acies Hiſpania inhorret:
Fulgura ad armorum Gallia tota tremit.
Jam Pyrenei ſalebroſa cacumina montis
Sunt domita, & Libyco ſub pede trita jacent.
Jam via per medias extenta recluditur Alpes,
Dirigeat quamvis aſperitate jugum.
Tempeſtas proh quantà furit! quot fulmina ab Afro
In caput irrumpunt aethere miſſa tuum!
Ticini haud capient Romana cadavera ripae,
Cùm fremet acceptis Scipio vulneribus.
Sentiet arma ſuis Sempronius aemula turmis,
Moeſtaque per Trebiae diffluet arva cruor.
Littora caeſorum teſtes Thraſumena Quiritum,
Flaminii poterunt damna referre Ducis.
Funera erunt Cannis permagna; nec objice truncae
Gentis in Adriacas Aufidus ibit aquas.
Concidet Æmilius; dabiturque, prementibus armis,
Semita Varronis vix adeunda pedi.
Caede ſatur Latià tunc Annibal, Africa (dicet)
Parce, precor, ferro parce juventa tuo.
Haec te Roma manent fata, horrida fata: quid ergo
Praelia in Annibalem, Marte vetante, cies?
Te mirâ bos voce monet, ne bella laceſſas.
Culpa tumoris erit, ſi feriere, tui.
Nec juvat errorem dein excuſare cupitum.
Cùm male defendas, noxia major erit.

Ad Servium Tullium puerulum, cui dormienti ſlamma circa caput emicuit.

PUpule, mellitos trahe, bellule pupule, ſomnos,
Dum vigilat gradibus ſors ſtudioſa tuis.
Illa favet; tenerumque caput quae blandula circùm
Fulgurat, Imperium myſtica flamma notat.
Haec Tanaquil propiore Deo canit excita Vates,
Servitio quamvis detineare puer.
Clarus eris Regno; nec Servi fama repugnat.
Vult Domina a Servo Principe Roma regi.

Anno, quò amiſit Nero principatum,

oleæ,

Digitized by Google

oleæ, & prata ſedem mutavere.

CUlmine ab Imperii cecidit Nero; & impete facto
Prata, oleaeque ſuam corripuere fugam.
Cùm Nero non habeat quos ferro perdat, & igni,
Diffugiunt, ſeſe ne ſuper ira cadat.

Suſcepto a Romanis contra Gallos, Etruſcos, Samniteſque bello, Cerva ad Gallos, Lupus ad Romanos cucurrit. Lupo Romani liberam dedere viam, Galli verò Cervam interfecere.

SI devotus obit Telluri, & Manibus imis,
Roma, ſuper Decium neu lacrymare tuum.
Illius effuſo tibi ſanguine palma reſurget;
Et Gallus, domitor qui fuit ante, cadet.
Augurio ſpeculare novi data ſigna triumphi,
Et tua ſiquis agit pectora, pone metum.
Ecce Lupum fugiens per devia Cerva ſequentem,
Inter utraſque acies corripit acta viam.
Diverſas mox cerne Feras. Exterrita Gallos
Cerva perit curſu, Romula caſtra Lupus.
Hic iter intactus media inter millia carpit:
Illa perit fixis ſaucia arundinibus.
Ergo Lupo ſi tuta via eſt, funeſtaque Cervae,
Certa tibi e patrio diſce trophaea Lupo.

Theleſis, Argiva mulier, Patriam a Cleomene Lacedæmoniorum Rege obſeſſam, ceterarum auxilio mulierum, cùm viri deeſſent, tutata eſt.

SUbdere Dux credit ſibi forte Laconicus Urbem,
Cùm doleat nullos Argos habere viros.
Sed patriae vindex rotat acrior arma Theleſis;
Nec ſinit aerato femina ab hoſte capi.
Sic licèt imbellis, cum femineo comitatu
Praevalet inque viros, praevalet inque Ducem.
Quid faceret, vel quanta ſibi victoria ſtaret,
Si mas illa potens conditione foret?

De Cleonymo, Athenienſis, cui præerat, exercitûs deſertore.

POſtquam rauca datis ſtrepuerunt cornua ſignis,
    Accenditque acies Martis in arma furor;
Dicitur & clypeum poſuiſſe Cleonymus aeneum,
    Et ſua praecipiti terga dediſſe fugae.
Haeccine magna fides Ducis eſt, ſi deſerit agmen?
    Talia mirari deſine: Graecus erat.

Thraſius Augur in ſummâ Ægypti ſiccitate oſtendens Buſiridi, facilem poſſe ab Jove pluviam obtineri, ſi hoſpites immolaret, omnium primus interfectus eſt.

ÆGyptus dum moeſta caret pluvialibus undis;
    Et vitio moriens aëris herba ſitit;
Placari, Thraſius Pharium canit ante Tyrannum,
    Hoſpitis effuſo poſſe cruore Jovem.
Nec mora. Buſiris Vatem detruncat ad aram.
    Sic prior elicuit victima caeſus aquas.
Nempe ruinam aliis qui conſcius extruit, Auctor
    Inſcius omne ſibi fabricat ille malum.

Excetum Cyri Perſarum Regis caput, Tomyris Maſſagetarum Regina in utrem humano ſanguine plenum conjecit.

ET Gnati, & Tomyris ſitiit Rex Perſa cruorem.
    Haec fugit inſidias, captus & ille perit.
Pignoris ulta ſui lacrymabile funus Amazon,
    Sanguineo Cyri mergit in utre caput.
Si ſitit, inde bibat; nam ſummo a vertice ad imum
    Undat in utre cruor; ſi ſitit, inde bibat.

Rhodogune, Darii filia, vidua Nutricem interemit, ſecundas ſibi nuptias ſuadentem.

SUm Rhodogune, & opes inter Regina vocari
    Nunc poſſum, in vacuo ſola relicta toro.
Serva prius fueram, Domino conjuncta marito,
    Adjicerem quamvis gemmea ſerta comis.
Servit enim, alterius qui nutu ſubjacet uno;
    Vivere nec Dominus dicitur ille ſui.
At modò Libertas in me regina triumphat,
    Cùm nequeam, extincto Principe, juſſa pati.
Et Libertatem mihi conſulis, aemula Nutrix,
    Pro thalami Dominam vendere ſervitio?

Non

Digitized by Google

Non alio, quam culpa tua vult ſanguine tergi.
    Ergo meâ pereas hoſtia caeſa manu.
Dixerat; inque ſinu capulo tenus abdidit enſem;
    Ictaque ad impavidos corruit illa pedes.
Conſilium dein quaeque alijs dare femina cedet.
    Non niſi femineâ ex mente ruina venit.

Iſæus, Rhetor Aſſyrius, adoleſcentiam ſuam corporis voluptatibus dedit; vir autem factus, omnium frugaliſſimus vixit.

Corporis Iſaeum dulci trahit arte voluptas
    Blandula; & hanc ſequitur perditus ille Ducem.
Et Venus, & vinum, luxuſque, & mollis Ephebum
    Segnities turpi ſub ditione tenent.
At poſtquam tondente cadit ſua barba Magiſtro,
    Rhetoris ac vultu forma virilis ineſt;
Et Venerem, & vinum, ludumque ſagacior Heros,
    Segnitiemque animi tempus in omne fugit.
Non datur integrior, non hoc frugalior alter.
    Tantus in Iſaeo eſt ſobrietatis amor.
Dignior opprobrio eſt, juvenis quando errat; an hymno,
    Quando vir errores corrigit ille ſuos?

Antimachus, Poëta Græcus, cùm poëma quoddam obſcurum in auditorio recitaret, cauſſa fuit, cur omnes [excepto Platone] illud non intelligentes diſcederent.

Antimachum veteres Graecum dixere Poëtam:
    Aſt Oratorem ritè fuiſſe rear.
Nanque adeó populum dicendo movit, ut unà
    Fugerit orantem Concio tota virum.

De eodem, qui ab auditorio derelictus, Plato mihi, inquit, pro omnibus.

Antimachum meritò nunc poſſum dicere Vatem,
    Dum mihi ſolus, ait, ſufficit ipſe Plato.
Nam Vati auditor pro cunctis ſufficit unus:
    Orator populum debet habere ſuum.

Alcon, Cretenſis Sagittarius, Serpentem videns Filii ſui corpori circumplicatum, tantâ direxit induſtriâ ſagittam,

ut Serpentem occiderit, nec tetigerit Filium.

ERigitur Serpens, horrendaque ſibila mittit,
Et Genitum Alconis peſtifer aggreditur.
Bis medium amplexus, juvenile volumine corpus
Bis ligat, & mortis fata propinqua monet.
Ut Pater haec triſti videt ore pericla, ſagittam
Conjicit adductae dexteritate manûs.
Deficit illa volans fixo Serpentis in ictu,
Proxima nec juvenis membra trementis init.
Soſpitat unde hominem, mactatque ſagitta draconem?
Sic jubet ars Patris: ſic data juſſa facit.

Ad Mithridatem Regem. De Menophilo, cuſtode eunucho, qui ejus filiam interfecit, veritus, ne in arcis deditione captiva violaretur.

QUalis vita diem mortalem corporis; annos
Sic immortales vita pudoris habet.
Corporis omnimodis perit obvia vita: nefandam
Solùm per Venerem vita pudoris obit.
Ne bis Gnata cadat, mortalem hic vulnere vitam
Tollit: at aeterno vivit honore pudor.
Extinctam, Pater, ergo tuam ne crede puellam,
Cùm rapuit vitam, providus ille dedit.

Codrus Rex pro Athenarum ſalute ſe morti objectavit.

DEdecus in Sparten, conſultaque jurgia Codrus
Suſcitat; inque ſuam provocat arma necem.
Non patitur data probra Lacon: accenſus in iras
Fulmineo ignotum demetit enſe Ducem.
Ille perit, vitaeque ſuo dat ſanguine Athenas.
Nec mirum: quoniam ſanguine vita ſubeſt.
Rex Patriae moriens ſi contulit ergo cruorem,
Rex Patriae vitam contulit ille ſuae.

In illam Epicharmi Siculi ſententiam: Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihil exiſtimo.

INſulſus Siculus non eſt: tamen oris hiatu
Haec tua non ſapiunt dicta, Epicharme, ſalem.
Es Sophus, es Vates, Medicuſque, & Pythagoraeus:
Nominibuſque crepant diſſona verba tuis.

Digitized by Google

Nolo mori (perhibes) clauſiſſe ſed obvia Mortis
Lumina me triſti turbine, duco nihil.
O equidem magni ſententia acuta Magiſtri !
Hanc tandem Arcadici diſcite diſcipuli.
Nequius anne aliquid, dabiturve inſulſius uſquam ?
Stultius an. Licinj eſt, vel Meliteſis opus ?
Diceris & Siculus ? non hoc dignaris honore.
Si Siculus dici percupis, adde ſalem.

Ceyx, invitâ Alcione uxore, profectus Dædalionis cauſſâ, in accipitrem commutati, ad conſulendum Apollinem, naufragio periit.

Jam ciet in teneras crudelia bella Columbas
Daedalion, avidum verſus in accipitrem.
Jamque volat, Chiones laſſus moerore puellae,
Quam jaculis fixit ſpreta Diana ſuis.
Anxia tot monſtris turbatus pectora Ceyx,
Nomen in ore ſui Daedalionis habet.
Nulla datur requies: oracula poſcere Phoebi
Apperit & infidi nec maris horret iter.
Alcyone hunc lacrymis, precibuſque, miniſque retardat,
Et parat ante oculos certa pericla ſuos.
Obſiſtit, placidaſque ſibi Rex obſtruit aures.
Nec prece, nec lacrymis, nec movet illa minis.
Pergit: at Ægaeo dum vaſta procella remugit,
Obrutus inſanis contumulatur aquis.
Nunc equidem ſibi fata queri nequit impia Ceyx.
Obſtantem monitis quis neget ultrò mori ?

Bituitus, Rex Arvernorum, a Cn. Domitio comiter hoſpitio invitatus, vinctus Romam perductus eſt.

Romulus hoſpitium violatque, rapitque Sabinas,
Creſcat ut ob ſobolem parvula Roma ſuam.
Cneus & hoſpitium violat, Regemque ligatum
Tybridis, ut pateat Victor, in arva trahit.
Fraudis utrumque ſcelus confer, Romana juventus.
Crimina cùm videas, turpius iſtud erit.

Q. Cepioni.

Dico mei pietate animi tibi percitus: aurum,
Quinte, Toloſanum, cùm meritaris, habes;
Tuque ſupercilio turges, gaudeſque videri
Dives & Eois, dives & Heſperiis.
Infelix ! auro qui pinguia Templa Toloſae
Exuis, ignarum te mea ſenſa latent.
Deque malis, quae fata tibi ſuprema minantur,
Deque novo exitio, quo moriere, loquor.

Aſpice, ut expectat te ſcala Gemonia; ut uncum
 Praeparat irati dextera Carnificis.
Millia multa tuo periere furore Quiritum:
 Terraque tot gemuit preſſa cadaveribus.
Omnibus exolves poenas pro gentibus unus;
 Triſtibus inferiae Manibus unus eris.
Prome Toloſanas nunc prome, bis impie, gazas,
 Et vitam Lydo munere dives eme.
Fallor: cauſſa tui raptum quoque funeris aurum eſt.
 Ut gravet acta magis crimina, pondus habet.

Titus Labienus, ſcriptis ſuis inimicorum operâ exuſtis, in monumento clauſus occumbere maluit, quàm vivere.

Vita hominum brevis eſt, mortiſque reciditur ictu.
 Vita ſed ex libris non moritura venit.
Ergo libris longam ſi vitam hic perdidit uſtis,
 An poterat vitam Scriptor amare brevem?

Ad Voranum, furem egregium, qui cùm ſubtractos de menſâ nummos intruderet in calceos, a Nummulario deprehenſus eſt.

Compilas avidis aliena, Vorane, rapinis;
 Tutaque furta tibi tempus in omne putas.
Aſt dum tollis opes, & calceus aere gravatur,
 Prenderis in mediis praedo latrociniis.
Felicem non ſemper habet fraus impia caſum.
 Saepe ſuis capitur qui capit inſidiis.

Aſclepiades, Medicus Pruſienſis, ſcalarum lapſu moritur.

Qui prius exanimes vitae revocavit in auram;
 Novit & aegrotis ferre ſalutis opes,
Nil Aſclepiades timet unde pericula mortis,
 Concidit; & miſero ſternitur interitu.
Multa poteſt rectis hominum mens provida normis:
 Inſidias fati nemo cavere poteſt.

Fara, Virgo Gallica, cùm ſe parentum voluntate ad matrimonium cogi doleret, in tot erupit lacrymas, ut caeca evaſerit.

ET dolet, & liquidas ſuſpiria jactat in auras,
Ne ſubeat pactum Virgo peroſa torum.
Et gemit, & vigiles fiunt duo flumina ocelli,
Imbre ſuper roſeum ſaepe cadente ſinum.
Ergo diu lacrymis fit caeca Puella profuſis.
Hinc fovet illaeſas Virginitatis opes.
Luce carens hoſtem ſic Gallica vincit Amorem.
Vincitur a caeco lumine caecus Amor.

Theano Pythagorica cuidam, qui nudatum ejus intuens brachium, pulchrum, inquit [Dii boni!] brachium, at non publicum, reſpondit.

LAſcivis quid nuda oculis mea brachia ſpectas,
Brachia Riphaeâ candidiora nive?
Lacteolis ſunt pulchra roſis, ſed publica non ſunt;
Nec labiis albent contemeranda tuis.
Iſte meus te candor agit. Miſer erige mentem.
Ille Animâ, quàm qui corpore, major ineſt.

De Petro inſtitore, prope naufragium ſoſpite.

QUàm tibi fluctiſoni ſaepe Tybridis unda pepercit!
Te Petri nomen ſenſit habere ſui.

In idem.

QUòd te naufragio non merſerit unda propinquo,
Ne mirare: Petri Principis unda fuit.

Euphroſyna, Virgo Alexandrina, virilibus induta veſtibus domum paternam deſeruit, ne ad nuptias cogeretur.

CEu grave flagitium, taedas exoſa jugales
Virgo, fovere ſuae lilia dotis amat.
Nec quid Hymen, quid fax, quid ſit Venus excita, curat.
Occupat ingenium cura pudica ſuum.
Ergo Patrum, mentita virum, fugit illa penates,
Ne thalami Conjux jura marita ferat,
Per juga, per campos, per luſtra, per invia tendit,
Ducat ut aeternas integritatis opes.
Non poterat meliùs caſtum ſervare pudorem.
Nobilis o magnum Virginis ingenium!

De Actore, qui dum in Tragœdiâ Daemonem per auras repraeſentabat, praeceps

raptis

ruptis ſunibus, in Theatrum recidit.

C Autus ubi juvenis mentitur Daemona, vultu,
Et Stygium ſimulant verba doloſa, animum;
Vincla repentinò rumpuntur; & ille Theatri
Aëre praecipitans in tabulata ruit.
Antehac non poterat ſe Daemona dicere: lapſu
Dicere nunc ſeſe Daemona jure poteſt.

De Leonillæ pulchritudine.

C Ertavere Venus, Junoque, Minervaque nuper
De formâ vultûs, o Leonilla, tui.
Eſt, inquit, mea forma, Venus: mea forma, Minerva, eſt:
Cedite, ait Juno, cedite: forma mea eſt.
Audiit, & ridens ſolvit tuus ora Maritus:
Lis nova componi, Numina pulchra, poteſt;
Eſt equidem tua forma, Venus: tua forma, Minerva, eſt:
Forma tua eſt, Juno; ſed Leonilla mea eſt.

Phryne, ſcortum formoſiſſimum, a cubili
Xenocratis, caſtiſſimi Philoſophi,
rediens ad diſcipulos,
non a viro ſe dixit,
ſed a ſtatuâ
venire.

C Rede mihi: Meretrix ſemper mala verba loquuta es.
Verba tamen loqueris nunc bona: crede mihi.
Non hominem, at lecto ſtatuam jacuiſſe fateris,
Qui tenuit Veneris tangere dona tuae.
Et bene verba crepant, & ſunt bene conſona vero;
Nanque Animâ eſt ubi amat, non ubi, Phryne, animat.
Philoſophi ergo Animam Sophiae ſi ſuſtulit ardor,
Non hominem, at ſtatuam ritè fuiſſe refers.

Iccus Tarentinus, Athleta nobilis,
nullam toto vitæ curſu
agnovit Venerem.

Q Uanta tui eſt virtus, quantum decus, Icce, pudoris,
Caſtior Eugeniâ, caſtior Hippolyto!
Te Dryas, & Daphne ſecum, te Claudia vellet,
Teque Diana ſuos inter habere Choros.
Virginitas tibi ſola placet, tibi ſola voluptas,
Sola tenet ſenſus, vir generoſe, tuos.
Hac Duce, Olympiacâ tibi tempora fronde coronas,
Semper & applauſum fortior hoſte refers.
Victorem ſtupeat quis te rediiſſe palaeſtris?
Robur ab indomitâ Virginitate venit.

De Euclide Megarico.

NOn poterat Megaram penetrare creatus Athenis,
Tectaque Athenarum qui Megarenſis erat.
Inter utraſque odium nullis placabile votis
Straverat ad clades, morte ſequente, viam.
Conſulit exitio Euclides, quó tendere in Urbem
Poſſit, & audaces inde referre pedes.
Femineum gerit ille habitum, ſimulatque figuram,
Et noctu ad Sophiam Socratis urget iter.
Nec pavet inſtantis manifeſta pericula mortis,
Dummodo Socratico dogmata ab ore legat.
O amor! o Sophiae ter maxima gloria in aevum!
Sola homini, pluſquàm vita vel ipſa, places.

De portentosâ Titormi fortitudine.

FUlſit ut Alcides curvato vertice Caelum,
Pondera cùm laſſus ferre nequiret Atlas;
Viribus ante ſuos ſic pectoris uſus Amicos
Monſtrifero ſaxum Marte Titormus agit.
Saxum horrendum, ingens, quod vix cervice ſubirent
Dena Gigantaeis corpora roboribus.
Ille autem Eveni rapidas progreſſus ad undas,
Fervidus e mediis protrahit aggeribus.
Nunc procul invertit, nunc tollit in aëra ſaxum,
Impoſitumque humeris nunc gerit ille ſuis.
Huic labor Alcidae cedat: ſunt talia in illo
Fabula; in hoc verè facta ſtupenda patent.

De eodem, qui ferociſſimi tauri pedem unâ manu, alterâ verò alterius pedem prehendit, & per vim reſilire tentantes, conſtantiſſimè retinuit.

DExteritate potens, admirandiſque lacertis,
Arripit hic taurum, quem gravis ita rapit.
Alter ut irrumpit, citò corripit ille minacem;
Conanteſque manu mox reſilire, tenet.
Unde poteſt tauros retinere furore Bubulcus?
Alter hic Alcides creditur; ergo poteſt.

De Merope.

DEſerit ut nidum, liquidumque per aëra primùm
Incipit alatis niſibus ire Merops;
Hinc petit, atque illinc eſcas, alitura Parentes,
Unde recens vitae munera duxit avis.

Non illis frigent effoetae in corpore vires;
Non aegros ſpecubus tarda ſenecta tenet.
Juſtitiaeque tamen ſtudium, & pietatis adimplet;
Grataque ad extremos pandi·ur uſque dies.
Quilibet haec utinam legeret veſtigia Gnatus.
O quàm juſta hominis, quam pia vita foret!

De Maſſagetarum humandi ritu.

QUiſquis obit morbo, canibus data praeda voratur.
Nomen habet, belli vulnere quiſquis obit.
Scilicet oſſa etiam cenſeut abolere Pigrorum;
Et dare perpetuum Fortibus elogium.

De Icaro, Erigones Patre, abs temulentis Athenienſibus occiſo.

EDocet Actaeos ſpumantia pocula Cives
Icarus, ut nectar, magne Lyaee, tuum.
Conſilium geniale placet: ſua vina coronant,
Et bibit hic avido gutture, & ille bibit.
Viſcera to·a calent: ſuccreſcunt jurgia vino;
Et necat Erigones ebria turba Patrem.
Icarus una mali cauſſa eſt: non ergo bibentes,
Doctrinam in cyathos arguat ille ſuam.

De eodem.

ICare, Cecropidûm cùm te manus ebria mactet,
Quàm cuperes alas rurſus habere tuas!

De eodem.

CEcropidae data vina bibunt, & toxica credunt,
Ebria cùm nimius corripit oſſa calor.
Nec mora: in Oebaliden lethalibus arma laceſſunt
Ictibus: ille ſui ſanguinis imbre natat.
Dat vinum Bacchus, nec vulnere laeditur ullo;
Acta ſed eſt tantis gratia promeritis.
Icarus hoc ipſum donat; moriturque peremtus.
Quis valeat fati vim retudiſſe ſui?

In Amyntæ opinionem.

LUxuriem male vina creant, dicebat Amyntas;
Et pudor, illaeſus qui ſtetit ante, perit.
Ebibit illa meae Genitrix Amaryllidis olim
Phyllis aquas: potat pulchra Amaryllis aquas.
Faucibus ergo ſuis ſi ducere vina recuſat,
Nonne pudicitiae dona Amaryllis habet?
Daphnis ad haec: Venerem maris albida ſpuma creavit.
Num Venus inter aquas nata, pudica fuit?

Non

Non aqua, crede mihi, vivum facit eſſe pudorem.
Mens dominans ſenſus quae domat, illa facit.

Ad Cæcilianum fidei deceptorem, Albiæ patrem.
De Cornicibus, quibus mos eſt impollutam, mortuo Conſorte, ſervare viduitatem.

Æmula Cornicis, tua dixerat Albia, vivam,
Conjuge cùm juvenis ſim viduata meo.
Non alios ſubit ipſa mares poſt fata mariti
In viduo Cornix ſola relicta toro.
Laſcivos experta tumet tua filia Amicos,
Nec pudet infames progenuiſſe nothos.
Miraris? ſequitur veſtigia filia Patris.
Non ſtas promiſſis, Caeciliane, tuis.

De Ageſilao Lacedæmoniorum Duce.

Cum petat arreptâ Dux cuſpide ſternere Xerxem,
Fallitur, & Satrapen enecat ille ſuum.
Captus ad horrendas trahitur pro crimine poenas,
Carnificumque alacri ſuſtinet arma animo.
Non patitur tam magna viri miracula Xerxes.
Quolibet immunem vulnere abire jubet.
Quod valet indomito perferre Laconicus auſu,
Non valet hoc Xerxes cernere ſupplicium.

In Interfectorem Corvi, Populum Romanum ſalutantis.

Si Corvum; quia dicit; ave Romane, trucidas,
Impie, quid faceres, ſi mala verba daret?

De ejuſdem Corvi exequiis, & morte Interfectoris a Populo Romano ſaxis obruti.

Corvus honoratis habet excita funera pompis:
Saxa reus ſaxis obrutus hoſtis habet.
Caeſus uterque jacet; ſed diſpare ſorte quieſcunt.
Nempe levis Corvo eſt terra, hominique gravis.

Thraces circa Amphipolim cum Accipitribus aucupantur, & captas dividunt aves.

Retia rara levi dum Thracius amite tendit,
Queis celeres Auceps fallere poſſit aves;

Digitized by Google

Deprimit Accipiter circumque ſupraque volantes,
Donec in inſidias, hoſte ſequente, ruant.
Prenſus ubi aligerûm laqueis exercitus haeret,
Victor habet partem muneris Accipiter.
Non dat aves Auceps, ut det: dat, ut inde coactu
Accipitris reliquas captet avarus aves.

Dē Cliniâ Tarentino, Philoſopho Pythagoraeo, & Achille Phthio, citharam pulſantibus, ne ab iracundiâ invaderentur.

AD citharae ſonitum canit arma, Ducesque, manipioſque
Æacides, animum ne furor ullus agat.
Cautus ut irarum Clinias procul arceat aeſtum,
Et canit, & cithara grandia geſta ſonat.
Æacidae, & Cliniae confer cantumque, modumque:
Nonne modo, & cantu dixeris eſſe pares?

De eodem Cliniâ, qui adeò in Deorum invocatione religioſus erat, ut tria ſolvere talenta, quàm jurare maluerit.

VEra licèt ſint facta, Deos jurare per ipſos
Effugit, & nullos dat ſua lingua ſonos.
Mente tenax Heros tria deligit ante talenta
Solvere, quàm veterem non adhibere fidem.
Dicite, quid faceret Cultor pius ille Deorum,
Si juranda palàm res ſibi falſa foret?

Arturus Britanniae Rex quadringentos, & ſexaginta viros in praelio ſolus trucidavit.

INdomitus, dum bella ſonant, movet arma Britannus;
Et ſua barbaricas transfodit haſta manus.
Quâ ſolus ratione poteſt tot caedere turmas?
In clypeo effigiem Virginis ille gerit.

Ad Juvenem nomine Angelum.

CUm juvenis linguam, & ventrem, Veneremque coërces,
Dicere jure tibi poſſumus: Angelus es.

D. O. M.

D. O. M

PHILIPPO . V
HISPANIARVM . INDIARVMQVE . REGI
PRVDENTIA . PIETATE . FORTITVDINE
NVLLI . SECVNDO
RELIGIONIS . ZELO
VERE . CATHOLICO
OPTIMORVM . REGVM . NEPOTI
REGVM . PARENTI . OPTIMO
PP . SCHOLARVM . PIARVM
MVNIFICENTISSIMO . AMPLIFICATORI . SVO
GRATI . MOERENTESQVE
PARENTANT

I.

JUſta tuus perſolvit amor ſub Marte perennis.
Quae dederas aliis, dat tibi noſter amor.

II.

POnere, & inde ſequi Imperium, par actio non eſt.
Grande tibi fuerat ponere, grande ſequi.

III.

HErculeis Abyle data meta laboribus: unus
Hanc tibi cùm ſubigas, non data meta tibi eſt.

IV.

MEnte manuque Fidem ſuper omnia Regna tuliſti.
Regna ſuper meritò te tulit aucta Fides.

V.

DAt Macedo faſtu, dat opes bonitate Philippus.
Quis major? Princeps turgidus, anne pius?

VI.

HIc eſt Scipiades, ille Annibal, iſte Philippus.
Praelia ſi numeres, victor Iberus erit.

VII.

MIlle ſub Auranum metis unicus enſe phalanges.
Plus, quàm mille acies, unicus ergo vales.

VIII.

QUi vivunt, inferre valent fera praelia in hoſtes.
Gloria, poſt mortem vertere caſtra, tua eſt.

Bbbb Ardentem

I X.

A Rdentem periiſſe fidem neu crede Philippi
Funere. Sub cineres ignea vivit adhuc.

X.

S Ola coronato date lilia Mauſoleo.
Lilia qui dederat, lilia ſola rogat.

Thurinus Alexandri Severi juſſu viridium lignorum ſumo ſuffocatus eſt.

F Ingis amicitiam, ceu ſanguine clarus Avito,
Principis; & fumum vendere in Urbe ſoles.
Emungis faciles argento auroque Clientes,
Et Ganymedaea Iro ac ſuperbus abis.
Vendita cùm Populo noſcit mendacia Princeps,
Lignorum fumo demoriare, jubet.
Fumea qui vitae duxiſti tempora ſubor;
Debueras fumo convenienter mori.

Ad Demonactem Philoſophum.

C Unctarum contemtor opum, curiſque ſolutus,
Nec tibi in aede dapes, vina nec ulla paras.
Ingrederis, quamcunque domum ſpecularis apertam,
Apponique tibi priva alimenta jubes.
Crederis hinc demens. Probro quid ineptius iſto?
Non datur in tanto par tibi judicio.

De Epaminondae paupertate.

D Ux regit hic Thebas ſuper aethera nomine notus;
Et Domino obſequitur Graecia tota ſuo.
Sed quibus exutos ſibi veſtibus obtegat artus,
Non habet. Eſt Iro, pauperiorque Hecale.
Cùm ſua in amne lavat ſordentia tegmina fullo,
Cogitur in vacuâ nudus adeſſe domo.
His tamen aerumnis, ultrò quae Perſicus offert,
Reſpuit invicto fulva metalla animo.
Divitibus magis ergo petit dare jura regendo,
Quàm ſe Reginis ſubdere divitiis.

Ad Diogenem Cynicum.

T E profugum fortuna oculis inſpectat iniquis,
Nam Scytali in laqueos inſidioſa trahit.
Sed quid inhumanis in te fremit aſpera rixis,
Irrita ſi totâ vis ſua mole ruit?
Te redimit Princeps en aere Corinthius aureo;
Turpia nec patitur vincla ſubire Senem.
Cùmque artem rogat ille tuam, Sophus inquis acutus:
Imperio moderor libera corda meo.

Nec

Digitized by Google

Nec mora: in ingenuos tibi dat moderamina Gnatos:
  Et citò fis Dominus, qui modò ſervus eras.
Scilicet imperitat virtus, & liber ut omni
  Servitio Sapiens des tua jura, facit.

Parthi ſolas cædium, præliorumque picturas admittebant.

EFfera depictis bellumque necemque tabellis
  Explicat ante ſuos Parthia filiolos.
Quàm meritò! haec ſpecies ad facta perhorrida adurget;
  Saevitiemque animos muta magiſtra docet.

De Herulis nudo corpore pugnantibus.

MArtia ſaepe ſolent defendere tegmina corpus,
  Hoſtis & enervant tela animoſa ſui.
Ergo cruenta Heruli miſcent cur praelia nudi,
  Tegmine tutari cùm ſibi membra valent?
Spernere ut illatos videantur ab hoſtibus ictus,
  Sic fera in indutos bella ciere legunt.

Lyſimachus leonem, cui Alexandri Magni juſſu fuerat objectus, interemit.

VIctima Lyſimachus ſtetit ore voranda leonis.
  Juſſerat Æmathii ſic gravis ira Dei.
Pectoris ille ſui virtute ſuperbus, amictu
  Magnanimam involvit ſub nova bella manum;
Inque tumeſcentis mox intulit ora leonis.
  Tum linguam arripiens, funere ſtravit humi.
Dictus hic Æmathii ſucceſſor Numinis. Ergo
  Bellua debuerat caeſa probare Deum.

De C. Acilio Cæſaris milite.

DEnte Cynegirus Xerxis tenet aequore claſſem,
  Utraque ut eſt gemino verbere trunca manus.
Cùm ſibi dextra cadit, bacchantis Acilius hoſtis
  Laevâ agitat claſſem, mergit & inter aquas.
Facta Cynegiri, portentaque confer Acilj.
  Detinet ille; at aquis obruit iſte ratem.

Aſcletarion Mathematicus a Canibus, ut prædixerat, diſcerptus eſt.

DIcta Mathematici jactentur ut irrita ventis,
  Et ſua ſit virtus fabula digna joco;
Caede Aſcletarion premiturque, pyrâque crematur.
  Sic tua ſaevities, Caeſar inique, jubet.

Disjicit

Disjicit aſt ſubitò tempeſtas excita funus;
  Diſcerpuntque avidi corpus inane Canes.
Quis tibi nunc ſenſus, dum comprobat exitus artem?
  Si potes, irride vaticinantis opus.

Sardanapali, Aſsyriorum Regis; Epitaphium.

NOn equidem erubui, tumulo qui claudor in iſto,
  Scortorum in medlis ducere fila Choris.
Femineâ indutus tunicâ, fucoque perunctus
  Praeſtiteram ſpurcis ſcorta vel ipſa modis.
Crapula mì placuit, genus omne libidinis hauſi;
  Et fuerunt ſtudii Numina ſola mei.
Quid dederat mihi dulce Venus, quidque ante comèdi,
  Hìc habeo. Tantum ſata ſecunda favent.
Ergo ede venturas, bibe, lude Viator in horas.
  Hoc ego confeci Sardanapalus iter.

In eundem Sardanapalum.

O Stolidum nimis! o Epicuri de grege porcum!
  Quae tumulo inſcribis verba legenda tuo?
Quae prius ediſti, quaeque exaturata libido
  Hauſit, habes tumulo? dic age, pande modum.
Si tibi viventi non iſta diutiùs olim
  Dona, fruebaris quàm Suis inſtar, erant;
Quomodo habes Venerem, & digeſtas mortuus eſcas,
  Ridicule o rebus Sardanapale tuis?
Si durabat adhuc Venus acta, dapeſque pereſae,
  Cur iterum Venerem, quaeſieraſque dapes?
Aſt ego non miror, ſi pectore talia profers.
  De ſtolido, & porco quae bona ſenſa fluunt?

De Baldracâ, puellâ caſtiſſimâ.

NOn habet unde famem formoſa, ſitimque repellat
  Baldraca: tam tenuis ſtat ſine luce focus.
Et maria, & montes laſcivus amore puellae
  Spondet Otho, ut Veneris munera prima legat.
Nec ſolii gemmis, nec ducitur illa metallo.
  Roborat ingenium cura pudica ſuum.
Ergo ſi renuit, quò Virgo ſit integra, gazas,
  Plus pudor, Imperii quàm bona ſumma, valet.

De Sophroniâ, matronâ Romanâ.

SOſpitet ut Decii Sophronia ab igne pudorem,
  Servet & illaeſi foedera pacta tori;
Lactea correpto figit ſibi pectora ferro,
  Exanimiſque ſuâ labitur uſa manu.
Cede tuae Civi, Lucretia cede puellae.
  Tu male laeſa peris, haec bene caſta cadit.

CARMINUM
LIBER IX.
EPIGRAMMATA.

Hippo puella Græca laudatur.

MErgitur inter aquas, ne ſuccubet hoſtibus Hippo,
Hippo de Danaìs clara puella focis.
Caſta mori mavult, quàm vivere laeſa pudorem;
Ardorique favent aequora prona ſuo.
Unde habuit turpem Cytherea libidine vitam,
Hippo ab aquis caſtum ſuſcipit interitum.

In Marcum.

CUm Veneri addictum te, Marce, gulaeque videret
Pharmacopola, citò, Marce, peribis, ait.
Aſtrologum credens, pervadere ad oſſa tremorem
Senſiſti; inque animo cura moleſta fuit.
Hauſiſti omnigenas uno non amplius anno
Helluo opes, ne quid poſt tua fata foret.
Factus inops quereris: me Pharmacopola fefellit,
Nam citò non perii, dixit ut ille mihi.
Stulte tace. Bona tabuerint cùm protinus omnia,
Hiſce modis non eſt, Marce, perire citò?

In Mamertem Corinthium.

REgnandi ſceleratus amor quot cauſſa malorum eſt!
Exitiale aliis, & ſibi ſternit iter.
Impia Mamertes hac corda libidine ductus,
Caede genus fratris perdidit omne ſui.
Arſit ad haec Siſapo, & Mamertem in fruſta cecidit.
Qui mala cunque aliis praeſtat iniquus, habet.

Solon mortem ſuam lugerì juſſit,
Ennius contra vetuit.

MOrs mea ne careat fletu (dixiſſe Solonem
Novimus) aſt lacrymis funus obite meum.
Nemo me lacrymis decoret, pater Ennius inquit;
Nec miſero exequias expleat ore meas.

Cur triſtes jubet ille ſuo ſub funere luctus,
Et fletum interitu reſpuit iſte ſuo?
Vult Cives lacrymare Solon; nam functus Athenas,
Abroget ut leges, non rediturus erit.
Civibus at lacrymas non appetit Ennius ullas.
Vivus it, atque virûm cuncta per ora redit.

De iiſdem.

FLere Solon mandat, lacrymas vetat Ennius omnes.
Mortuus ille nimis poſcit, & iſte nihil.

Schinis latro duabus a Theſeo alligatus arboribus, dilaniatus eſt.

FAucibus in Grajis homines Schinis arripit Iſthmi
(Tanta ſuo ſpolii pectore flamma ſubeſt)
Inque ſolum piceas deflectit, & acta in altum
Pluribus implicitos nexibus ire ſinit.
Utraque ubi vinctos ad ſe trahit actiùs arbor,
Diſcerpti, alitibus praeda voranda jacent.
Ardet ad hanc ſpeciem furiato pectore Theſeus,
Obſtantemque rapit vique manuque Schinin:
Et geminâ obſtrictum diſcerpit in arbore furem.
Quàm bene! quae quiſquis ſeminat, illa metit.

Ad Themiſtoclem Athenienſem.

DUm potes, Actaeam Dux ſubrue cladibus Urbem,
Unde triumphorum poſt decus exul abis.
Quae Gnato molita fugam eſt, te ſentiat hoſtem.
Irrue, quid dubitas? fulmina Xerxis habes.
Fallor: Athenarum cùm proxima funera cernas,
Mox tauri epoto ſanguine, ſponte peris.
Aut Domino infidus, non fortiter arma ciendo,
Aut Patriae everſor ne videaris, obis.

Ajax ob Achillis arma Ulyſſi, non ſibi data verſus in rabiem, gladio ſe interfecit.

QUi bene ſuſtinuit fera Numina, & Hectora, & ignem,
Fregit & obſtantes Graeca ſub arma Phryges;
Cùm data doctiloquo, meritum ceu pignus, Ulyſſi
Arma, ab Achillaeo corpore rapta, videt;
Impatiens Ajax unam non ſuſtinet iram.
Ira domat fortem poſt fera bella Ducem.
Haec facit, Hectoreo fodiat ſua pectora ferro,
Deſertoque cadat praeda cruenta ſolo.

Heu

Heu fatum! Innumeros Dux vicerat unicus hoſtes.
Unica victorem vicit at ira Ducem.

Hector Ajacem gladio, Ajax Hectorem baltheo poſt ſingulare certamen muneravit.

ASpera pugna oritur: cavet unus, & alter ab ictu,
Donec nox dirimat nobile Martis opus.
Ajax donatus poſt facta potentia baltheo,
Ac Hector gladio, ſingula caſtra petunt.
Se putat accepto pro munere uterque beatum.
Fallitur aſt demens munere uterque ſuo.
Baltheus Actoridae caeſum trahit Hectora ad urnam,
Ajacis gladius pectora prona ſubit.
Heu cave, ſi ſapias, hoſtes tibi dona ferentes.
Exitium ab largo durius hoſte venit.

In Heroſtratum, qui celeberrimum Dianæ Epheſinæ Templum incendit.

CUra fuit, flammis Templum populare Dianae,
Nobilis ut totâ poſteritate fores.
Jamque triumphator tua nomina ab igne tuliſti,
Nomina ſacrilegis conſona criminibus.
Nam rigidâ quamvis Urbs lege Epheſina caveret,
Mentio de titulo ne foret ulla tuo;
Fama tamen cunctas, Heroſtrate, contigit aures:
Unde tuum vaſto nomen in Orbe ſonat.
Abdere quae poterant tantum penetralia factum?
Flagitium Tellus non capit ampla tuum.

Ad eundem.

VErtit in alipedem Diana Actaeona cervum,
Auſus ubi eſt nudas fonte videre Deas:
Perque ſibi notas fugiens formidine ſilvas,
Saucius ex rabido concidit ore Canum.
Si tantum potuit, Templi quid culmine ab aureo
Non propulit flammas Diva Epheſina tuas?
Non poterat prohibere focum: Obſtetricis agebat
Res, ut Alexander natus Olympiade eſt.

Epheſini novum Dianæ Templum conſtruunt, veteri jam ſuccenſo præſtantius.

TEmplum auguſtum ingens Epheſus, meliuſque peruſto
In decus aedificat, caſta Diana, tuum.
Nempe ferunt caſum non omnia damna nocentem.
Saepe juvant caſu damna vel ipſa ſuo.

De

De Democrito.

SEntit adurgentem Veneris Democritus ignem,
Femina ut ante oculos itve, reditve ſuos.
Hicce ſibi e ſtimulis timet excitus Abderites,
Nomina laſcivus ne ſua turpet amor.
Quid ſtruat? ardentis caecat ſibi Solis ad ignem
Lumina. Sic ignis victus ab igne perit.

Ad eundem.

SIve ut Naturae rimeris acutiùs ardua
Arcana, ex Sophiae ductus amore tuae;
Sive foco blandas ut ne tueare puellas,
Intrepidus tibimet lumen utrumque fodis;
Semper virtutum ſunt maxima facta tuarum.
Majus opus factis es tamen ipſe tuis.

Epitaphium Magdalenæ Romanæ.

HOc jacet in gelido pulcherrima Magdala buſto,
Gaudia Romanae, deliciaeque Domûs.
Frigora compleràt quintae Virguncula brumae,
Perdita cùm lentis febribus interiit.
Illa levis fuerat terrae, dum vita manebat.
Ergo pari eſt olli munere terra levis.

Dionyſius Siciliæ Tyrannus Æſculapii ſimulacro barbam ademit ex auro compoſitam.

PHoebigenae barbam Dionyſius abſtulit auream,
In viſis opibus ſuetus habere manus.
Tum genitum irridens imberbis Apollinis, inquit:
Sic erit hic Gnatus, ſic erit ille Pater.

In Herculem Omphales ſervitio nentem.

HIccine habet pro patre Jovem? Tyrinthius hic eſt,
Quem Caelum omne humeris ſuſtinuiſſe ferunt?
Exhibet en magno ſuſpenſa monilia collo,
Et pictum Tyrio murice utrumque latus.
Zona viri lumbos, variata calantica crines,
Oraque mentito lumine fucus obit.
Nec pudet Heroëm femellas inter inertes
Ducere tam durâ mollia penſa manu.
Qui prius immanem Sagaris reſonantis ad undas,
Unde obiere hominum millia, ſtravit hydrum;
Pro clavâ, & jaculis, & pelle rigente leonis
Cycladas, & calathum nunc fovet, atque colum.

Vile

Vile notat dementis opus, ſalſiſque cachinnis
  Ridet amatorem Lyda puella ſuum.
Herculis o longo vecordia flebilis aevo,
  Dignaque mordacis verſibus Archilochi!
Corrigor. Huic turpi dum corda libidine ſervent,
  Non niſi dementis pandere facta poteſt.

In Omphalen Herculis ſpoliis indutam.

VEſtiit Herculeis ſe mollis Iardanis armis,
  Iſta cupidinibus, ſordida Cypri, tuis.
Clava manu nodoſa, humeris pendentia ab aureis
  Dura Cleonaei terga Leonis erant.
Arma ſui in ſpeculo meretricula vidit Amantis,
  Et ſibimet placuit, riſit & illa jocis.
Quae fuerat vix apta colo, calathiſque Minervae,
  Vir ſtuduit ſpoliis emicuiſſe ſuis.
Nec mirum. Alcides femellae indutus amictu eſt.
  Debuit ergo viri femina obire vices.

Amaſis latro ab hominibus accuſatus, & a Diis convictus, falſa eorum dicebat oracula.

SÆpe aliena avidum Populus ſubducere Amaſin
  Viderat; & ſtomacho creverat ira ſuo.
Inſimulat furem venerandi ante ora Senatûs,
  Quò ſua ritè premat crimina poena comes.
Injuſtos ait iſſe homines: oracula poſcit,
  Veridicoque reus vincitur ore Deûm.
Falſa vel ipſorum inclamat reſponſa Deorum;
  Nec timet in tantis fulmina flagitiis.
Miraris? Stygiis qui ſe devoverat umbris,
  Non homines poterat, nec timuiſſe Deos.

Ad Polycratem Samiorum Tyrannum.

ANte obitum ex omni ſi nemo eſt parte beatus,
  Quid te felicem, dum regis oſſa, putas?
Liber ab adverſis longos quia duxeris annos,
  Delicias vitae per genus omne refers.
Falleris aſt demens. Furcâ ſuſpenſus ab altâ
  Indicio, fuerint quàm mala ſenſa, notas.
Non qui coepit agens, ſed qui bene tempora vitae
  Terminat, ille ſuâ ſorte beatus erit.

De Antiſthene Socratis auditore.

UT meliora ſuis hic Socratis audiit ora,
  Ora, quibus virtus ſeque, operamque dedit;

Ite meis juvenes procul, inquit, ab aedibus, ite.
Non facit ad magnum noſtra palaeſtra decus.
Quaerite nunc vobis ſtudio meliore Magiſtrum.
Ipſe mihi reperi, ceu voluere Dii.
Vix ea, cùm ſtupidis dedit omnia largus Amicis;
Palliolumque ſibi non niſi vile ſtetit.
Socratico intentus ſuper omnia ab ore pependit,
Factus diſcipulus qui modò Doctor erat.
O nimiùm aetatis felicia ſecla prioris!
Par levibus ventis quid celeraſtis iter?
Ut magis hic diſcat, quae ſcit, neſcire fatetur.
Quae male neſcit homo, nunc bene ſcire refert.

De Ariſtarcho.

MEntis Ariſtarchus fuerit quòd Cenſor acutae,
Neu ſtupeas mores, poſtera turba, ſuos.
Gymnade Ariſtophanen prius audiit ille Magiſtrum.
A ſimili poterat quid didiciſſe viro?

De eodem, qui duos filios habuit, Ariſtarchum, & Ariſtagoram, ſibi diſſimiles.

CRevit Ariſtarchus Sapientis honore per Orbem;
Mens fuit in Gnatis infatuata ſuis.
Non fuerit Genitor vel ſemine prolis ineptae,
Protulerit fructus vel bona planta malos.

Spargapiſes a Cyro captus, ſeipſum occidit.

IMpetrat ut manicas ſibi Sarmata, & horrida ſolvi
Vincla, ſuo liber ſe necat arbitrio.
Plus placet ergo brevi cum libertate perire,
Quàm longo vitam ducere ſervitio.

In Lyſicratem Athenienſem, canos ſuos denigrantem.

POne modum mollique animo, ſtudiiſque pudendis,
Attice jam letho proxime, pone modum.
Curvus es, & ſimus, quo non eſt turpior alter,
Et faciem totam ruga ſenilis arat.
Peſſimus exhalat vietis odor undique membris;
Contremit effoeto corpore laxa cutis;
Inficis & canos nigrante colore capillos,
Pigmento juvenis quò videare tuo?
His tua ridiculum te moribus arguit aetas:
Te medicata ſenem tuſſis, & ora probant.

Pravus

Pravus amans operam ſtudio ſi perdis inani,
Errores quid non corrigis ergo tuos?
Ah! male quiſquis amat, cernit meliora, probatque.
Eligit ille tamen deteriora ſequi.

Super difficultates Authori propoſitas, & ab eodem ſequentibus carminibus ſolutas.

Cur Beroſo, Aſtrologo Chaldæo, Statuam inauratâ linguâ erexerint Athenienſes.

SCire velis, linguâ Populus cur Atticus aureâ
Beroſo ſtatuam condidit Aſtrologo.
Arcanum exprimitur prudentia dia per aurum,
Ægypti ut veteres edocuere Patres.
Ruminat eventus prudentia praeſcia rerum,
Et tanquam e ſpeculâ certa futura videt.
Aërias tentare domos, Caelique meatus
Beroſus radio ſcribere ſuetus erat.
Quae primùm fuerant, & erant ventura, notavit.
Exitus & verum quiſque probavit opus.
Ergo, velùt prudens, linguâ Chaldaicus aureâ
Debuerat ſtatuam numine habere ſuo.

De eodem.

INgenii pretioſa patet ſapientia in auro:
Nec Salomon rectâ fallere mente poteſt.
Divite theſaurus Sapientis in ore quieſcit.
Quaeque refert Sapiens, aurea verba valent.
Si rata Beroſi ſapientia claruit, aurea
Ad ſtatuam fecit quàm bene lingua ſuam!

Cur Alexander Magnus aliquem audiens Accuſatorem, unam ſibi obturabat aurem.

SOntis ubi crimen delator nuntiat, auris
Altera aperta Duci eſt, altera clauſa manu.
Unam nempe aurem ſic lance reſervat eâdem,
Audiat ut Judex crimen ab ore Rei.
Errat, ſi partem, qui judicat, audiat unam.
Rectum judicium parte ab utrâque venit.

Cur idem dormitans manu extra lectum extentâ pilam tenuerit.

Principis

PRincipis extra altum protenta cubile rotundam
Dextra pilam, noctu dum requieſcit, habet.
Ut, cùm laxatos placidus ſopor occupat artus,
Et pila rumorem praecipitata parit;
Excuſſus ſub mente novos agat ille triumphos.
Unus enim tanto non ſatis Orbis Hero eſt.

Grues altivolantes cur lapidem gerant.

UMbra fretis, arviſque, grues per inane volantes
Stricta ſolent unco ducere ſaxa pede.
Praecipiti ut lapidum noſcant animalia lapſu,
An terram faciant, an ſuper aequor iter:
Ultra an tendendum ſit euntibus, anne ſedendum.
Hoc volucres ſignum ſaxa ſonora docent.

Pueri ludentes denariorum jactu in aëra, cur luſum illum Caput, aut Crucem appellent.

PErmenſus vitreum Saturnus claſſibus aequor,
Hoſpitio exceptus, Jane benigne, tuo eſt.
Te fruges, campoſque Senex, cultumque decentem
Imbuit, & quicquid convenit Agricolis.
Hunc tibi legiſti Socium moderamine Regni
Gratus, in officii praemia digna tui.
Æra ubi ſignaſti, Caput una, atque altera Navim
Pars habuit, notus quò Deus Orbe foret.
Ergo vetuſtatem memorans ludendo puelli,
Cùm Caput alternâ voce, Crucemve crepant.

Cur ſuſceptis aquis mare non redundet.

QUid velit, enervi Sophie nova proferat auſu.
Ingenio faciunt quae ſatis, illa probant.
Reſpicis & fontes, rivoſque, & flumina, & imbres
In mare praecipitem vertere ſaepe pedem.
Perſiliumque licet tantus ſit curſus aquarum,
Incrementa tamen neſcit habere mare.
Sol partem humoris, verrenteſque aequora venti,
Ac avidae nubes vi potiore trahunt.
Inque mare e terris venit humor ut auctus aquarum,
E liquido in terras ſic redit ille mari.
Cur mentem novus ergo tuam ſtupor occupat, ullum
Si mare collectis neſciat augmen aquis?

Cur herbæ Cardamo propinquæ areſcant.

VIta vireſcentum plantarum dicitur humor.
Arida planta perit, cùm ſuus humor abeſt.

Humores

Digitized by Google

Humores terrae trahit ad ſe cardamōn omnes.
Ergo propinqua arens cogitur herba mori.

Cur Apes invadant mulieres Venere putentes.

MOnſtrat Apis, Veneris quantùm ſit peſtifer uſus,
Illius in comites dum fera bella gerit.
Siqua ſuos venit ante oculos experta recentem
Femina concubitum, duriùs urget acu.
Putentique monet non poſſe reſiſtere morbo;
Et ferit, ex vultu cedat ut illa ſuo.
Neſcit Apis Venerem, coituque repellit olentem,
Ne ſibi vel Veneris deferat aura luem.

Eædem cur laſcivos oderint homines.

INnuba ducit Apis vitam; Veneriſque palaeſtrâ
Obbruteſcentes odit odora mares.
Perpetuo nam quiſquis amat fervore pudorem,
Olli perpetuo luxuries odio eſt.

Lacedæmonii cur ſuaviabantur Seniores.

SEdula Spartanam quid cura praeoccupat Urbem,
Oſcula uti Senibus ſint iterata ſuis?
Oſcula Sparta animo non figit, ut oſcula figat;
Oſcula dat Senibus, praemia ut accipiat.

Cur Nomades ne ſuos quidem filios oſculabantur.

CUra fuit Nomadum per campos paſtio, & herbae:
Duxeruntque ſuos ruſticitate dies.
Ruſtica Civiles non norunt pectora mores,
Hinc dederunt Natis oſcula nulla ſuis.

Apud Romanos cur oſculo excipiebantur mulieres.

CAndida vitalis ſignum ſunt oſcula amoris.
Hiſce tamen fraudes callida Roma parat.
Suaviolo explorat, biberint an vina Puellae,
Mortis ut exceptas ad mala fata trahat.

Turtur, natis pullis, cur gillâ nidum referciat.

TUrtur, ubi foetus rupto ſuus exit ab ovo,
Ore legit gillam, nudaque tecta replet,

Has Lupus exhorrens frondes, fugit ocyor euro.
Sic vitam teneris protegit Alitibus.

Cur Gallorum vocem perhorreſcant Leones.

GAllus ubi cantat, fugiuntque tremuntque Leones.
Tantus in excuſſo pectore terror ineſt.
Unde fit, ut nemorum, vaſtatoreſque Ferarum
Terreat ad cantum nuntia lucis Avis?
Noſcere quis valeat Naturae arcana parentis,
Veridicuſque ſuas explicet Author opes?
Solis agens virtus minor inſitâ fortè Leoni,
Et Gallo major, cauſſa timoris erit.
Major (uti credit) ne vis ruat ergo minorem,
Contremit, ac turpi dat Leo terga fugae.

Cur Meretrices adinſtar Leænæ cum humano capite effinxerit Antiquitas.

BLandius in terris nihil eſt, quàm femina pellex,
Ore perita viros illaqueare ſuo.
Has cave blanditias: fraudes volvuntur in illis.
Hoc unum Meretrix ſemper obivit opus.
Quò velit, & vitam miſerorum verſat Amantum,
Et Domina addictos ſub ſua jura premit.
Divitiis, & honore ſuos denudat Amicos;
Æternumque animas perdit in interitum.
Femineo hanc ideo vultu formaverat aetas
Priſca: Leaenarum cetera adinſtar erant.
Scilicet ore trahit, reliquo ſed corpore pellex
Trudit Amatores in mala fata ſuos.

Cur non Hyperides admirabili oratione pro Phryne, ſed Phryne ipſa nudato ante Judices pectore ſuam vicerit cauſam.

PRo Phryne ante Patres Demoſthenis aemulus orat.
Nil tamen eloquio Curia mota ſuo eſt.
Candentes nudata ſinus tunc provida pellex
Orat: & aſpectu motio quanta fuit!
Lis cupido deciſa foro eſt: fit libera poenis,
Quam nequiit ſtudio Vir ſolviſſe ſuo.
Omnia vincit Amor: Ratioque urgetur Amori
Cedere. Ubi hic regnat, non habet illa locum.

Daphne puella vim Apollinis impotens

declinare,

declinare, cur in laurum converſa ſit.

ARdet Apollo: ſuos Daphne non curat amores.
Ad Veneris nutum tota per oſſa tremit.
Inſtat Amans, & Virgo fugit. Cùm dextra fugacem
Corripit, in laurum vertitur illa ſuam.
Victus, io Daphne, tunc inquit Apollo, triumphe.
Ut pateas victrix, te mea laurus habet.

De eâdem.

IGneus eſt Phoebus, naturâ eſt ignea laurus,
In quam verſa viret Daphne adamata Deo.
Dicat ut ille dolens: cur es nunc ignea, Daphne,
Si fueras igni frigida facta meo?

De eàdem.

INſidias contrà, contràque pericula laurus
Vim remedj (ut perhibent) omnipotentis habet.
Vertitur in laurum Daphne, dictura per aevum:
In Phoebi inſidias mi fuit antidotus.

De Timotheo Athenienſium Imperatore fortunatiſſimo.

CEcropio ſtat certa Duci victoria, quamvis
Ingruat innumeris hoſtis arundinibus.
Quàm meritò! nervis olli Fortuna ſecundis
Militat. Ergo Ducem certa trophaea manent.

Idem ex quo tempore victorias ſua eſſe dixit, non Fortunæ opera, omni excidit felicitate.

ÆMula Timotheum pinxit cùm dextra tabellis
Melle ſoporatum, blandule ſomne, tuo;
Fortunamque alacri Populoſque Urbeſque trahentem
Numine in Actaei retia rara Ducis;
Grandia ſi ſpectant, ait ille furoribus actus,
Non Fortunae, at opus glorior eſſe meum.
Tunc celeres quaſſit Fortuna volubilis alas,
Ingratum tumidà laude peroſa virum.
Nec mora: primaevam ſua gloria perdidit auram:
Vitaque, tam felix quae fuit ante, ruit.
Triſtia per crimen latè infortunia ſenſit;
Eſtque ſub innumeris percitus uſque malis.

Nempe

Nempe ſuam ſcelus omne meret (bene diſcite) poenam,
At ſceleri ingrati non ſatis una animi eſt.

In Lyſimachum, qui ex Alexandri tabulis adeptus regni particulam, lanceâ ſe Cælum tangere jactabat.

DIco tibi quoties : tangit tua lancea caelum,
Erigis arreptâ laude ſupercilium.
Pone ſupervacuum, Thraſo homuncule, pone tumorem.
De capitis caelo rectius ipſe loquor.

In eundem.

NEc regnum Oceano, nec famam terminat aſtris,
Qui ſibimet ſtudiis non parat illa ſuis.
Tu modò te Regem jactas, & nomine clarum,
Particulam regni cùm titubantis habes.
Nil armis, propriâve tibi virtute paraſti.
Sunt labor Æmathii praeſtita dona Ducis.
Occupat ergo tuam quae tanta ſuperbia mentem,
Nullibi ſunt operis ſi monumenta tui?
Noſco. Cupis magnus ſaltem per verba videri,
Parvum te Dominum res ubi parca notat.

Pro Bibliothecâ

A Ferdinando Vincentio Spinello, Tarſiæ, & S. R. I. Principe, nuper erectâ.

PLena, ſonaturo quam carmine Pergamus ornat,
Innumeris ſileat Bibliotheca libris.
Docta Theophraſtus monumenta nec aemulus Orbi
Explicet, attonitis conſpicienda oculis.
Nec pluteos plaudente tuos modulamine, Gordi=
Ane, nec uſque, Tryphon, effer ad aſtra tuos.
Quaeque Pharos jactat millena volumina faſtu,
Naufraga Lethaeas experiantur aquas.
Condita Fernando eſt, Siren ubi blandula ſurgit,
Regia, ſolerti nobilitata manu,
Regia, Mygdonio ſublimis in aethera luxu
Ducta ſub auſpiciis, Carole magne, tuis.
In ſtudium commune Deae patefacta Minervae,
Exhibet auguſtum Principis ingenium.
Virtutes, Arteſque virûm, ſimulacra, librique,
Scriniaque, atque aurum vim Dominantis habent.
Ergo lubens cedat Spinello opus omne labori.
Stare quid in toto rarius Orbe poteſt?

Pro eâdem.

Quae

QUae ſunt per geminos diſperſa volumina tractus,
Haec collecta tenet Bibliotheca ſuo.
Sunt Myos hic dotes, ſunt Zeuxidis, atque Timanthis,
Sunt, Lyſippe, tuae, ſunt, Polyclete, tuae.
Attalus huc aurum, Cyruſque, Midaſque profudit,
Et quas Maurus habet, quaſque habet Indus opes.
Omnia grande decus ſpirant; ſed Carolus uno
Omnibus aeternum duplicat ore jubar.
Nempe ſub auſpiciis in Pallados incrementum
Emicat Aula ſuis, nec videt illa parem.
Carolus hoc ſtuduit, genio Fernandus Ibero,
Quod ſtupeat Tellus, grande peregit opus.
Grande opus, & meritò. Regiſque, Equitiſque voluntas,
Perficere ingenio non niſi magna ſolet.

In Condalum.

ARdor & argenti te, Condale, torquet, & auri,
Seu Sol flectat equos, ſeu vaga Luna ſuos.
Scis Lycios nutrire comam, cunctiſque vel unam
Hanc praeferre opibus, quas humus Inda parit.
Quid facias? Aulae mendacia fingis ad uſum,
Ut repleant arcam ſpiſſa talenta tuam.
Heus, Lycii, tondete comas, & mittite (clamas)
Mauſolo. Imperio ſic jubet ille ſuo:
Pro dandis aut ferte comis communiter aurum,
Ridiculum pateat ne ſine crine caput.
Nam curabo, comae Graecis ut emantur in oris,
Rexque habeat Lyciâ pignora miſſa manu.
Arrectis ubi dicta bibunt haec auribus omnes,
Dulce tibi loculos aere ſonante gravant.
Nummatum eſſe putas? aliena pecunia ditem
Non facit. Ex furto ſola ruina venit.

Externa avis apud Regium in valle conſedit, donec Otho Imperator a Vitellio victus ſe pugione transfigeret.

CIncta licèt foret una hominum, volucrumque coronâ,
Colle ſuper ſedit Bebriacenſis avis.
Riſit & ignoto fatum imperterrita vultu,
Et renuit capto culmine abire procul.
Tunc liquidum petiit ſtridentibus acta pennis,
In ſua cùm ferrum viſcera merſit Otho.
Hanc forſan tenuere morae, male Othone perempto,
Hoſtibus ut ferret nuntia certa ſuis.

Otho ſe interfecit, ne civilia bella gererentur.

SE transfodit Otho, civilia bella peroſus,
Marte ſibi quamvis integra turba foret.
Denudata Cato ſibi cuſpide pectora fixit,
Cladibus exanimes cùm cecidere acies.
Confer Othonis opus, fortiſque Catonis. Uternam,
Cùm ſibi ſponte tulit funera, major erit?

Mortuo Othone, plerique milites ſeipſos interemerunt.

MArte ſubactus Otho fodit ſibi pectora ferro;
Enſe ſibi miles fodit & ipſe ſinum.
Si poterat Regnator Otho ſic perdere vitam,
Subditus an miles perdere non poterat?

Ad Portiam.

SI quis adeſt, ploras amiſſum morte maritum;
Portia, non ploras, ſi tibi nullus adeſt.
Cùm lacrymaris, Amans cupis illius anne videri?
Scimus; namque viri quem vice noſcis, amas.

In P. Craſſum, qui ſe peremit, ne in manus incideret inimicorum.

ERravit qui te cordatum dixit habendum,
Vecordem cùm te dicere debuerat.
Error & iſte pater; quoniam te, Craſſe, necaſti,
Hoſtilem fugiens poſt fera bella manum.
Haec animi ſunt facta tui. Vecordia certè
Nonne ſuprema fuit, ne morerere, mori?

De Amphiſibænâ.

IN geminum aſſurgit caput Amphiſibaena, hominesque
Aggrediens geminis morſibus interimit.
Quid miſeri potuere homines committere tantum?
Ut citius pereant, dupla venena vomit.

In Sextum.

SEmper emis libros, nec Bibliotheca repletur.
Condita nam grandis machina, Sexte, tibi eſt.
Nunc haec in pluteis, nunc illa volumina ponis;
Emptor & omne ſubis Ardelionis opus.
Cuilibet oranti nummos ut dicere poſſis:
Largirer, ſed eget Bibliotheca libris.

De Daphnide.

Daphnis

Daphnis adulterio caecus quid factus ab uno eſt,
Cùm peracuta ſuae ſidera frontis erant?
Scire velis? dedit eſſe ſuum Venus agnita Natum,
Utque ſuum Natum luce carere dedit.

Socrates per invidiam damnatus cicutam hauſit.

Imperturbato gelidam bibit ore cicutam
Mellibus uſque Senex carus, Hymette, tuis.
Pocula ſunt mortis, cur non pavet ergo? referre
Os, bona ſive forent, ſeu mala, ſuevit idem.

Mortuo Socrati ſtatua dicata eſt, ejuſque Accuſatores damnati.

Fata probroſa Lycon, Vateſque, Anytuſque ſubivit,
Livor in innocuum quos dedit ire Senem.
At merito victura Sopho ſimulacra ſteterunt,
Integritas decoris ſplenduit unde ſui.
Pulchra fuit virtus huic vitae cauſſa ſecundae;
Mortis eis primae turpe fuit vitium.

De Steſichoro.

Steſichori ſuper ora canens Philomela, Poëtam
Dulce ſonaturum vaticinatur avis.
Et bene cuique tuo datur, Himera, Vate charactet
Dulciter in magnis, dulciter in minimis.
Excitus hac Phalaris cantûs dulcedine, Templum
Vatis in aeternum conſtruit obſequium.
Divinoſque ſuo Rex hoſti indicit honores,
Inter & aſtrorum Numina Numen habet.
Si ſuus eſt hoſtis, quid honore Tyrannus adorat?
In rigido virtus hoſte probatur adhuc.

Alcibiadi in Socratem Praeceptorem liberaliſſimo.

Munera larga feras, vel Socrate digna Magiſtro,
Rex generoſe, tuo: munera larga feras.
An ſolves? Sophiae tibi tradita dogmata & auri
Pondere, & argenti ſunt pretioſa magis.
Ergo ſatis nunquam facies, licet omnia dones:
Sola ſibi virtus par ſolviſſe poteſt.

De Xyſto, qui in mari & ortus, & mortuus eſt.

Xyſte, obitum vitamque aliquid num convenit inter?
Naſceris inter aquas, occidis inter aquas.

Digitized by Google

De Æſchine.

CEu reus, Orator Demoſthenis aemulus acri
Victus ab eloquio, pergit in exilium.
His miſer aerumnis hoſtem probat arte potentem,
Laudat & in verbis fulmina habere ſuis.
Quiſque ſuum o utinam laudem conferret in hoſtem.
Laude ſub alterius laus ſibi quanta foret!

In Arium Hæreſiarcham.

QUid blaterare juvat; non eſt ſubſtantia Patris
Pignoris illa ſui? quid blaterare juvat?
En meritas ſolvis pro crimine, perfide, poenas;
Dignaque in Haereſeos vertitur ira Caput.
In foricam putri das inteſtina boatu;
Sacrilegamque cacas podice hiante animam.
Corripit illa viam, dum partibus exit ab imis,
Caeca Erebi ut recto tramite in antra ruat.

In Xerxem Perſarum Regem.

IN Graecos reſonante tuum, Rex Perſice, bello
Helleſpontiacas abdidit agmen aquas.
Terra pedum crebro tremuit perterrita pulſu,
Et gemuit tantis ſubdita ponderibus.
Thermopylae ſed clade virûm rubuere tuorum;
Vidit & alta tuam vel Salamina fugam.
Proh pudor! innumeras terrâque marique phalanges
Parva manus vaſtis perdomat excidiis.
Cunctaque ſtraviſti qui claſſibus aequora primùm,
Vix dubium vitae parvula cymba vehit.
I nunc, tolle animos Princeps, Solique tenebras,
Si potes, & pelagi vincla minare Jovi.

In Priſcum.

VIna bibis; cur vis abſtemius ergo vocari?
Dic mihi, Priſce, ab aquâ naſcitur ebrietas?

De Cleto Sartore.

VEſtimenta lubens emit omnia, & abdit in arcâ
Sordidus a pedibus Cletus adusque caput.
Hiſce nec induitur, nec vult in munera Amicis
Tradere, nec propriis poſt ſua fata nothis.
Forſitan adveniet, mutatus ut omnia vendat,
Omnia pannoſus qui modò Sartor emit.

De Saraſpe.

Stupra

Digitized by Google

STupra facis, quó facta luas, iter incipis Afrum,
Nec peragis: Xerxes te jubet ergo mori.
In Cruce ſuffixus, quám velles, tota fuiſſet
Africa diſcurſu nunc peragrata tuo!

De Ariſtogitone.

BElla canit, ſemperque petit jactator haberi
Fortior Herculeo robore; bella canit.
Audit ut aere acies horrentia ad arma vocari,
Fit ſubitò infirmus corpore, cruſque ligat.
Innixus baculo per compita claudicat Urbis,
Deſinit ore vafer nec ſua fata queri.
Cùm ceſſere manus, & cantibus aera quierunt,
Crus ſolvit, baculum ponit, & altus abit.
Dura valetudo non eſt haec corporis ergo;
Sed, ne diſpereat tractus in arma, timor.

De Batto.

NUbe pari, ſi Nate ſapis, Sartorius inquit.
Exequitur Battus conſona verba Patris.
Ergo malâ ſimilem ſibi duxit in arte puellam.
Fur movet ille manus, fur movet iſta manus.
In Cruce, cum furto deprenſus uterque, necatur.
Quis neget aequali lance fuiſſe pares?

Ad Epiſcopum Authoris familiarem.

SYrmate amice tuo veſtis quid Epiſcope Myſtas?
Quidve ſtudes tanto nobilitare gradu?
Audin, uti muſſant: nova ponit ephippia nobis;
Autumat anne ſuos eſſe Magiſter equos?
Quid facias? ſordeſcat adhuc qui ſordibus ortus
Virgineâ neſcit quid ſit in Æde decor.
Æthiopeſne lavas, albâ quò fronte coruſcent?
Crede mihi, ſapo perditur, atque labor.

De Hypæthro Teatino ante Divi Juſtini Templum.

REgia, quam ſpectas, ſuetos capit area Soles,
Saevaque de multâ frigora parte cavet.
Murorum nam cincta tegit ſe mole ſuorum;
Et minus horret hiems, & minus Auſter agit.
Nec mirum. Hìc patris virtus viget Herculis; ergo
Stare ſuo debes, docta Matheſi, loco.

In Calliodorum.

ET riſum, & nugas, diſcordanteſque cavillos;
Immodicoſque adhibes, Calliodore, jocos.

Digitized by Google

Ulla nec enarras amoto ſeria ludo.
Sola adeò Ethologûm nunc tibi facta placent.
Talia ſtultorum manus efficit. Ergo vocaris
Si rationis egens, quâ ratione doles?

De Monymo ſervo.

SI ſapere eſt animo (Monymo Sapientia dixit)
Factis finge tuis inſipientis opus.
Inſipiens ſapies, & ab Æde remotus herili
Tempora ages duro libera ſervitio.
Ergo Trapezitae nummos huc ſpargit, & illuc;
Et furit, & furiis non habet ille modum.
Me miſerum! lacrymatur Herus: mea quanta ruina eſt!
Stultus abi ex iſto nunc lare, ſtultus abi.
Liber adit Cynicum, pendetque docentis ab ore.
Fit Sophus, & tantâ non habet arte parem.
Quis fieri Sapiens virtutum in gymnade nolit,
Tam facilis famulis ſi quoque aperta via eſt?

De Pyrrho, Epirotarum Rege, interfecto.

IN caput acta crepat dum tegula, deficit ictu
Pyrrhus, ab Herculeâ non leve nomen ope.
Pro jugulo mentum tunc Zopyrus, oſque recidit,
Seminecis torvis territus ex oculis.
Pyrrhus agens animam ſi lumine terruit hoſtem,
Vivus, & arma gerens (dicite) qualis erat?

De Tertullo fure, & Sophrone admonitore.

SUſtulit ex furto vivens Tertullus amico
Quae ſtuduit vili Pauper habere casâ.
Vidit ubi hoc Sophron, clam villa, dixit, egeno
Reſtitue, & diti ſurripe quicquid amas.
Tertullus contra: riſum facis. Ædibus amplas
Quis ſcit, an inde queam tollere divitias?
Gratius eſt certum, quàm ſpes incerta, lucellum.
Pro incertis certae non bene dantur opes.

Petro Antonio Romano, Cryptalienſi, Cl. V. Authoris Fratri dilectiſſimo.

AD vada cantaſti, dulciſſime Cycne, Galeſi;
Et ſtetit ambroſio ventus, & unda ſono.
Quin fluvio Deus ipſe loci ſublimis ab alto
Saepe tuis viſus plaudere carminibus.
Orator, dederas ſapiente volumina pennâ.
Tam gravis eloquio Tullius alter eras.
Sacra tuis luſtrata notis ſunt Biblia; & aureum
Teſtis adhuc vivit qui bene ſcripſit Opus.

Ad

Ad lychnum (ſic Fama ſonat) vigilata Cleanthis
Omnia divino praenituere ſtilo.
His oculis, his, inquam, oculis (heu fata!) reviſi
Bina voluminibus ſcrinia plena tuis.
At nunc alter habet mutato nomine; & audet
Fur monumenta inhians ferre aliena typis.
Non tibi ſcripſiſti, Frater ſuaviſſime rerum.
,, Sic vos non vobis mellificatis, apes.

In Poëtam ineptum.

AUdin, ut horriſonum, dura ad faſtidia gentis,
Foeda paludoſis Rana coaxat aquis?
Cernin, ut hoc animal nullis eſt utile rebus,
Et, praeter ſtrepitum, nil ſalis ore vomit?
Non aliter cantas, ludi reverende Magiſter;
Nec pudet iratis taedia ferre Choris.
Inflato ad nugas modulamine pectora temtas
Pellicere, & ſtomachum garrulitate moves.
Quàm ſapidè hos Frater Ranas meus eſſe Poëtas
Scripſit; hianſque boni carmen habere nihil!
I, cantus modò perge tuos extollere vates.
Rana es, & in ſtudiis Rana ferère tuis.

De Chromi, & Corace ejus filio, aleâ ludentibus.

ET Pater, & Genitus ludunt: favet alea Patri,
Solvere prompta Chromi cogitur aera Corax.
Ille lucrum feciſſe putat, nullam iſte monetae
Jacturam; diſpar ſors ubi utrique fuit.
Fallitur ille tamen, non fallitur iſte. Vel unus
Judicium, nullum penè vel alter habet.
Collectos Genitor nummos deponit in arcâ.
Quod cupit, ex arcâ Filius omne rapit.
Non facit ergo Pater, quanquàm favet alea, lucrum:
Nec Satus amittit, det licèt aera Patri.

Artaxerxes aridas ficus, & panem bordeaceum comedere coactus, Dii boni, inquit, cujuſmodi voluptatis hactenus expers fui!

HOſtis habet raptas, cùm Perſicus effugit, eſcas.
Vexatumque fugâ macerat aucta fames.
Huic datur & panis de vili conditus hordeo,
Et ficus (pietas quid ſtudioſa negat?)
Talia Rex comedens, proh numina ſancta Deorum,
Dulcius his, inquit, nil mihi venit adhuc!

Digitized by Google

Non ficus, nec panis habent ſua mellila; ſed mel
  Ficubus, & pani dat (mihi crede) fames.

In Calliſthenem.

SIccine Ariſtotelis ſervas documenta propinqui,
  Natus Olynthiacâ, provide Scriptor, humo?
Diſce parum (monet ille) loqui. Tu plurima mordes,
  Et dare Alexandro nomina dia negas.
Auribus hinc circùm, & naſo, labiiſque reſectis,
  In caveâ pateris cum Cane clauſus iter.
Poſt caſus tandem, & gravium genus omne malorum,
  Principis irati fulmine caeſus obis.
Haeccine magna tuae ſapientia mentis? acutis
  Cede viris, Sophiae lumine cede tuae.
Quàm Lacedaemonii verbis ſapuere ſub illis!
  Eſſe ubi Alexander vult Deus, eſto Deus.

Græci de Hebraicâ Hiſtoriâ auſi ſcribere, tandiu ſunt corporis, & mentis infirmitate vexati, donec ab incœpto deſiſterent.

SAcra facer Scriptor, tractetque profana profanus,
  Dum vitium, & virtus inſimul eſſe negant.
Myſtica tentarunt monumenta notare Pelaſgi;
  Vindice ſed miſeris poena ſoluta Deo eſt.
Et bene digna ſuis haec auſibus addita merces.
  In ſacris calamus nempe profanus erat.

De Tellure hominum matre.

EXcipit haec natos, natos alit ubere pleno,
  Noſque ſemel natos ſuſtinet uſque ſuos.
Et gremio complexa, ferox ubi ſtamina rupit
  Atropos, extinctos officioſa tegit.
Ergo fidelis habet meritò cognomina matris.
  Amplius in natos quid bona mater agit?

Epigraphe ad columnam, in quâ Theleſis ſtatua galeata erat, poſitis circa pedes libris.

QUam Ducis armatam galeâ miraris adinſtar
  Aurea prae pedibus ſcripta tenere ſuis;
Haec eſt inſignis dextrâque, & mente Theleſis,
  Clarior Argivi gloria Gymnaſii,
Aonideſque habuit, Phoebumque Poëtria totum,
  Et Superûm emicuit digna locuta Choro.
Exhauſtos maribus cùm crederet omnibus Argos
  Clade Triumphator ſternere poſſe Lacon;

Femineos

Digitized by Google

Feminęos coetus armavit femina, & hoſtes
Vertere fruſtratos retro coëgit iter.
Ingenium natae veneratus ad ardua Vatis,
Robur & indomitae Principis, Hoſpes abi.

De Menedemo Lampſaceno.

Talaremque humeris tunicam, pedibuſque cothurnos,
Et circùm lumbos balthea rubra gerit.
Virga manum, Arcadicuſque caput ferale galerus
Occupat, Urbis iter dum Menedemus agit.
Deferat omne hominum ſcelus explorator ut Orco,
Egreſſum Stygiis hàc ait ire vadis.
Et Furiam pendente refert pullatus amictu,
Et terrere animos ſub novitate ſtudet.
Ne peccent homines, effingit talia. Finis
Optimus, ad finem ſed via prava ſuum eſt.

In obſcœnam Poëſim.

Fabula, & illecebrae, riſuſque miniſter amoris
Sola fuere operis meta, Poëſi, tui.
Nuptarumque animos, juvenumque, patrumque liquatos
Ducere molliculi blanda lepore ſoni.
Moribus at ſanctis, conſervandoque pudori
Ludicra feralem verba tulere luem.
Quàm bene divino meretricula dicta Platoni,
Exul ab Actaeis cogeris ire locis!

De ſacrâ Poëſi.

Caelitus afflatur candore venuſta Poëſis,
Solaque prae cunctis vim Deitatis habet.
Hac Duce fatidici cecinere oracla Prophetae:
Hac dedit & ſummo cantica Virgo Deo.
Clauſtraque Virgineo non mota pudore Sibyllae,
Natalemque Dei praecinuere diem.
Majus Olimpiacâ nil gignitur ergo Poëſi;
Nulla vel aſſimilis, doſve ſecunda viget.
Nec mirum. Terram qui voce, Polumque creavit,
Nomine fertur adhuc eſſe Poëta Deus.

Thraſybulus Mileſius eminentiores campi ſpicas decutiens baculo, Periandrum edocuit, quâ ſibi arte Corinthi tyrannidem occupare poſſet.

Solis ad occaſum Periander inardet ab ortu
Magna Corinthiaci frena tenere Throni.
Nec videt, unde ſuos abſolvere poſſit amores.
Difficiles adeó ſunt juga ad alta viae.

Digitized by Google

Conſulit argutum, molem indignatus, Amicum;
Sed tacet, & nullam dat Thraſybulus opem.
Spicarum baculo ſolùm capita ardua truncat,
Magnanimo ingreſſus pinguia in arva pede.
Percipit arcanum, & caeſis primoribus Urbis,
Imperii culmen mox Periander init.
Ergo ſi mutis reſponſa dat integra ſignis,
Signa ſat expreſſae pondera vocis habent.

Tacitus Imperator Ciceronis, & Virgilii lectione cruciabatur.

NUnc Maro, nunc Cicero legitur. Dulcedine Princeps
Carminis offenſus languet, & eloquii.
Nempe cibis veſci Tacitus conſuevit amaris.
Noxia dulcedo eſt cui placet unus acor.

Judicum Thebanorum Statuae ſine manibus.

JUdicibus ſtatuas ſi vult pulcherrima Thebe,
Deformes manibus quid ſtruit abſque ſuis?
Juſtitiae ſacroſancta Deae qui munia complent,
Munera Judicibus non capienda notat.

De Mycerino Ægyptiorum Rege, Cheopis filio.

PRoſtituit Cheopes Natam mercede; nec Aulam
Suppudet in foedum vertere proſtibulum.
Patris ad exemplar Mycerinus (inhorreat aetas)
Filiolam ſtuprat caecus amore ſuam.
Neu date nequitiae Natis exempla, Parentes.
Addiſcens Soboles crimina, pejus agit.

Mycerinus circa Filiae cadaver auratâ bove incluſum viginti coloſſos Ancillarum truncatis manibus erexit.

NOvit ubi ſtuprum Regina, furore miniſtris
Criminis Ancillis abſcidit acta manus.
Mortis ab excelsâ nodum trabe Filia nectit,
Vivere poſt tantum non animoſa nefas.
Tunc Pater extinctam illacrymans bove condit in aureâ.
Bos etenim ſignat Virginitatis opes.
Hinc Ancillarum diſponit, & inde coloſſos,
Flagitii comites quae periere ſui.

Stultius

Stultius anne aliquid tantâ queat eſſe figurâ?
  An ſtant Concubitus, Virginitaſque ſimul?
Quid facias Natae, neſcis improvide Caeſar.
  Quam cupis intactam, detegis eſſe Lupam.

Pyrrhus Epirotarum Rex, Aquila rebus bene geſtis appellatus, totam gloriam ſuis confert militibus.

Cum generoſa Aquilae cognomina Pyrrhus haberet,
  Sumere & hoc poſſet Dux ſibi jure decus;
Non ſua, ſe virtus Aquilam facit, omnibus inquit.
  Aëris implumis regna quis alta petat?
Quòd volitet nova regna ſuper, victorque feratur,
  Agminis hoc totum praedicat eſſe ſui.
Sis magnus, Pompei, dans quae ſunt Caeſaris, olli.
  Num Pyrrho, qui aliis dat ſua, major eris?

Palamedis reſponſio ad Ulyſſem, litteras non ab illo, ſed a Gruibus inventas objicientem.

Nec repperere Grues, nec quid ſit littera, norunt.
  Ordo ſedet curis per genus omne ſuis.
Nempe volant inſtructâ acie, lectique ſequuntur
  Signa Ducis, tutum quo peragratur iter.
Littera ſub Trojae mihi marte quaterna reperta eſt,
  Notus & ordo Gruum per fera bella placet.
At tu (mente licet dicaris acutus) in armis
  Ordinis exemplar non bene diſcis adhuc.
Nam vix Æneam, aut Sarpedona, & Hectora cernis,
  Mox tibi militiae linquitur ordo prior.
Ergo, littus aras, & ſal qui ſpargis, honoris
  Invidus eſſe mei ne videare, tace.

Fortuna, abjectis talaribus, alis, & pilâ, Romam ingreſſa eſt.

Temperat una ſuas Romana potentia habenas
  Oceanumque ſuper, vaſtaque Regna ſuper.
Miremur? Fortuna pilam, talaria, & alas
  Depoſuit, priſcas forte peroſa vices;
Urbis & in medio delecta ſedilia Romae
  Fixit, & aeternùm non abitura manet.
Nanque ſuis ſpoliata aliò non evolat alis,
  Amplius inſtabilem nec rotat illa pilam.
Ergo Fortunam ſi Roma habet una faventem,
  Jura poteſt terrae tradere, jura mari.

Digitized by Google

Aquila benefici meſſoris poculum, quo prius hauſto perierunt alii, ex manibus diripuit.

Implicitam ſpiris Aquilam dum ſternere Serpens
Ad fontem aggreditur praetereuntis aquae;
Falce triumphator ſinuoſa volumina truncat,
Et finit incolumem tendere meſſor avem.
Haurit egens tum victor aquam, ſociiſque miniſtrat.
Quilibet oblatam ſervidus ore bibit.
Pocula at extremus vix admovet ipſe labellis,
Ales ab ore volans pocula plena rapit.
Increpat ingratam meſſor, ſed tempore eodem
Caeſa venenatis agmina ſpectat aquis.
Tunc bene apud memores, inquit, ſtat gratia facti.
Ipſe tibi dederam vivere, tuque mihi.

De Hannone Carthaginienſi in exilium acto.

Dum rabidos cicurare modis valet Hanno Leones,
Magnaque ſubjectos pondera ferre docet;
Infremit obliquo Carthaginis ore Senatus,
Et patriâ extorrem mittit ab Urbe Ducem.
Unica in ingeniis libertas ſcilicet Afris
Sanguineo Martis parta labore ſedet.
Indociles (ajunt) ſi vir mollire Leones,
Nonne homines, in nos regnet ut ille, poteſt?

Epitaphium Androgei Tonſoris.

Hæc puerum brevis urna tegit, trieteride quartâ
Vix plenâ, Androgeon, qui lepor Urbis erat.
Ille ſuae levitate manûs mirabilis, hirtas
Nunc poliiſſe genas, nunc ſecuiſſe comas.
Sit levis huic tellus, quantum valet eſſe, ſepulto;
Viceris Artificis num levitate manum?

Demetrius Rex, ne quas Protogenis deperibat tabulas, adureret, Ialyſum Urbem non incendit.

Si, cadat ad flammas ut Ialyſus, annuit ultro
Rex, claram poterit victor habere Rhodon.
Si negat incendi, tabulae ne fortè crementur
Protogenis, duplicis non habet Urbis opes.
Nil tamen ille Rhodon curat, male Ialyſus igni
Ne cùm praecipitat, cara tabella cadat.

Naturam ingenio quo noverit ergo parentem
Pictor, Caune, tuus vincere Protogenes;
Si melius binâ Rex deligit Urbe carere,
Unam quàm tabulam ſuppoſuiſſe focis?

Perilli taurus ab Agrigentinis in mare projectus eſt.

NE ſuper Artificis ſit mentio, Herique Tyranni,
Obrutus in Siculis Bos tumulatur aquis.
Quid ni? ſi periit Phalariſque Authorque Perillus,
Bos quoque debuerat jure perire ſuus.

Ad Archytam Tarentinum radii textorii Inventorem.

LIcia quid proſunt, quid pecten, arundo, jugumque, &
Stamina, ſi radius compoſiturus abeſt?
Cùm medium inſeritur radio ſubtemen acuto,
Plurima in humanas tela redundat opes.
Hunc toto invenit tua mens laudabilis aevo,
Archyta, Oebalii gloria rara ſoli,
Perpetuùm geminus quò commodè Mundus haberet;
Et ſibi conſuleret, tegmine quiſquis eget.
Magna tibi debet Sophiàque, dataque Matheſi;
Maxima per radium Mundus uterque tuum.

De eodem, qui Columbam e ligno fecit volantem.

NUnc pennis ſubit ima ſuis, nunc ardua tranat
Artificis mirâ facta Columba manu.
Spiritus incluſâ ſic ire redire dat aurâ,
Hanc putet ut volucrem Cypria Diva ſuam.
Dicitur igne hominem quid fruſtrà animaſſe Prometheus?
Viva vel Archytae eſt, vel propè vivit Avis.

Philemon poëta Aſinum inſpiciens ficus comedentem, tanto correptus eſt gaudio, ut expiraverit.

CUm ficus Aſinus menſâ videt eſſe paratas,
Nec valet urgentem ſuſtinuiſſe famem;
Irruit in menſam, & poſitas depaſcitur eſcas,
Inceſſuque domum luſtrat, ut alter Herus.
Solvitur in riſûs tunc gaudia plena Philemon;
At riſu in medio fata ſuprema ſubit.
Sorte hilarem periiſſe ſuâ fateare Poëtam,
Quid ni? Heredem Aſinum liquerat ille domi.

De eodem.

Dicite: uter potior, cibus eſt, an riſus? Hiantem
Suſtulit ille Aſinum, ſuſtulit iſte Virum.

Chœrilus Hiſtoriographus ab Alexandro Magno pro ſingulis verſibus ſingulis Philippis donatus, tandem ab eodem inediâ confectus eſt.

Gratus Alexandro fuit ille inamabilis olim
Choerilus, Heroae conditor Hiſtoriae.
In pretium retulit, regale numiſma, Philippos,
Non ſaperet quamvis grande Poëma ſalem.
Ridiculo at poenas pro carmine ſolvit amaras,
Audiit Emathii quo male fama Ducis.
Incluſus caveâ ſtomachati ob Principis iram,
Promeruit triſti diſperiiſſe fame.
Qui prius acceptis nimis ederat helluo gazis,
Conveniens vati longa diaeta fuit.

In Sereniſſimi Infantis Philippi Borbonii nativitate Veſuvius tonat.

Borbonidum Princeps ſatus alto a ſanguine Regum
Naſcitur in ſpeculis, Pontia Villa, tuis:
Veſbius & laevum ter culmine clarus ab arduo
Intonat, & blandas ter vomit ore faces.
Trina quid arcano portendunt omina nutu?
Ter magis hic felix omnibus unus erit.

De eodem.

Nomina ut in toto Jovis Orbe Clearchus haberet,
Lecta dedit tonitrûs nomina filiolo.
Veſbius ore tonat, Caroli dum prodit in auras
Gnatus; & hunc tonitrum gentibus eſſe notat.
Principis ergo fuit ſi mens accepta Clearchi,
Regnantem Carolum quis neget eſſe Jovem?

Ad Othryaden Spartiatam.

Vocem ſanguis habet, quem vulnere ſponte dediſti;
Seque (ait) Othryades vicit, & arma virûm.
Viciſti, Argolicis ſub mutua fata peremptis,
Perdita cùm fueris poſt tua caſtra ſuper.
De quo magnanimas delecti utrinque trecenti
Conſeruere manus, jam tibi floret ager.

Digitized by Google

Ne tamen extincto Lacedaemona milite viſas,
Sponte tuo victor ſaucius enſe peris.
Robur io cruor ille tuum, declarat amorem
In Patriam ille tuum, Dux generoſe, cruor.

De Mopſo.

Mopſus apud Chionem coenare cucurrit Amicam,
Manſurum Domini Daphnida in Urbe ratus.
Daphnis at exortâ rediit ſub nocte maritus.
Coenantes alacri repperit ergo joco.
Zelotypi juſtas cor fortiùs arſit in iras;
Deque probro poenas ſumere ſuaſit acor.
Arripiens medium dejecit in ima feneſtrâ;
Illiſumque Proco cruſque, caputque fuit.
Qui caſum bene norat, ait: dic, Mopſe: palato
Ut ſapuit Chiones coena parata tuo?
Ille autem: exivi quâ vino, epuliſque gravatus,
Crede mihi, haud novi, dulcis Amice, viam.

De Accipitre ſagittâ vulnerato.

Excutiens alas nunc huc, nunc ſubdolus illuc,
Vixerat Accipiter tam bene paſtus aves.
Huic Lycus alato confixit pectora telo,
Sectatus ſtudium, caſta Diana, tuum.
Crena tamen ſtetit ante oculos morientis: apertum
Pars ingreſſa ſuum cetera corpus erat.
Ut foret Accipiter facti non immemor: olim
Ala ſibi vitam, tunc dedit ala necem.

De Tiphy.

Littoris ad notam traheret cùm Tiphys arenam
Retia, conſueto plus grave ſenſit onus.
Fortè ratus magnam cepiſſe per aequora praedam,
Signa voluptatis voce animoque dabat.
At lapidem ingentem invenit ſpe luſus inani,
Quotque ſinu piſces ollula curta capit.
Moeſtitiam coepit mox toto oſtendere vultu,
Vertere & in queſtus, qui fuit ante, jocum.
Qui prius eſt hilaris, triſtis dein ille dolebit,
Laetitiae moeror dicitur ire comes.

Diogenes ab Amicis redimi noluit.

Quid juvat argento repetenda redemptio, & auro?
Non eget hoc Comitum pignore Diogenes.
Magnanimum ſe mente ſagax vocat ille Leonem;
Et tituli ad ſonitum fronte ſuperbus abit.
Non eſt Altoris Leo ſervus, at omne Leoni
Altor ſervitium praeſtat, ineſque timet.

Si

Si Sophus ergo alitur, formidaturque, vocari
Nec ſervus debet, nec pretio redimi.

Ad Cleomenem Lacedæmoniorum Ducem, qui apud Scythas contendens meri potationibus, inſaniit.

TRes gravidi ſunt (diſce Lacon) in vite racemi,
Et variae effectus conditionis habent.
Nempe voluptatem primus fovet; alter abundat
Ebrietate; parit tertius exitium.
Pocula plena mero Rex ore bibaculus hauris:
Hauris ore iterum pocula plena mero.
Quid mirum ergo, Scythas ſi laetus, & ebrius inter,
Stultitiae extremo verteris exitio?

Anacharſis interrogatus, an eſſent in Scythia modulatores iis ſimiles, qui in convivio modulabantur, reſpondit: neque quidem vitis.

INcaluere mero, ſtomachumque moventia Amici
Carmina inurbanis evomuere modis.
Quaeſitus, Scythicis num cantus in Urbibus eſſet,
Quinetiam vitis nulla, Anacharſis ait.
Scire dedit, vino gens ebria ut illa canebat,
Ebrius & Scythico germine nullus erat.

Achilles pedum agilitate pollebat.

CUlmina vel ſegetis per ſumma volaſſet Achilles;
Laeſa nec ex curſu mollis ariſta foret.
Trans mare vel fluctu ſuſpenſus iiſſet acuto;
Pes neqbe ſuppoſitis immaduiſſet aquis.
Miramur? paſtus Cervi fuit ille medullas.
Praepete Cervinus debuit eſſe pede.

Idem Cervos aſſequebatur.

REtia non tendit, Canibus non utitur ullis.
Aſſequitur Cervos; & ſua praeda cadunt.
In celeres ſat poſſe Feras non miror Achillem:
Miror ut in Comites poſſe, Diana, tuas.

Socrates per quietem ſibi tenerum habere Cycnum viſus eſt, qui pennis repentè natis in aëra vectus,

Digitized by Google

modulamine cecinerit ſuaviſſimo.

EN puerum, barbate Senex, tibi tradit Ariſton.
Te Duce, virtutes erudiendus erit.
Parvus Ariſtoniden Olor ille Platona notabat,
Nocte ſub heſternâ jam tibi viſus Olor.
Protinus hic ſumptis tolletur in aethera pennis;
Audiet & numeros Orbis uterque ſuos.
Melle dabit Princeps manantia verba; nec alter
Par, nec Erichthoniâ dote ſecundus erit.
Inſtrue Palladias hunc ergo Magiſter ad artes,
Inſtrue. Cycneum ſic melos ore ciet.
Dulce melos, Divûm quod carmina nectare vincet;
Diceturque tuum munus, & eſſe ſuum.

Auguſtus Infans obſtrepentes Ranas ſilere coëgit.

QUòd ſileant Ranae, quae Romae ad taedia nuper
More coaxantes obſtrepuere ſuo:
Talia non faciunt (mihi crede, Infantule) caſu.
Te ſenſere novum bruta vel ipſa Deum.

Cyrus Camelorum aciem contra Lydorum equitatum inſtruit.

GRandia Lydorum proſpectans agmina Cyrus,
Se numero, & ſocios inferiore dolet.
Ingenioſus equis primo ſub Marte Camelos
Objicit: imparili tum movet arma manu.
Cùmque Camelorum circunfunduntur odores,
Conſternantur equi, terror & oſſa ſubit.
Praecipiteſque Equites abigunt, pediteſque refringunt,
Lyda necantur equis agmina trita ſuis.
Fronde triumphali ſibi tempora Cyrus obumbrat;
Soſpes & edomito victor ab hoſte redit.
Bella ciet ſtricto non ſemper dextera ferro.
Saepius aſtutum militat ingenium.

Nero per ſomnum ſibi viſus eſt formicarum obſideri multitudine.

QUid formicarum velit hoſtica turma, requiris?
Crede Nero, Infauſtum nuntiat auſpicium.
Omina aperta negas? formicas reſpice: ab uno
Noveris intuitu quid tibi fata parent.
Feralis color hiſce nigrat, terrâque teguntur.
Tectaque ſub terrâ triſte cadaver habet.
Te Romana odio gens infremit excita in unum;
Cogit & ira, merent ceu tua facta, mori.

Digitized by Google

Ergo brevi occiſus poſt tempore lumina claudes.
Sponte peri: ante diem qui perit, ille ſapit.

Menecrates Medicus petebat in mercedem, ut Infirmi, recuperatâ ſanitate, ſe Jovem appellarent.

DIcier a ſalvis cùm Juppiter appetis aegris,
Stultitiae heu quantâ tabe, miſelle, peris!
Si ſapis, eſt duplex, Sicane Menecrate, morbus:
Unus agit mentem, corpus & alter agit.
Corpore dumtaxat reliqui, tu mente laboras.
Pejor hic eſt morbus, quàm vaga turba mali.
Omnigenos pollet de corpore tollere morbos,
Reddere at incolumem te medicina nequit.

In eundem, qui hoc modo ad Ageſilaum ſcripſit: Menecrates Juppiter Ageſilao Regi ſalutem; ille verò reſpondit: Ageſilaus Menecrati ſanitatem.

ILle hominum, Divûmque Sator bene nomine fertur
Juppiter, omne Pater nam genus ille juvat.
Tu quoque communi vis Juppiter ore vocari.
Dic mihi, tam vaſto quos Pater Orbe juvas?
Si tibi non hilum, reliquis rationis an impos
Proderis? Anticyrâ nunc opus aeger habes.
En tibi Rex ſanam rogat omnia Numina mentem;
Et bene Epiſtoliis ſunt rata vota ſuis.
Nil tamen illa capis. Tantum dementia creſcit.
Vejovis eſt nomen, non Jovis ergo tuum.

Cambyſes imitari Cyri parſimoniam noluit.

CAmbyſes non ulla Patris veſtigia legit,
Cùm poterat placitis abſtinuiſſe cibis.
Miremur poſthac, ſi paſtus carne ſuorum eſt?
Suetus erat turpi multa vorare gulâ.

De eodem.

ESurit ut Genitor, panis vel ſufficit unus.
Nil eſt, cùm Soboles eſurit, una penus.
Cambyſen, Cyrumque nihil cur convenit inter?
Uſu diſſimiles ſic didicere ſuo.

De Elephanto aquam turbidam potante.

DUm bibis, increpitans Elephanto Juppiter inquit,
Limpidulâ, ut ſpeculo, te mediteris aquâ.

Inſidiis

Inſidiis condigna tuis haec praemia ſunto.
Nunc age ab aſpectu bellua cede meo.
Ille autem informem ne ſe ſpeculatus in undis,
Sentiat ire gravem tota per oſſa metum;
Cautus aquam pedibus, longâque proboſcide turbat.
Sic Jove turbatam ve renuente bibit.

Elephantus in Urbe Romà caſtigatus, quòd giros, ſaltationeſque, ut ceteri, non addiſceret, noctu ad Lunam habita documenta exercere viſus eſt.

SAltibus ut ſaltus grex totus, & orbibus orbes
Implicat, indocilis reſpuit unus opus.
Increpat iratus, punitque Magiſter inertem,
Nec ſubit inde ſui cura vel ulla cibi.
Ille ſalit, ſerâque adhibet ſub nocte recurſus;
Natus & ad lepidum cernitur eſſe jocum.
Unde poteſt ludos nullo exercere Magiſtro?
Hos Elephanta fames dura Magiſtra docet.

Cyrus ab Alexandro Magno fuſus, potionem aquæ turbidæ ſuaviſſimam dixit.

PRaelia Perſa movet, Macedûmque prementibus armis
Funditur, ac laſſus forte viâque ſitit.
Turbida fertur aqua, & nectar ſapit hauſta palato,
Quale fluit ſuperûm digna per ora Deûm.
Non aqua (crede mihi) dat nectaris ipſa saporem;
Condimenta ſitis dant modò nectar aquae.

Fames ſapidam facit omnibus eſcam. Ad Cynthiam.

GObius, & Rhombus, Conchaeque, Aurataque, Oryxque,
Gruſque, & magnificae Phaſidos amnis Aves:
Pavo, Scarus, Perdix, Acipenſer, Capparis, Alec,
Chia, & Amyclaeâ Caecuba preſſa manu:
Quae ramis foecunda ſuis dat pruna Damaſcus,
Et quid Idumaeo, Sarmaticoque jugo eſt:
Gaioli, & primi Bellaria adorea guſtûs
Accumulent menſam, Cynthia bella, tuam.
Si nihil eſuries, non reddent illa ſaporem.
Omnia quò ſapiant, condiet una fames.

Digitized by Google

CARMINUM
LIBER X.

EPIGRAMMATA.

De Eteocle, & Polynice.

AMbo diſcordes Cadmeo ſanguine fratres
 Imperii ſtudiis triſtia in arma ruunt.
Alter in alterius pugnant miſerabile vulnus.
 Alter ab alterius vulnere diſpereunt.
Extructaque pyrâ cùm corpus utrumque crematur,
 Dividit in partes ſe cita flamma duas.
Sejuncti fremuere odio, dum vita manebat;
 Funere ſejunctos hos quoque flamma notat.

Pytheas cùm Demoſthenis objiceret, quòd ejus enthymemata lucernam olerent, reſpondit Demoſthenes, non eodem pretio ſibi, & illi lucernam conſtare.

OMne oleat vigilem Graii enthymema lucernam:
 Nonne ſonare gravi pondere verba notat?
Probra quid ergo putas, cùm gloria major habetur?
 Pone tuum petulans pone ſupercilium;
Et cape reſponſum: pretio non conſtat eodem
 Sueta tibi, & tanto ſueta lucerna Viro.
Exprobrat ille tibi longae convivia noctis,
 Queis aera impatiens lurco aliena voras:
Seque refert vigilem Suadaeque, operique Minervae,
 Sidera cùm ſomnum pectora laſſa monent.
Scomma tuum confer, reſponſaque digna Magiſtro.
 Argutum ſapiunt quae magè verba ſalem?

Nauſimenis

Nauſimenis uxor liberos deprehendens in inceſtu, horrore facinoris vocem amiſit.

Vocis inhorreſcens mox perdidit organa mater,
Prolis ubi inceſtum vidit adorta ſuae.
Quàm grave, quàm nocuum eſt, quàm deteſtabile crimen,
Intuitu mutas ſi facit eſſe Animas?

Diogenes Cynicus carpere Muſicos conſuevit.

Blandula uti varias componit Muſica voces,
Concordique omnes temperat una tono;
Sic mens humanis cùm ſenſibus imperat, omnes
Unum in conſenſum docta Magiſtra trahit.
Hinc quî compoſito polleret in omnibus Heros
Judicio, dictus Muſicus ille fuit.
Ergo quid hanc artem numeris qui callet, & aure,
Conjicit in coetum ſcommata Diogenes?
Vitam inconcinnam, & diſcordem affectibus uſum
Aſpicit; & mordax conſona probra vomit.
Qui vocem, & non ſe bene temperat, haud canit ille;
Qui bene ſe, & vocem, temperat, ille canit.

Helenâ ad aras ductâ, ut ſedatae peſtis voto immolaretur, Sacrificuli gladium ſuſtulit Aquila, & ſuper juvencam demiſit.

Quo jugulanda Helena eſt, gladium rapit armiger Ales,
Inque tuum torquet, paſta juvenca, caput.
Graja juvenca Deûm ſacris arcetur ab aris:
Altera lance pari Graja juvenca ſubit.

De Alcathoo, Leonis Megara devaſtantis occiſore, ejuſque Æmulis.

Aſpera pugna ſtrepit: proprias Leo ſuſcitat iras,
Alcathouſque ſuas: aſpera pugna ſtrepit.
Impavidus quatit ille jubas, clademque minatur:
Hic paritura necem non ſecus arma movet.
Ergo trucem aggreditur duro ſub Marte Leonem;
Victor & horribili turbine ſternit humi.
Clam ſacrat Hermeti divulſam e gutture linguam.
Ara ſuperfuſo tincta cruore rubet.
Vaſtatorem Urbis ſpeculata ubi turma jacentem eſt,
Se Megarae monſtrum perdomuiſſe refert.
Regia at elinguem oſtendens ante ora Leonem,
Mendacem factis arguit ille reum.

Digitized by Google

Tunc elinguis (ait) Leo pand'tur : Invida poſthac
Natio ab elingui diſce tacere Ferâ.

P. Cornelia Annia ſe cum defuncto viro ſepeliens vivam, mandavit, ut roſis tumulus quotannis coronaretur.

ANnia dulce ſuo cum Conjuge vivere ducit;
Ducit & extincto Conjuge, dulce mori.
Ergo libens vivam in tumulum ſe damnat eundem,
Et moritur fido juncta puella viro.
Nec tumulo deſunt violarum e flore corollae,
Miſtaque purpureis lutea ferta roſis.
Haec cineri curat quid inania dona? Jugalis
Marmore in ornato vult, relegatur amor.

De Ptolemæo Lago.

CUm ditare alios, quàm ſe, magis eſſe putaris
Regificum ſtudiis, o Ptolemaee, tuis;
Nil miror, tibimet ſi nulla ſuperflua ſervas.
Vis animo proprium Regis habere decus.

De eodem.

TE Lagum dixere: decet te dicere Largum.
Nil tibi, cuncta aliis emolumenta cupis.

Anacharſis quid in homine peſſimum eſſet, quidque optimum, interrogatus, lingua, reſpondit.

LIngua bonum, melius quo Terra neque invenit uſquam;
Lingua malum, pejus quo neque Terra videt.
Optima, cùm laudat, cùm mordet, peſſima fertur.
Exercere vicem libera utramque ſolet.
Una eademque hominis ſi peſſima, & optima lingua eſt,
Mente Sophus poterat num meliore loqui?

Sicinius omnes, præter M. Craſſum, conviciis mordebat.

CArpere facta dicax aliena Sicinius audet.
Turpibus eſt Craſſus liber ab opprobriis.
In Craſſum obſequium non eſt. Dicteria Craſſi
Lingua procax in ſe ne vomat ulta, timet.

Nato Alexandro Magno,

Digitized by Google

Aquilæ duæ ſuper ejus domum inſederunt.

TEla triſulca Jovi quae regna per ardua geſtant,
  Aulicâ recta Aquilae, Pupule belle, tenent.
Ad tua cur veniant cunabula ab aethere, quaeres?
  Progeniem ſummi te Jovis eſſe putant.

De eodem.

AUgur, uterque tuo quid nuntiat Ales in ortu,
  Explicet: hoc unum mi ceciniſſe ſat eſt.
Imperii ſunt binae Aquilae tibi duplicis omen.
  Unicus Europam Rex, Aſiamque reges.

De eodem.

SUmma Aquilae ſuper aſtra Jovis ſtant nutibus ultrò;
  Nutibus alta tuis ſtant quoque tecta ſuper.
Illic digna Jovis mandata capeſſere gaudent;
  Digna, Puer, gaudent hìc tua juſſa ſequi.
Cum Jove diviſum Imperium fortaſſis habebis.
  Ille Polo, in Terris tu referère Deus.

De Corvis pullos ſuos non alentibus. Ad Alexin.

DOte exhaeredas Puerumque tuamque Puellam,
  Pulchra quòd una Venus paret, & alter Amor;
Et formam tibi avara nimis Natura negavit,
  Quo neque Therſites foedior ipſe fuit.
An Coracis mores demens imitaris ineptos?
  Hic genitos pullos non putat eſſe ſuos.
Pluma ubi molliculo ſubcandida corpore lucet,
  Suppeditat ſoboli nulla alimenta Pater.
Candicet illa licet, dum confovet incola nidum,
  Rite nigro vitam de Genitore trahit.
Et tam pulcher Hylas, & tam formoſa Lycoris
  Sanguinis eſt proles, turpis Alexi, tui.
Vera neges? tuus ergo Pater fuit Acis adulter:
  Tota tuo eſt Patri, ſed tibi nulla Venus.

De Milone Crotoniatâ in certaminibus invicto.

QUòd gerit hic humeris ſtadii loca in omnia taurum;
  Et durae pugno caedit agente manûs:
Quòd nemo e digitis malum extorquere tenenti,
  Siſtentemque valet nemo movere loco:
Geſta quòd Athletas per Olympica ſubjicit omnes,
  Altaque prodigii nomina victor habet:

Singula

Digitized by Google

Singula volventem non me ſtupor occupat ullus.
Ferre Milo gemmam ſuevit Alectoriam.

De Cæſaris irâ in Myrillum.

EXoſa ingemuit cùm Roma ad nomina Regis,
Caeſar io, non Rex (Julius inquit) ero.
Aſt ubi rapta ſuâ eſt ab imagine, teſſera Regni,
Faſcia, regales implicitura comas;
Caeſaris Authorem gravis opprimit ira Tribunum,
Conciliοque Patrum cogit abire procul.
O tumidi ambitione animum, fraudemque Tyranni!
Quem cupit eſſe, negat: quem negat eſſe, cupit.

Mandroni a remis ad Imperium evecto.

PEr dubium tibi navis erat ficulnea pontum,
Scrutaque, & urceoli, pauperieſque domi.
Pro remis nunc ſceptra, ſcyphis pro vilibus aurum,
Purpura pro lacero tegmine, & Aula caſa eſt.
Quid furis? aut animum quae tanta ſuperbia tollit?
An meritum Regis nomen habere putas?
Falleris. En nautam Populus novitate tumentem
Deſpicit, & Regem non probat eſſe ſuum.
Qui ſibi fraena negat, ſe Regem non facit unquam;
Qui ſubeunda ſibi fraena dat, ille facit.

De Cornice Aquilam laceſſente.

CRediderat Cornix inferre per oſſa tremorem,
Praelia in armigeram cùm Jovis egit Avem.
Illa autem effrontis molimina inania riſit;
Inque leve erubuit vertere tela caput.
Hoc ſatis, inquit, erit, quo fracta ſuperbia cedat:
Tanti ego te facio, quanti Elephas culicem.

Ariſtotimus ſub eâ tecti parte, in quam ſaxum projecit Aquila, cœnam præſtolatus, paulò poſt ab Hellanico interfectus eſt.

HEu fuge tecta: lapis quid ſtas? fuge culmina Regni.
En Aquila, ut fugias, nuntia ſaxa jacit.
Tu coenam expectas? longam tibi ſplendida noctem
Coena feret: mortis nox erit illa tuae.
Qui monitis monitus faciles non admovet aures,
Caſibus Author erit, ſi cadet, ille ſuis.

Diogenes, donatâ ſibi ab Alexandro ſportulâ

oſſium plenâ, caninus, inquit, hic quidem cibus, ſed donum haudquaquam regium.

PLena ſuo Princeps dat nomine dona; nec ullum
Accipientis opus, vel ſua fata videt.
Tu mihi, Rex Macedûm, verumve jocumve ſecutus,
Digna peretrantis porrigis oſſa Canis.
Si facit ad Cynicum ciſtella tot oſſibus uber,
Non facit ad dextram, Rex generoſe, tuam.
Principis imminuunt tam vilia munera honorem;
Nec majeſtatem res data dantis habet.
Aſt Canis ante fui, quoque ſum poſt munera: primum
Tu poſt haec Regis non bene nomen habes.

De Adâ, Cariæ Reginâ, in Alexandrum Magnum beneficâ.

IMmenſis condita opibus, ſtudiiſque magiſtris
Fercula Alexandro Cariça mittit Ada.
Quin etiam Regina Coquos generoſior offert.
Scilicet ut tanto menſa ſit apta Duci.
Callidus ille Coquos, pretioſaque fercula ludit.
Et mihi ſunt (inquit) fercula, ſuntque Coqui.
Frugalis mihi mane cibus compendia coenae
Inſtruit, & durum prandia noctis iter.
I nunc, mitte Coquos, & lauta obſonia. Regi
Eſt Coquus, atque cibus ſub fera bella labor.

Peſcenius Niger, militibus vinum flagitantibus, reſpondit: Nilum habetis, & vinum queritis?

QUiſquis obit Patriae tractanda negotia, apertis,
Si ſitit, expoſitam faucibus haurit aquam.
Vos vinum appetitis, dum bella paratis in hoſtes?
Nilus abundat aquis: qui ſitit, inde bibat.
Vina petant alii: fidos decet unda miniſtros;
Et bene ſuſcepti Martis ad arma facit.
Si Patriae ſervitis adhuc per bella fideles,
Non vinum famulos Urbis, at unda probat.

Idem, clamantibus militibus: vinum non accepimus, pugnare non poſſumus: Erubeſcite (inquit) illi,

qui nos vincunt, aquam tantùm bibunt.

Non gerit ergo animus, ſed vinum horrentia motu
Praelia? & a vino non niſi palma fluit?
Nec bello datur ulla manum glomerare poteſtas,
Munere ubi Bacchus non lavat ora ſuo?
Heu pudeat tales pudeat ſub pectore ſenſus
Condere: & Heroum dogmata verba crepent.
Ardenti bibit hoſtis aquam Saracenus hiatu,
Qui domuit noſtras dura ſub arma manus.
Quid juvat ergo queri, noſtros periiſſe maniplos?
Ille perit certè, cui pudor ipſe perit.

De Heſiodo.

Laurea concordes tibi ſceptra dedere Camoenae,
Ob melos Aſcraeae note Poëta lyrae.
Forſan amaritiem voluere, tuoſque labores
Pandere, Apollineum cùm ſequereris iter.
Laurus habet frondes, ſi dente terantur, amaras.
Vita fatigato quàm tibi amara fuit!

De eodem.

Laurea ſceptra geris: Vatum te dicere Regem
Quis prohibet? Regem laurea ſceptra probant.

Ejuſdem cadaver ab Interfectoribus in mare projectum, a Delphino ad litus delatum eſt.

Cantantem citharâ, quòd amicus Ariona Delphin
Litora de medio ducat ad alta mari;
Nemo ſtupet: ſiquidem trahitur dulcedine cantûs;
Nec patitur merſum deperiiſſe ſalo.
Vatis at Heſiodi quòd ſoſpitet ille cadaver,
Praeda avidis ne ſit piſcibus, hic ſtupor eſt.
Heſiodo vivus fuerit vel major Arion;
Num major fuerit mortuus Heſiodo?

In Achæum Lydorum Regem.

E Latis pedibus ſuſpenſus, Achaee, necaris;
Pactolique caput fluctuat inter aquas.
Aurum avidus, tibi regna premens ſubjecta, fuiſti.
Jure tibi auriferae ſuppeditantur aquae.

De eodem.

Averſâ

AVerſà quid, parte perit ſuſpenſus Achaeus?
Acta quid plantae, quid caput urget aquas?
Omnia poſthabitis praepoſtera legibus egit.
Debuit inverſis occubuiſſe modis.

De eodem.

SEditio in Lydis truculenta receſſibus ardet,
Rex ubi civiles haurit avarus opes.
Saevit inextinctos ignobile vulgus ad aeſtus;
Et Regem in mediâ ſeditione necat.
Funere laetatur, deteſtatumque Tyranni
Pactoli aurifluo mergit in amne caput.
Neſcis quid facias, improvida Natio, Avaro:
Flumina das auri, cui dare dragma negas.

In Dinocratem Meſſenium.

PRotrahit in multam lurco convivia noctem.
Sympoſiumque vorat, luxuriemque fovet.
Femineam indutus tunicam, ventremque gravatus
Saltat, & ad riſum pectora amica movet.
At vinum poſtquam ſtertendo edormit, & in ſe
Dinocrates, fumo praetereunte, redit;
Clamat: io efficiam, ut nodis Meſſana ſolutis
Deficiat Graeco ſubdita ab Imperio.
Ridetur. Venere, & vino qui putet, & eſcis,
Ardua judicio promere facta nequit.

In eundem.

VIna dapeſque vorat menſae paraſitus opimae;
Pulſat & alterno larga aſarota pede.
Non ducit choreas, concocta ut crapula ceſſet;
Aſt iterum, ut comedat lurco, iterumque bibat.

De Larice.

NOn ardet, ſenio licèt acta, nec accipit ignem
Arbor in Adriaco litore nota Larix.
Particulis aqueis ſcatet, & terreſtribus. Ignem
Anne aqua in adverſum, terraque abire poteſt?

De eàdem.

AEris eſt Larici ſubſtantia paucula, & ignis:
Multa tamen terrae, multa vigentis aquae.
Ignem concipiat quâ parte, vel ardeat? uſtis
Conſumi lignis, ceu lapis, illa ſolet.

Ad Priſcum.

Dum

DUm fugis iratam nullâ ratione Novercam,
Priſce, domo extorris per mare tendis iter.
Cymba ſed inſano demergitur aequoris aeſtu.
Sic nova privignus piſcibus eſca peris.
Quem duri inſequitur miſerum inclementia fati,
Parvula cùm vivat, magna pericla ſubit.

Laodamia Proteſilai Conjugis amplectens umbram, expiravit.

CUm cadit Æmonius Trojana ſub arma maritus,
Cernere vult umbram Laodamia ſuam.
Hoc unum rogat illa Deos, hoc obtinet unum;
Inter & amplexus cara puella perit.
Spiritus amborum fit amoribus unus, & exit.
Vivere an abſque animâ corpus inane poteſt?

De Eriphyle.

NE Thebana, ſuas ubi praevidet omine clades,
Bella petat, latebras Amphiaraus amat.
Nupta ſed ex auro luciata monile, latentem
Detegit; unde viri vendita vita ſui eſt.
Miremur? Si quaeque auro ſe femina vendit,
Auro Eriphyla virum vendere non poterat?

De Hypſicrateâ Mithridatis amantiſſimâ.

ET galeam, & teretes ocreas, thoracaque ahenum,
Armaque per campos Hypſicratea gerit.
Spumantem Dux urget equum, perterret & hoſtes,
Conjugis in bellis aſſecla facta ſui.
Nec diras ſub Marte faces, lethumque perhorret
Femineos inter ſueta puella Choros.
Talia neſcierat; nunc facta repentè Magiſtra eſt.
Omnia perdiſcit quàm citò, quiſquis amat!

De Calypſo.

COnjugii promitte tui, vitaeque perennis
Gaudia Dulichio, blandula Nympha, Duci.
Conſcius, illecebris quàm femina fallat, Ulyſſes,
Penelopen pactis praeferet uſque tuis.
Quilibet haec utinam premeret veſtigia Conjux!
Haud gemeret primi Nupta relicta tori.

Paridis, & Oenones Epitaphium.

OCcidit Oenone Paridis mirata cadaver:
Occidit arma ſuus ſub Meliboea Paris.
Viventes amor igne duos hos foverat unus:
Una vel extinctos hos fovet urna duos.

Ad Roſimundam, Albionis Conjugem.

DUm Regi defecta tui, calvaria patris
Pro cyatho inſervit, vi, Roſimunda, rubes.
Ille tibi, ad menſam riſuque jocoque propinat;
Gaudia nec caeſo de genitore regit.
Hanc fremis ad ſpeciem furiatâ mente. Maritum
Caedis. At improbitas creſcit, eundo magis.
Nupta virum interimis per tetra venena ſecundum!
Diſce: nefas, unum, crimina mille, parit.

De Alceſte Admeti uxore.

FAllitur, Alceſtem qui morti occumbere credit,
Hoſpes ut, hac caesâ, vivat, Apollo, tuus.
Non petit, Admeto ſit ut addita vita: peremti
Sed lmitata Patris fata, homicida perit.

De Hippolyto Calatino.

COnſulit & ſpeculum, crines & nodat in aurum,
Mentitoque genas Moecha colore linit.
Non patitur foedos hanc addere Amantibus ignes
Hippolytus, rarae norma pudicitiae.
Arripit & ſpeculum, quo picta rubeſcit imago,
Chriſte, tui, infami victima fixa Cruci.
Mollis Amans ſpectare palàm ſe fingit in illo.
Moeſta tamen tacitus ſaevit in oſſa dolor.
Exprobrat Hippolytum Meretrix, ubi talia cernit:
Cur mihi non (inquit) ſi tibi vana licent?
Vertit in impuram ſpeculum tunc ille puellam.
Sed Chriſtum, non ſe ludificata videt.
Solvitur In flammas hac femina imagine, & ardet
Quae prius in Domini frigida amore fuit.
Ah! ſpeculum accendit Sol Chriſtus: Ab ignibus iſtis
Debuit in dias Moecha abiiſſe faces.

In Oratorem die feſto Sancti Paſchalis peſſimè concionantem.

NEſcit inops, numerus, caſuſque, genuſque quid optet.
Nam genere, & caſu diſcrepat, & numero.
Quodlibet eſt verbum longè horrendiſſimus error.
Contrà ſenſa ſtrepunt ſenſa, ſonoque ruunt.
Parce, precor, Baylon, Frater ſi mille tuarum
Pro merito laudum carmine probra vomit.
Quòd fueris Martyr, rationibus ante negaram.
Non bene conveniens hoc tibi nomen erat.
Cùm tua pertuleris ferientem viſcera Fratrem,
Martyrium poſthac ſuſtinuiſſe canam.

Digitized by Google

Ad Fabianum Aurigam, cognomine Phaëtontem.

INſcius alipedes Auriga per aſpera curru
Trudis equos, impar queis bene nota manus.
Ah! tua ſuſceptis cognomina reſpice habenis.
Ne curru Phaëton praecipitere, cave.

De duobus peſſimis Poëtis.

HIc rudit, ille rudit; vomit unus & alter hiantem
Illuvie in buccam quid graveolente venit.
Nunc pede curta ſuo, nunc carmina longa profantur.
Uni quid modulo deficit, alter habet.
Patria in aſtra tamen blandita favoribus effert,
Et celebri Vatem nomine utrumque ſonat.
Archilocus Patriam opprobriis neu corripe Matrem,
Mente ſibi Gnatos conſpicit eſſe pares.

In Criſpum Muſicum.

TEſticulis pecudes vervex exurdat ademtis,
Balat ubi rauco laeta per arva ſono.
Horrida verveeis tu murmura, Criſpe, ſecurus,
Obſtruat auriculas ut ſibi Turba, facis.
Taedia uter majora parit? gravis Auctor utrique eſt.
Os ea vervecis praebet, & iſta tuum.

In Myrtili obitu.

NOn habet Harpagius ſtructam ſibi Myrtilus urnam.
Terra ſuo pueri contegit oſſa ſinu.
Uri non potuit, triſti neque marmore claudi.
Scilicet ille rogi concidit igne minor.

Barbarus Servus ob illatam Aſdrubali mortem excruciatus, inter tormenta ridebat.

SUpplicis premitur, mortem ſubiturus amaram
Servus, & in riſum ſolvitur, inque jocum.
Scilicet Aſdrubalem confoſſum cuſpide gaudet
Inferias Domino jam retuliſſe ſuo.
Fortior haec ſenſus urgente dolore voluptas
Occupat. Hinc ridens ora jocoſa tenet.

Ad Niſam Petrilli Matrem, qui inter blanditias

ai-

Digitized by Google

ab Iolâ, ejus Adultero, ſibi iteratas lacrymabatur.

BElle puer, Petrille meus (vafer inquit Iolas)
Sed puer averſas irrigat imbre genas.
Conſona blanditiis puerilibus oſcula miſcet;
Ille tamen lacrymis triſtior aſtra ferit.
Signa procax haec Niſa vides, & Adultera rides?
Et tibi judicium detegis, eſſe minus?
Blandimenta puer mendacia noſcit, & inſons
Ingemit; in riſum tu, rea mater abis?
Si puero documenta parens dare ſancta recuſas,
A puero diſcas illacrymare tuo.

In Cynnam, quæ, datis Hippolyto roſis, lilia gremio præferebat.

THaida quae ſuperas, & Laida crimine pellex,
Quid geris in tacto lilia pura ſinu?
Tota quid Hippolytum per compita labe vacantem
Vis tibi cum Cypriis, Cynna, praeire roſis?
Percupis illaeſa num Virgo pudore videri,
Cognita cùm Veneris turpe lupanar amas?
Innuis an Juvenem candore carere miniſtrum,
Quem comitem vellet caſta Diana ſuum?
Quàm male deciperis! Da lilia digna pudico:
Ad tua quae faciunt crimina, ſume roſas.
Luxuriae ſic certa tuae tu ſigna fovebis:
Signa pudicitiae ſic geret ille ſuae.

De eâdem.

LIlia qui ſpectas, ſigno neu crede pudoris.
Corpore, quae geſtat lilia, Cynna meret.
Quae praeeunt, Laſcive, roſae tibi murmure dicunt:
Eſt Venus, hanc ſi vis ſuppoſuiſſe, veni.

Puella paupercula in Monaſterio Sororum de Pœnitentiâ ſuſcipiens habitum, ſcortum credi maluit, quam Virginitatis in ſeculo jacturam facere.

DIlectus peccata tuus non fecit Ieſus:
Huic tamen innocuo ſontis imago fuit.
Virgo Deum ſine labe dedit; Solymiſque videri
Femineâ voluit ſorde notata Chóſis.
Numinis exemplar, Matriſque ſecuta, putari
Incolumi pellex Virginitate legis.

Haec

Haec ubi facta patent, quis te neget eſſe docentis
Diſcipulam Mariae, Diſcipulamque Dei?

Sybaritæ, qui gallos, & fabriles artes, ne rumoribus perturbarentur, non admittebant, Crotoniatarum armis omnino deleti ſunt.

CORporis ad luxum Sybarita, & ad otia natus,
Galloſque, & Fabros non ſinit Urbe frui.
Hoſce, voluptatem ne turbent ictibus; illos,
Ne ſomnum excutiant nocte, canendo, ſuum.
Mollitie in mediâ ſtrepit aerea turba Crotonis,
Et Sybarim extremum vertit in excidium.
Qui galli, fabrique ſono nequiere, Gradivi
Horriſonis poterant vivere fulminibus?

De iiſdem.

NOn ea ſunt Veneris, focii non arma Lyaei,
Queis movet in Sybarim bella canenda Croton.
Ferrea ſunt Martis, ſunt Pallados arma ſororis,
Unde gula interitum, luxurieſque ſubit.
Quid Venere armatos, & Baccho in ſobria prodeſt
Agmina femineâ bella ciere manu?
Aut hominum in ſolidam ductare trecenta Crotonem
Millia, ſi multis multa ruina venit?
Fracta cadunt Sybaris tenui tot millia coetu.
Diſcite; non numero vincitur, aſt animo.

Sybaritæ gari Inventores.

INſtruxiſſe epulas, terrâque marique petitis
Deliciis, Sybaris non ſatis eſſe putat.
Invenit illa garum, beet addita ut eſca palatum.
O quantùm, Comedis, ingenioſa gula eſt!

Ad Theodorum Pictorem.

PIngere dixiſti Venerem, ſed imago Dianae eſt.
Et Moechis tabulam diſplicuiſſe ſtupes?

Croton filios Athleticis certaminibus exercendos maximè curavit.

MOllities non ulla tuis, non marcida luxu
Otia ſunt gnatis, clara labore Croton.
Hoſce doces tenero certamina mater ab ungui:
Gymnade Olympiacâ nec ſinis eſſe rudes.

Victores

Victores hac arte ferunt data ſerta frequenter ;
Extera nam cedunt viribus arma ſuis.
Fas eſt, ut vincat tua ſueta labore propago.
Graeca magiſtra pales Natio, non alia eſt.

Alexander Magnus
in Phailli Athletæ fortiſſimi gloriam
Crotoni plurimas dono miſit exuvias.

VIncit Olympiacis Athleta tenacia ludis
Pectora, & ad plauſum praemia frontis habet.
Participem Macedo victoris honore Crotonem
Appetit, & largâ dat ſpolia ampla manu.
Patria multiplici fortem ſub gymnade fecit.
Ferre etiam partas Patria debet opes.

In duas Sorores, inter ſe
de mutuâ nequitiâ altercantes.

ME, Roſa, veridicum, me, Fulvia, in omnibus audi,
Quarum proſtibulo ſordet aperta domus.
Pejor in obſcoeno, contenditis, utra ſit uſu;
Nanque malam digito Patria utramque notat.
Scortorum, Roſa, crede mihi, tu peſſima es omnium.
Aſt Lupa te pejor, Fulvia, nulla datur.

Plantatis in Monialium N.N. horto
flammeolis roſis, lacteoliſque liliis,
aruerunt illæ,
iſta verò floruerunt.

SEu quia puncta pedem, miſit Cytherea cruorem;
Seu quia laſcivus vina profudit Amor;
Purpureas roſa cana comas produxit: & illam
Vult Venus eſſe ſuam, vult Amor eſſe ſuam.
Si Veneris rubra ergo roſa eſt, aut turpis Amoris;
Juſque habet omne Pudor lilia cana ſuper;
Rite roſa in caſtis aret rubicunda viretis;
Canaque Virgineo lilia odore vigent.
Arida luxuriem roſa ab agmine abeſſe Sororum
Viva pudicitiam lilia adeſſe monent.

De Pſaphone Libyco.

NE ſibi ſit longos infamia ducta per annos,
Quae magè tunc vivit, cùm periiſſe putas;
Per vitii genus omne Pſaphon, ſcelerumque notatus,
Invigilat famae conſuluiſſe ſuae.

Claudit in occultum varias penetrale volucres,
Et cicurat profugas, quâ valet arte, Feras.
Tum MAGNUS DEUS IPSE PSAPHON, cantare Magiſter
Edocet. Haec animum machina quemque latet.
Ille autem emoriens, ruptis penetrale feneſtris
Ocyùs ut pateat poſt ſua fata, jubet.
Imperio parent famuli: volucreſque volantes
MAGNUS, in aſtra canunt, eſt DEUS IPSE PSAPHON.
Creditur ergo Deus; mirandaque Templa dicantur,
Accenſiſque recens thuribus ara calet.
Qui nequam fuit ante, probi ſibi comparat auram.
O quantum aſtutis mentibus ingenium eſt!

Hermogenis Tarſenſis Epitaphium.

Hic jacet Hermogenes, aetate Sophiſta recenti.
Mentis at omne ſuae perdidit inde penu.
Nempe ſenem rerum mollis pueritia gnarum;
Ignarum puerum dura ſenecta tulit.

Eunomius Citharœdus cum Ariſtone contendens in muſicis, chordâ unâ fractâ deſtitutus eſt: ſupervolans autem Cicada, defectam ſupplevit vocem.

Ad Attalum Muſicum.

Pone ſupercilium: te voce quid, Attale, jactas,
Perfectumque manu? pone ſupercilium.
Diſcordem anne ſonum qui calleat aure, tot inter
Eſſe putas nullum? mens tibi quanta deeſt!
Cerne. Petitores ineunt certamina; uternam
Perſonet & citharâ, nobiliorque canat.
Suavis at Eunomius dum carmine pulſat eandem,
Rumpitur icta ſuae verbere chorda manûs.
Tum citharae, pravum meditata Cicada ſonorem,
Inſidet, & chordae garrula ſupplet opus.
I nunc, crede homines poſthac non noſcere, quando
Noſcere defectum bruta vel ipſa ſolent.

De eodem.

Seu ſit Mercurio, ſeu condita Apolline ab aureo
Muſica, caeleſtis noſcitur artis opus:
Hac catus Eunomius, catus hac contendit Ariſton,
Victoriſque inhiant hoſtis uterque decus.
Ille canit: citharae mox perfida chorda ſub ictu
Frangitur. Hoc vitio deficit ergo ſonus.
Tunc volat ad chordas allapſa Cicada fideles,
Supplet & harmonicâ garrulitate vices.

Hanc

Digitized by Google

Hanc poſthac opus eſſe Deûm quis deneget artem,
Si, dic, ut pateat, talia bruta gerunt?

In N. N. Aurigam furem.

DElufus ſibi luget opes Mercator ademptas,
Et, qui divitias compoſuere locis.
Frangit enim vectes Auriga, ſeraſque, catenaſque
Omnigenas, Tubulo pejor, & Autolyco.
Et rapit, & locuples congeſtos undique ſaccos
Principis effoſſo condit in hoſpitio.
His ludit, comeditque inhians, Veneremque frequentat;
Miſcet & arbitrio faſque nefaſque ſuo.
An bonus eſſe poteſt, multo quem crimine ſontem
Verrendis tenuit digna triremis aquis?

Archidami Lacedæmoniorum Principis in Chiorum Legatum exprobratio.

CHius es, & Chiis Lacedaemona perdere verbis
Niteris; aſt quantâ fraude loquare, patet.
Jam tibi rugosâ pallefcunt ora ſenectâ,
Et fucas, juvenis quò videare, caput.
In capite, inque Animâ ſi fers mendacia ſolùm,
Quomodo veridicus Nuntius eſſe potes?

In duos Poëtas, manibus poſt cantum mutuò rixantes.

POſt melos ira fremit, mentumque & tempora pugnis
Crebra manus tundit: poſt melos ira fremit.
Perculſae crepitant duro ſub vulnere malae.
Sanguinis ex reſonis dentibus unda fluit.
Tum lateri permulta cavo dant verbera: tantis
Nec mora, nec requies ictibus ulla venit.
Quid ſtupeas? Vates Cycnorum nomine gaudent,
Et melos, & mores edidicere ſuos.
Se Cycni cantuque ciunt, ictuque cruentant.
Debet uterque pares ergo adhibere modos.

De Philoxeno paraſito, qui comedens bibenſque, Gruis gulam, longioris voluptatis cauſſa, exoptabat.

VEl linguae data mollities, humorque teporque,
Ut ſapiant epulae, potus & omnis, agit:
Vel ſapor in primâ, paraſite Philoxene, linguâ,
Aut ubi radicem lingua epulantis habet:
Aut labiis linguâque ſimul, curvove palato,
Gutturis aut primis partibus eſſe ſolet.

Quid

Quid comedens Gruis ergo gulam, potanſque. per optas,
Cùm longo ex colli tramite guſtus abeſt?
Non Sophia, aſt docuit te ganea; nanque ſaporum
Haec in deſcenſu collocat ambroſiam.
Attamen a vero ſententia aberrat; & illam
Qui tenet, eſt animal, quod ratione caret.
Non homo nimirum, vis beſtia craſſa videri,
Dummodo longa tuae ſint alimenta gulae.

In eundem.

QUò vitam ducant homines, comeduntque bibuntque.
Hic vivit Barathro, quò bibat, & comedat.

Philoxenus in cibaria ſe emungebat, ut ceteris rei fœditate abhorrentibus, ſolus in conviviis omnia deglutiret.

MUli, Aſinique, & Equi, & ſimili genus omne farinâ,
Accipe quid ſueſcant, Helluo, quidve gerant.
Cùm palea, aut foenum, vel furfur, avenaque, & hordeum
Aſpectum, ut comedant, ponitur ante ſuum;
Et ſpumam, & mucum immittunt, & in illa ſalivam
Pabula, & uncta avido dulciùs ore vorant.
Id quoque, dum lepido diſcumbunt more Sodales,
Lautaque ſympoſio menſa redundat, agis.
Eſſe rear quem te? quonam te nomine dicam?
An Mulum in menſis? anne Aſinum, vel Equum?

Phocion ſecuris orationum Demoſthenis appellatus.

Ad Liventanum Cauſidicum verboſum.

QUidnam longa, quibus multum eſt, quod demere poſſis,
Dicta juvant, laſſo diſcutienda Foro?
Aſpice, ut in nugas Dux Atticus apta ſecuris
Dicitur, alterius longa ubi verba ſecat.
Non facit argutos oratio longa Patronos,
Sed brevia, applicito verba, & acuta ſale.

Hermocrates, cogente Severo Principe, deformem Antipatri filiam invitus duxit uxorem.

HErmocrates obſtat, vis Principis execrantem
Urget ad indigni vincla ineunda tori.
Hermogenes ratione negat; ſtat ſola voluntas
Principis in triſtem pro ratione virum.

Quid

Quid faciat? ſtudio tentat miſer omnia inani;
Nec valet angori conſuluiſſe ſuo.
Integer infirmem ducit Sophus ore puellam.
Laeta agit Antipater, laeta Severus agit.
Tempore ſed Nuptam catus ille repudiat apto.
Marcet & in vacuo Moecha relicta toro.
Neu vim conjugio Gnatorum adhibete Parentes.
Cornua, &, opprobrium vis ſine lege parit.

Pamphilus, Platonis auditor, decem [ut perhibent] dies inter cæſos in acie jacuit mortuus: inde ſublatus, & rogo impoſitus revixit.

Arma Neoclidis de ſanguine filius urget:
Inter at arma gravi labitur interitu.
Ictibus ergo jacet proſtrata cadavera ſubter,
Donec iter decimus lampade Phoebus agat.
Mortuus hinc trahitur, flammaeque vorandus edaci
Vix datur, ad vitam cùm redit ille ſuam.
Cur iterum incolumis poſt fata vir ultima vixit?
Veridici auditor nempe Platonis erat.
Immortalem Animam ſic pandere, idemque Magiſtri
Sic voluit factis dogma probare ſuis.

Colloquium inter Philippum Macedonum Regem, & Leonem Byzantinum.

Hæc ſunt Romuleae Byzantia moenia ſedis
Æmula: quod ſupereſt, forſitan arma dabunt.
Dic, precor: oppugnes ut noſtra haec moenia, quaenam
Impulit alta tuum cauſſa, Philippe, animum?
Magnus amor Patriae, quae te, Leo, fortis Alumno eſt,
Hac tamen ut potiar, providus arma gero.
Non opus eſt ferrum, ſed muſica Amantibus: ergo
Arma relinque manu bellica, ſume lyram.

Philippus, fruſtra obſeſſo Byzantio, quod Leonis operâ reſiſtebat, literas calumniarum plenas ad Byzantinos miſit, venalem ſibi Urbem ab eo oblatam, ſeque turpe judicaſſe victoriam ſuffurari. Hiſce acceptis,

ſuam Leo domum a Civibus circundatam intuitus, vitam laqueo finivit.

STant ope tutoris Byzantia tecta Leonis.
Ampla nec obſeſſor ferre trophaea vales.
Quid ſcribis: mala turpe puto ſuper omnia palmam
Furari, omnimodis cùm tibi clauſa via eſt?
Innocuum inſimulas quid criminis, impie Ductor,
Inque Urbem Emathias contegis inſidias?
Quot mala Byzanij optaris de ſede, Leonis
Fraudibus oppreſſi mors docet una tuis.

Eurythus Oechaliæ Rex filiam Iolen certaminis lege debitam negavit Herculi, qui & illum peremit iratus, & evertit Urbem.

ARte ſagittandi qui vicerit, Euryte, gnatos,
Vel te, praevalidas cui dat Apollo manus;
Conjugio feret ille Iolen in pignus habendam.
Pacta fides haec eſt, teſtis & Aula probat.
Jam poſito Alcides ludi in certamine vicit.
Tradere cur Iolen Rex ſine lege negas?
Laomedontis ubi ſequeris perjuria factis,
Exitus infidi ſit tuus ille Ducis.
Laomedon, & Troja gravi cadit Herculis irâ.
Oechalia ergo pari funere, tuque cades.

Hercules ab Laomedonte fraudatus Trojam, ab Eurytho Oechaliam evertit.

HEſionem hic ceti de faucibus eripit ultor;
Aſt dare Laomedon inficiatur equos.
Cladibus ergo furens Trojanam exterminat Urbem,
Perjurumque animo Laomedonta necat;
Et thalami Heſionem Telamoni in foedera jungit;
Hoſtis enim muros ſcanderat ille prior.
Pejerat evictus ſimul Eurythus arte ſagittae;
Promiſſamque Iolen, praemia parta, negat.
Æſtuat Alcides, Regemque furore trucidat;
Æquatamque ſolo proterit Oechaliam.
Tum ſub vincla Iolen, Hyllumque jugalia nectit.
Vivere nec metuunt nuptaque virque toro.
Eſt & Laomedon, atque Eurythus una malorum
Cauſſa, ubi promiſſo pignore deficiunt.
Quae majora putem perjuria? partibus aequa,
Euryte Rex, tua ſunt, ſunt tua, Laomedon.

Digitized by Google

Ad Polydorum.

TE ſuetum coenare tuo mihi more negaſti,
Cùm coenaſſe gravi te ſatiate ſciam.
Nempe domi haud coenas, ut foeda pecunia creſcat.
Coenas, quando alii te, Polydore, vocant.

Ad Criſpum.

QUi tibi ciſtellam Chioque, & pane gravatam
Mittit ab emuncto Calliodotus Avo,
Piſceſque, & lepores, fructuſque, novaſque placentas,
Quidque tuam poſſit, Criſpe, beare gulam;
Scis bene cum tantis, quae nuſquam exercet egenis,
Quid velit officiis, & quid avarus amet.
Te captate inhiat, cùm munera mittit, in hamo.
Totaque in hoc uno mens ſua conſilio eſt.
Tu tamen heredem tabulis hunc ſcribis; & heres,
Inquis, ad interitum fleverit iſte meum.
Extinctum hic vero ex animo lacrymabitur? erras.
Da nihil: immodicas tunc ruet in lacrymas.

Ad Chriſtophorum Ælium.

NUlla tibi requies: pondus fers omne laborum,
Creſcat ut in laribus res opulenta tuis.
Ditior at crebro non fit domus Ælia lucro.
Retrogrado potius cernitur ire pede.
Corradis quaecunque tuis ſudoribus, uxor
Dilapidat largâ Veſpaſiana manu.
Ergo operâ funem torques novus Ochnus inani,
Hoc ubi perpetuam paſcit Aſella famem.

In Caninium primo Conſulatûs ſui die mortuum.

TE Patriae quis fortè neget vigilaſſe, Canini?
Nunquam dormiſti, Conſul ut Urbis eras.

In eundem.

COnſulis huic Latios quid prodeſt tradere faſces,
Si ſubitò dormit qui vigilabat adhuc?

De C. Fimbriâ, & Scaevolâ.

TUrba Patrum ſancto nunc provida adeſte Senatu,
Urget enim pleno cauſſa movenda Foro.
Veſtra ſub exactâ ſententia lance rogatur.
Ergo Quirinali conſulito Hiſtoriae.

Digitized by Google

Innocuus Reus eſt, & noxius Accuſator.
Fimbria nempe ferit, Scaevola vulnus habet.
Scaevola non totum ſuſcepit corpore ferrum,
Ille ait. Hac poenam dexteritate meret.
Criminis haec ſumma eſt, Patres. Quid ſtultius uſquam?
Qui crepat Innocuum, poena ferenda Reo eſt.
Si capulo tenus ergo Reus non abdidit enſem,
Corpore nunc totum ſentiat ille ſuo.

Ad Duillium Civem Romanum.

INcaſſum quereris poſt publica probra, Duilli,
Quòd tacuit Conjux, os male olere tuum.
Non alios experta viros, non hiſce locuta eſt
Cominus. Integritas tanta cor intus alit.
Noſcere nec potuit, quòd morbo haud foeteat ullo
Os hominum; at cunctis ſic grave olere rata eſt.
Hac Senior ratione tace, ne queſtibus erres.
Vel querere hanc caſtam, ſi placet ore queri.

De Servo litigioſo.

Ad Nicoſtratum Dominum.

PAupere pauperior Servo Nicoſtrate, mittis
Cur emtum hunc parcâ conditione cibos,
Solvit ubi Domino compar in jurgia linguam?
Nempe malo nodo par petitur cuneus.
Aſpice, ut ille foro in medio rixatur, & iram
Excitat Agricolis, excitat & Laniis;
Quotque Satellitibus male verbera tunſus ab imis
Suſtinet, & quantus manat ab ore cruor.
Si cupis immunem, tu jurgia deſere primùm.
Diſcet ab exemplis ille tacere tuis.

De Q: Ælio Prætore.

PIcus ineſt capiti; triſtique tonantia ſigno
Bella canit, Patriae bella cruenta tuae.
Si volucrem interimas, mutabunt fata tenorem.
Omnigenas tandem Curia ducet opes.
Tu tamen aeterno claudes tua lumina letho,
Quòd eadem in fratres mors aget arma tuos.
Talia venturi dum praeſcius edit Aruſpex,
Ælius intrepido pectore mactat avem.
Aſt caſum Praetorque obeunt, fratreſque ſub unum.
Victa licet, feris Roma triumphat equis.
Sanguine Gnatorum venit iſte fluente triumphus.
In Patriam an poterat fervere major amor?

De eodem.

Pacta

PÆta domus felix, lacrymarum Urbs plena fuiſſet,
Incolumem Praetor ſi voluiſſet avem.
Ille tamen picum jugulare ante ora Senatûs
Maluit, ac ſterni ſe, generiſque domum,
Quàm populi praedicta ſui mala gliſcere, & Orbem
Quae domuit victrix, turpe ſubire jugum.
Sanguinis unde ſui ſit prodigus, atque Suorum?
Sic docuere Patres: ſic didicere Sati.

De Gorgiâ Epirotâ ex matre mortuâ nato.

MAtris ab exanimi praeceps elabitur alvo
Epirota, comes nec ſinit eſſe rogo.
Quis neget exortum Semeles poſt funera Bacchum?
Natus homo ſic eſt, valdiùs ergò Deus.

De eodem.

MIra dat Epirus ſpectacula. Mortua gnatum
Parturit; elatus pupulus ante, oritur.

De eodem.

MAtris, ut exiliat, puer algida viſcera rumpit.
Conjice, vir quanto robore tatus erit.

De Alexandro, & Anaximene Praeceptore.

ARdet Alexander, lethalibus eruta ut armis
Lampſacus, alta ſinu dum furit ira, cadat.
Nunquam facturum, ſtimulante vel indole, vel vi,
Jurat, Anaximenis quid petiiſſet amor.
Hic Patriae tunc ſortem animo miſeratus iniquam,
Rex, ait, hoc unum te mea vota rogant:
Dirue Lampſaciam mox dirue cladibus Urbem,
Unde tuo juſtus fervet in ore furor.
Hac tibi Anaximenis Rex, Lampſace, mente pepercit,
Caſibus o vafrum quàm valet ingenium!

De Bruti ſeveritate in filios.

EXuit hic patris pia viſcera, Amanſque rigorem
Conſulis audaces induit in Genitos.
Progenieque ſuâ vix vivere maluit orbus,
Quàm poenam in meritos non adhibere Reos.
Nam libertatis juſſit mactarier hoſtes.
Hae equidem Patriae eſt morte probatus amor.

De Polemone Athenarum Philoſopho.

ILitus unguentis Polemon, vinoque gravatus,
Et chlamydem pictus, compoſituſque caput:
Luxuriemque oculis ſpirans, & moribus, intrat
Fronte Xenocraticam turgidiore Scholam.
Hic ſedet, eloquium praeceptaque dia Magiſtri
Lulurus genitis ebrietate jocis.
Non patitur ſpeciem mirantum hanc turba Sophorum.
Effrontem in juvenem mox ſtomachata fremit.
Circùm oculos Praeceptor agit, totumque pererrat
Luminibus tacitis, nequitiamque dolet.
Tum, quantum deceat veneranda modeſtia: quantas
Praeſtet opes homini ſe moderare, docet.
Correptus Polemon ſermone ineunte medullas,
Projicit ex comtis fulgida ſerta comis.
Intra palliolum dein brachia ducta recondit,
Suetaque mentito gaudia ab ore fugat.
Denique luxuriem totam exuit, & fit acutus,
Ganeo qui fuerat, Palladis arte Sophus.
Tantum ſermo poteſt mollis dulcedine. Flecti
Quis poſthac animos aſperitate putet?

Ad Gallicum, ut clementiam exerceat.

SI te qui ſuperant in munere, vincere curas,
Utere clementi tempus in omne animo.
Vincimur in quovis dono: clementia ſummis,
Gallice, Numinibus nos facit una pares.

Alexander Magnus, & Aſinarius.

SIſte gradum vexatus agis qui fidere aſellum.
Cogeris hic caedi victima: ſiſte gradum.
Immeritum cur me perimi, innocuumque cruento
Supplicio, Macedûm Rex venerande, jubes?
Qui prius occurrat mihi portâ in aperta viatum
Egreſſo, Oraclum praecipit enſe mori.
Hunc, ita ſi res eſt, ſors morti addicit aſellum.
Hic prior occurrit nunc tibi: hic ergo cadat.
Hac tibi convictus vitam ratione remitto,
Expiet aſt aſinus Relligionis opus.
In ſacris cadat ipſe: Papae, quid fata minantur!
I nunc, & nullum mentis acumen habe.

In Q. Petilium Conſulem.

DUm montem oppugnat Letum cognomine: Amici,
Letum hodie capiam, quid dubitatis? ait.
Caeſus ab hoſte capit letum, & rem mortuus implet.
Poſſumus hunc factis dicere veridicum.

Digitized by Google

In Alexandri Magni ſuperbiam.

REx Macedo patrem pertaeſus habere Philippum,
Progeniem Ammonis ſe Jovis eſſe refert.
Exoſus Macedûm cultus, moreſque ſuorum,
Arſacidum veſtes, & nova jura legit.
Tegminibuſque ſuos mortalibus exuit artus,
Induiturque habitus aemulus ille Deûm.
Diſſimulat gnatum, civemque, hominemque; ſed acri
Non eſt quem ſimulat fronte; quid ergo? tumor.

De Equo adamuſſim picto.

CErnitis, acer equus tabulâ ceu ſpirat in aureâ?
Ducite equam: flammis hinniet ille ſuis.

De eodem.

QUem ſtupidus miraris equum, labor unicus Afri eſt.
Foenum praebe, & aquam: mox edet, atque bibet.

In Cajum Vatienum.

DUm ſtrepit Italicum ferali turbine bellum,
Indomituſque acuit cladibus arma furor:
Ancipiti ne Cajus opus ſub Marte ſequatur,
Non dubitat ſibimet ſcindere ſponte manum.
Fert aegro Vatiena animo delicta Senatus;
Inque Reum rigido Vindicis ore fremit.
Exuit ergo bonis, & tetro hunc carcere nodat,
Deſperatam Animam donec agendo vomat.
Quam renuit vitam ſub praelia honore paciſci,
Turpibus amittit vincla ſub arcta notis.

Himera Syracuſanâ Dionyſii Tyranni incolumitatem a Diis precatur.

VIderat in Patriam duros regnaſſe Tyrannos.
Hic malus, hic pejor, peſſimus ille fuit.
Ergo Syracoſiae ne poſthac nequior Urbis
Occupet imperium, Femina laſſa timet.
Quid faciat tandem non horum ignara malorûm?
Vel quâ flebilibus conſulat arte animis?
Soſpes ut in ſolio Dionyſius exigat annos,
Mane rogat faciles in ſua vota Deos.
Non amor hic in te; depone, Tyranne, tumorem:
In Patriam eſt, ne plus dein crucietur, amor.

Adoleſcens in delectu,

quem

quem M. Curius Conſul eduxerat, non reſpondens citato nomine, unà cum bonis venditus eſt.

TEmpus agi res eſt, delectum ubi Conſul adurget;
Res eſt, mandat ubi Curia, tempus agi.
Dat reſponſa celer qui nomine cunque citatur,
Servitio ut Patriae monſtret adeſſe ſuae.
Tu Romane taces, cùm poena paretur inerti?
Te praeco, & quot habes en male vendit opes.
Nil juvat ad Patrum ſanctum properare tribunal.
Servitum rigidis genibus ibis inops.
Poenis diſce tuis: Res neſcit publica Civem,
Qui data juſſa alacri neſcit amore ſequi.

Spurius Caſſius ob dominationis ſuſpicionem capitali ſupplicio affectus eſt.

MAgnificus fuerat ter Conſul in Urbe Quiritum
Nobilis in Patrum Caſſius Hiſtoriâ.
Edomitis rediit bis victor ab hoſtibus; & bis
Ductor io cecinit Roma, triumphe meus.
Nil ſpolia ampla tamen quivere, graveſque labores
Flectere Romani vimque animumque Chori.
Parvula cùm tacitè ſubiit ſuſpicio Regnum
Affectaſſe, rigor crevit, & ira Patrum.
Lethales dedit ergo miſer cum ſanguine poenas,
Immanique domûs obrutus excidio eſt.
Si factis incerta tulit ſuſpicio mortem,
Quid magè feciſſent crimina certa Reo?

De Appio Claudio cæco.

ET vitae pertaeſus adhuc, & lumine captus
Conſulit ambiguo Claudius Imperio.
Ore tonat, completque forum, Pyrrhoque negatâ
Pace, viam ad certi culmina honoris agit.
Nominet hunc quiſnam caecum, ſi quicquid honeſtum eſt
Rebus caeca ſuis, hoc Duce, Roma videt?

Ad Alexandrum Magnum.

TRanſgrederis quot Taurus agit, quot Caucaſus imbres,
Et loca montivago vix adeunda pede.
Cappadoces, Perſaſque tuis, Indoſque ſub armis,
Ægyptumque, Aſiamque, Armeniamque domas.
Juſſa Scythes, Meduſque humilis, Syruſque capeſſunt;
Quin toto Imperium victor in Orbe regis.

Digitized by Google

Et tibi poſt curas unus non ſufficit Orbis?
  Et patet anguſto machina tanta ſitu?
O decus! exigua eſt homini poſſeſſio honoris,
  Quae ſatis eſt omnes continuiſſe Deos.

De Piſiſtrati Athenienſium Tyranni in Thraſippum clementiâ.

COenat, & in Regem mordacia probra Thraſippus
  Torquet, honorati nil memor officii.
Ille ſilet, patiturque alacri convicia vultu.
  Fercula quin coenae dat meliora ſuae.
Territus & menſam ne crimine fortè relinquat,
  Dulcibus ingratum detinet alloquiis.
Dat placidi majorem animum clementia cordis.
  Conſpuit adjectis Regis in ora minis.
Majeſtas violata jacet ſub talibus auſis.
  Nec cita vindictam Principis ira fremit.
Æſtuat aſt laeſo ſoboles ſuccurrere patri.
  Ille, reum jugulet ne ſtomachata, tenet.
Cùm redit ad mentem, ſe ſponte necare Thraſippus
  Deſtinat in culpae praemia digna ſuae:
Mortis ab infami revocat Piſiſtratus ictu,
  Perpetuamque reo ſpondet amicitiam.
Proh pudor! Immerito veniam Rex Ethnicus offert.
  Chriſtiadae mites hoſtibus eſſe negant.

De Chiomarâ Orgiagontis Regis uxore, in bello Gallograeco ſtuprum coactâ pati.

PArs obit una acie, capitur pars altera Olympo,
  Tam valido Galatas Manlius enſe premit.
Capta Quirinalem decorat Regina triumphum,
  Vincere formoſas quae valet ore Deas.
Hanc ubi Centurio cuſtodit acinace inermem,
  Perfidus ad ſtuprum vi potiore trahit.
Illa fremit, laeſumque nequit tolerare pudorem.
  Ultio in ingenio confidet una ſuo.
Ergo oculos animumque tenet dum Moechus in aurum,
  Quo redimenda ſuo moeſta puella viro eſt,
Ictibus ut fodiant, Galatis mox imperat, hoſtem.
  Saucius ultrici ſic perit ille manu.
Tum caput ante pedes trudit Regina mariti;
  Innocuamque probat ſe, ſceleriſque reum.
Quae damnum patitur defenſi invita pudoris,
  Sit labefacta licet corpore, labe caret.

De eâdem.

Vicit io, quamvis ſit corpore laeſa puella.
Cur? pudor, atque animus non potuere capi.

Si Veneris tua fugit opus, Regina, voluntas,
Corpore polluto, ſtat tibi, ut ante, pudor.

Pone modum lacrymis, quid caſibus angeris ultra?
Quae venit invitis noxia, nulla venit.

Sola Anima aſſenſu, non corpus, peccat iniquo.
Si diſcors Anima eſt, flebile crimen ubi eſt?

Siqua fuit, maculam tergit tibi ſanguis adulter.
Bina tibi a bello gloria utroque venit.

Puer Macedo,
ne Alexandri ſacrificium impediret,
ardentem carbonem ſuper brachium
ex thuribulo lapſum,
immobilis ſuſtinuit.

Verte tuos age verte oculos, puerumque miniſtrum
Inſpice, Achaemenium Rex poſiture Thronum.
Uritur igne, ſilet, dat thura, premitque dolorem,
Turbet Alexandro ne ſacra coepta ſuo.
Si Macedo ardenti non flectitur igne puellus,
Quo potes Emathios vincere Marte viros?

De Themiſtio Philoſopho,
qui Epiſtolis ſuis mitiorem reddidit
Valentem Imperatorem quotidie in Orthodoxos
ſaevientem.

Aſpicis, ut victo ruit aggere ſpumeus amnis,
Et ſata, & omne bovum depopulatur opus?
Sic tumidus dum frena Valens ſibi rumpit, amicos
In Fidei Athletas caede rubente furit.
Impia non animo fert damna Themiſtius aequo.
Chriſtiadum immeritis conſulit excidiis:
Provida inhumano ſcribit documenta Tyranno,
Tingere ut innocuo ſanguine parcat humum.
Dum legit haec, potior mutat ſententia mentem.
Fit ſubitó melior qui malus ante fuit.
Tantum abſens potuit per muta volumina: praeſens
Vocibus egiſſet quid Sophus ille ſuis?

De Samſone.

ECce ſalit Samſon, Satrapis quaſi dicat: in imam
Vos quoque de tecto nunc ſalietis humum.

GAudia quanta joco Samſonis habebitis, hoſtes,
Tantus. io luctus, quando cadetis, erit.

ORe, Animâque Deum ſub fata ſuprema vocavit.
Tanta Dei, in tanto Principe cura fuit.

SEque, tuoſque, Deus, vincit, dum concidit, hoſtes.
Ad caput ergo facit bina corona ſuum.

NEu Samſon periiſſe putes: ob facta ſuperſtes
Vivit honore hominum, vivit honore Deûm.

SIve manu lanier Samſon in fruſta Leonem,
Non ſecus, ac hoedus ſi tener ille foret:
Seu citò percutiat quos edidit, Aſcale, gnatos
Urbs tua, & ereptas porrigat exuvias:
Sive oleas, viteſque omnes, ſegeteſque perurat,
Cùm ſtudet accenſis vulpibus ire faces:
Seu maxillam agitans, necet unus mille Philiſthiim,
Exponatque Feris pabula, & Alitibus:
Sunt fortis monumenta animi; non attamen auſis
Sufficiunt. Majus percupit ille decus.
Intrepidus geminas amplectitur ergo columnas,
Queis populi, & Dagon imminet alta domus.
Donec paullatim concuſſae impulſibus ambae,
Supremum horribili congemuere ſono.
Evulſaeque loco ingentem traxere ruinam,
Unde vir, atque omnes interiere acies.
Si bene, qui nequiit vinci, ſe vicit, & hoſtes,
Hoc decus Heroi quis ſatis eſſe neget?

SI de multiplici moriens habet hoſte triumphos,
Dicite, quot palmas vivus ab hoſte tulit?

SPiritus in Samſon largis ruit actus ab aſtris.
Audeat invictum quis ſuperare Ducem?

CLade poteſt ſolus Samſonem ſternere Samſon;
Immo Philiſthaeos ſternere clade poteſt.
Ille volens ſub ſaxa cadit, dum ludrica tentat.
Ergo Philiſthaei ſaxa ſub ipſa cadant.

VIvi quiſquis amat Samſonis noſcere palmas,
Diſcat, quòd populum mortuus ille necat.

Ad M. Furium Camillum,

qui

qui vix natus riſit.

DIc age, Vejentes, Senoneſque, truceſque Latinos
Num domitos, Infans, ſub tua bella vides;
Solvis & in dulces mox ora tenellula riſus,
Laetitiamque refers hac novitate tuam?
Fallor. Ad amentis rides decreta Senatûs,
Nam novus exul eris, poſt revocatus eris.

De eodem quinquies Dictatore.

ERgo Concilio probante Patrum
Dictator legitur Camillus Urbis?
Proh quantum excidium inferet Latinis,
Et Vejentibus, acribuſque Gallis!
Quot praeconia, quotque erunt ſcatentes
Dulcì nectare baſiationes,
Cùm latè ſpoliis ſuis onuſtum
Victorem excipiet frequens Senatus?
Applaudet Capitolium: triumphe,
Fauſto Marte, Camille, io triumphe.
Magnus non niſi magna poſterorum
Heros ferre ſolet trophaea faſtis.

Ad Citharam.

LUſimus, & noſtro ſonuere canore Nicaeis
Culmina, & inflexis plauſit Aternus aquis.
At modò pendentem te deſero ab ilice laſſus.
Sic potes e ramis ire redire ſuis.
Si tua fila manu quis tangere tinnula quaerat,
Inclama: o procul hinc eſto, profane, procul.
Pectine me primis pulſavit ONESSUS ab annis;
Unus ad extremum pulſet hic uſque rogum.

Ad Typographum.

NOn eadem ſors eſt, eademque beata voluptas
Carminibus, luſus quae cecinere mei.
Perpetuò vitam datur hiſce ſub aetheris auras
Ducere, & a ſerâ poſteritate legi.
Condita ſcriniolo, rapidis ſtant cetera flammis
Victima, in aeternos diſperitura dies.
Immo Panegyrici (ſunt quadraginta, vel ultra)
In decus, o Genitrix Virginis Anna, tuum,
Quos vigil elapſis bibit aure Teate ſub annis,
Gurgite Lethaeae corripientur aquae.
Noſcere ſi cauſſam diſcriminis expetis: omnia
Hic Liber in loculis, illa habuere nihil.

Digitized by Google

DE INVENTIONE CORPORIS
S. EUSANII
MARTYRIS,

Ejuſque mirificâ Vitâ
Hiſtorico more deſcriptâ.

AD ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOMINUM
D. JOSEPHUM COPPOLA,
Vigilantiſſimum Aquilæ in Veſtinis Epiſcopum, ac Regium Conſiliarium.

DIc age, quid tacitis decus omne receſſibus abdis,
  Tempus, inexpleto gutture ſemper edax?
Aut quid amicitiae conjunctam foedere Noctem,
  Turbine ut involvat facta viroſque, trahis?
Num, fuſcis quia rapta diu complectitur alis
  Pignora, Sole putas ſint caritura ſuo?
Quàm male deciperis tuque, & Nox invida! recti
  Expers conſilii vis, citò molè ruit.
Aſpice, praecipites ceu machina fertur in Euros,
  Et tua fruſtrato cura labore cadit.
Sidera ubi feriit Furconia vertice quondam,
  Crevit & in titulis Aula Amiterna prior,
Plura avidis Populorum oculis per ſecla negaſti
  Obruta ſub latebris Martyris oſſa ſui.
Triſtibus Euſanii ſqualebant Lipſana foſſis:
  Audiit ignotus vota nec ulla ſitus.
Incitus ardenti repetebat amore Viator:
  Martyris, heus Cives, nobile corpus ubi eſt?
Ignari erramus rerumque, hominumque, locorumque
  Ingenuâ huc acti relligione animi.
Dicite: conceptum prodeſt geminare calorem,
  Unde cor in teneras ſentiat ire faces.
Dicite: ut ante aras noſtrâ cadat hoſtia dextrâ,
  Et cinerem decorent thura cremata ſuum.
Nam digito externis monſtrare poteſtis Amicis,
  Huc prece qui properant dicere: Martyr ave.
Martyris oblatus Fidei in munimina ſanguis
  Jure ſibi omnigenum vendicat obſequium.
Illi autem largo madidi vaga lumina fletu:
  Heu! locus, Heroëm quo poſuere, latet.
Quaerere relliquias fuit anxia cura repoſtas,
  Condere & auguſto digna trophaea Throno.

Nil intentatum, nil quiſque reliquit inauſum,
Duceret ut nitidos Urna beata dies.
Lapſa ſed indicium patuit per ſecula nullum.
Quod magis urget, adhuc neſcia turba ſumus.
Ergo labor celeres evanuit omnis in auras;
Primaque de noſtro ſpes ruit acta ſinu.
Talia jactarunt quotquot Furconia paſcit:
Per ſua nec verti deſiit ora dolor.
Fulſit at illa dies, Cretenſe notanda lapillo,
Illuſtrare ſacras quae face novit opes.
Quicquid fata aliis, ſapientia fata, negarunt,
Dant Animae ſtudiis, magne Ioſephe, tuae.
Poſt varios motus, exantlatoſque labores
Meta tibi ad fauſtum tangitur auſpicium.
Euſanii extructo reperis ſacra Lipſana buſto,
Lipſana devotis nunc bene culta Choris.
Hoc largus tibi nempe decus ſervarat Olympus.
Unicus hoc inter millia dignus eras.
Nanque Sacerdotem te viderat ille fidelem,
Numinis electâ cui placet ire viâ.
Non ſecus Iſacidis ignota petentibus olim
Vallis erat, ſuperi concava teſqua foci.
Plenus ubi Solymam zeloque fideque Sacerdos
Attigit ex Regnis, Perſica turba, tuis:
Suntque minae Templi ingentes, aequataque Caelo
Machina, ut in medio Numen honore foret:
Paruit Hebraeis vetus ille Nepotibus ignis
In craſſam putei per loca verſus aquam.
Hac holocauſta tamen ſparſere recentia circùm,
Lignaque propitio ritè adolenda Deo.
Lumina cùm tenebris Sol miſit ab axe fugatis,
Arſit in accenſo victima grata rogo.
Tunc hymnis, moduliſque virûm, ſtudiiſque faventum
Tecta Sionaei conſonuere jugi.
Non hic, auriferas ubi Martyris Urna ſub auras
Prodiit, in totâ defuit Urbe ſonus.
Sive diem Phoebus de littore ferret Eoo,
Seu ſua in Heſperias plauſtra citaret aquas;
Incaluere Deo laudeſque preceſque Datori,
Gloria quo, Joſeph, nuper adaucta tua eſt.
Plauſibus ergo viae, pulſuſque remugiit aether;
Crevit & hinc pietas, crevit & inde fides.
Euſanio (vox una fuit) duce, & auſpice vitae,
Alter erit Populi ſenſus, & alter amor.
Nunc lacrymae dulces ſuper ora genaſque redundent.
Quid gravis ante dolor flevit, adoret adhuc.
Nunc procul o triſtes, procul hinc abſcedite luctus.
Non facit ad noſtras moeror ineptus opes.
Auxilii Gnatis quid non ſperare licebit,
Incola praeſenti ſi favet ore Pater?
Haec monumenta animi, zelique fuere recentis:
Aſt operi debent haec, Coryphaee, tuo.

Nam

Digitized by Google

Nam vigilans ſuper ipſe gregem, commiſſaque Paſtor
Paſcua, & aggreſſus grande laboris iter;
Omnia luſtraſti, quò Lipſana ad aſtra micarent.
Publica ſic voti pignora compos habes.
Nec flammis ſatis iſta tuis, genioque videntur.
Euſanii ardores Martyriumque notas.
Scilicet ut ſolidis quantùm virtutibus Heros
Audeat armatus, Mundus uterque legat.
Nobilibus Fidei lac dulce Parentibus ortus
Ebibit; inque ſuo creſcit amore ſitis.
Olli fida comes magnae ſapientia mentis.
Praevalet hac Terrae noſcere luce dolos.

Siponti in Apulià naſcitur S. Euſanius Martyr.

Dilectuſque Deo Populiſque, calore Sacerdos
Ad cor vim ſuperam ſentit eunte loqui.
Mox Diomedaeos inſtructus ab igne penates,
Quantaque ſors offert culmina, deſtituit.
Gargani quà pulſa notis quercera laborant,
Tetra ruinoſis rupibus antra ſubit.
Criminis hic vacuus, poenarum mole gravatur,
Vulnera paſturus, quae ſibi fecit Amor.

Sacerdos Eremum montis Gargani ſibi deligit.

Inque foraminibus petrae, rigidaeque cavernâ
Maceriae, dotes contegit uſque ſuas.
Sed velut oppoſitis clauſus fornacibus, acres
Ignis agit flammas, quà data porta ſibi eſt;
Virtutum latebris ſic gloria operta ſuarum
Panditur, auratum Solis adepta jubar.
Fortè dies puerum ſub funere merſit acerbo,
Decidit unde ſuo pulcher ab ore color.

Puer Diocletianus nomine.

Purpureus veluti duro ſuccíſus aratro
Narciſſus moritur, formaque tota fugit:
Aut roſa, delapſam quam pollice Virgo ſub igneo
Inter ſpinoſas Sole reliquit acus.
Unicus ille datus vidui ſolatia lecti,
Unicus ille ſuae ſpes Genitricis erat.
Extinctum miſeranda Parens magis indolet, aureas
Sciſſa comas, pectus tunſa, cruenta genas.
Cùm ſingultantem, nimioque dolore gravatam
Occupat exiguus laſſa per oſſa ſopor;
Nocte ſuper mediâ monet Aliger, aegra cadaver
Deferat Euſanio, ſubſidiumque roget.
Itur in umbroſam ſilvam, ſtabula alta Ferarum.
Hinc Viduam, atque illinc Civica turba fovent.
Quin miſerata, novis plangoribus aëra pulſant.
Ingens exitium ſaxa vel ipſa movet.
Audiit & luctum, & cauſſam ſuper omnia luctûs
Accola Gargani novit ab uſque ſpecu.

Nobilis mulier ab Angelo monita, mortui filii corpuſculum ad S. Euſanium deſert, & vivum recipit.

Lethalem ut pueri maciem circùm undique vidit,
Membraque Riphaeâ frigidiora nive;
Suppliciiſque jubet, lacrymiſque frequentibus Heros
Parcere. Sat lacrymis ſuppliciiſque datum.
Inque preces & vota animi liquefactus Amator,
Solatura ſuos vertit ad aſtra oculos.

Blandulus

Blandulus ecce puer (cunctis mirabile viſu)
Surgit, & in medios proſilit ipſe Choros.
Matris & amplexans collum, dedit oſcula labris,
Oſcula Cecropio dulcia melle magis.
Prodigium mirata phalanx, urgentque roganique,
Paſtor ut errantes ducat amicus oves.

Epiſcopatum fugit.

Cognitus, illuſtres quos porrigit Infula honores,
Reſpuit; & vacuas ſuſtinet ire preces.

Siponto profectus in agrum Reatinum pervenit, ubi caecam Mulierem nomine Theoconiam illuminat.

Ardet abire fuga, patrioſque relinquere campos.
Sic humilis ſenſus, ſic data norma docent.
Ergo Reatinam poſt tot diſcrimina rerum,
Caelite delatus flamine, tangis humum.
Exultaſſe ferunt, has Divus ut attigit oras,
Monticulum, viridi ceu ſolet Agna loco.
Interea citimas exercita adeſſe per Urbes
Fama Virum, Domini qui calet igne, refert.
Nulla mora eſt. Mulier, quae luminis orba miniſtro
Praetentat baculo per tria luſtra viam,
Fit coram; ſoloque manus miracula nutu
Sentit, & incolumis lumen, ut ante, videt.

A Valvenſibus repellitur, qui tempeſtate puniuntur.

Grata Viro haec audit: Valvenſis at impia pubes
Exiguum laſſo denegat hoſpitium.
Infelix! te quippe nefas, te triſte manebit
Supplicium. Seris aſtra coles precibus.
Fallor? an e toto mox imbribus aethere fuſis,
Horrida tempeſtas vel ſine more furit?
Ardua terrarum jam murmure, & arva tremiſcunt;
Jamque gravis noctem turbo, hiememque parit.
Bella gerunt venti, fera bella, micantque per auras
Fulmina, & irato perſonat axe fragor.
Turbida portendunt meritos tibi tempora caſus.
Scilicet inſequitur crimina poena comes.
En perit huc illuc diſperſa frementibus Auſtris
Meſſis, & amiſſas area luget opes.
In parteſque volat varias, atque impete fertur
Perdita, quae paleas exuit ante, Ceres.
Quis tibi, quis miſerae, dum cernis talia, ſenſus?
I modò, & hoſpitium, turba maligna, nega.
Ah! ſerus oſſa dolor tibi conterit omnia; ſupplex
Unde Patrem ad veniam ſubſidiumque moves.

Precibus tempeſtatem ſedat.

Mitigat iſte notos tempeſtateſque ſonantes,
Tranquillumque jubet Sole nitere diem.
Ubere nec lacrymas patitur turgeſcere rivo;
Dura vel exitiis gliſcere fata magis.
Attonitis haec monſtra oculis dum ſpectat Aternus,
Et circumfuſae prae novitate Animae,
Hic quis erit (repetunt) cui venti atraeque procellae
Depoſitis parent motibus? hic quis erit?

Imperat, ut ovem Ruſtico raptam Lupus reſtituat.

Prodigia ingeminant. Latè loca proxima terret,
Exit ut e ſilvis, bellua vaſta, Lupus.
Saepius ardenti furit aſper, & improbus irâ
Dum veſana fames urget; oveſque rapit.

Quò,

Digitized by Google

Quó, quò praepes abis (Pater inſit) an ore cruento
Mandere furta putas ? quàm male carpis iter !
Linque pecus, quamvis collecta fatiget edendi
Jampridem rabies, deque cruore ſuis.
Triſtibus hìc cladem neu gentibus amplius infer.
Subque alio, ſi vis vivere, vive Polo.
Conſcius audacis facti Lupus haeret; & altum
In nemus, amiſſis greſſibus, ire nequit.
Tum caudam pavitantem utero, & ſine more trementem
Subjicit, ac raptam dat pudibundus ovem.
Fervet opus. Socii genuit quae pignora lecti
Nulla, ſubit Mulier; mater & eſſe rogat.
Igneus ore preces jaculatur in aethera Divus.
Serviat ut Domino filius, illa parit.

Mulierem ſterilem oratione fœcundat.

Nunc animo ſpectare tuam, Furconia, ſedem eſt;
Teque Deo, & Gnatos conciliare tuos.
Creſcat ut una Fides, & vertice ſidera pulſet,
Recta probat magnis dogmata prodigiis.
Tempus erat, campos cùm ſicca Canicula torret,
Incurvâque ſeges falce reſecta cadit.
O fratres ſalvete mei (Meſſoribus inquit
Euſanius) Domini vos manus alta tegat.

Agrum Furconienſem petit, & Operarios irriſores divinitùs mulctatos curat.

Illi autem tremulos naſo criſpante cachinnos
Ducere, & in fatuum flectere verba ſalem:
Ac Fidei Heroëm cunctantem, & dia parantem
Pandere ſenſa, modis ſpernere ridiculis.
Quid fera ruſticitas, mentiſque protervia inauſum
Deſerit ? occluſo tramite tentat iter.
Non datur aſt ſceleri murus: ruit ictibus. Ergo
Conſona nequitiae poena parata ſuae eſt.
Torpuit Ægaeo mox lingua ſimillima ſaxo,
Membraque Hyperboreo diriguere gelu.
Nec magè Riſores per verba artuſque moventur,
Quam ſi truncus iners, aut ſtet inepta ſilex.
Fortis Apoſtolicum pietaſque calorque cor urget.
Numine utrumque ſuo ſigna novare jubet.
Spiritus intus agit: ſolvuntur membra: redit vox:
Et potis eſt unâ plura referre prece.
Tum rerum ſuper aſtra homines attollere grates
Edocet Authori, venerat unde ſalus.
O Amor, o divinus Amor, mortalia quantùm
Corda reples opibus per genus omne tuis!
Seu tendat Dilectus iter, ſeu fortè quieſcat,
Vis, largâ ingeminet tot benefacta manu.
En ſurdumque Parens, mutumque Amiterna puellum
Exhibet; & lacrymae fluminis inſtar eunt.
Pectore longa trahens ſuſpiria Martyr ab imo,
Filiolum manibus ſuſcipit ergo ſuis.

Amiternum ingreditur, ubi puerum ſurdum, ac mutum liberat.

Protinus ille novas haurire, & reddere voces.
Caſibus incolumem ſic bona Mater habet.
Inde Reate iterum ſua lumina torquet in Urbem.
Expedit implicitam flamma beata viam.

Reate reverſus,

T t t t Jamque *ob-*

Digitized by Google

obſeſſam ab im- Jamque ſuas ſtrictis plantaſque manuſque catenis
mundo Spiritu Perſtrepit in reſonâ femina vincta domo.
Mulierem ſol- Illam Erebi exercet (fatum lacrymabile) Tortor.
vit. Illam incompoſitos urget obire modos.
Saepius & voces, & terrificos mugitus,
Singultuſque graves largior ore ciet.
Exclamantem omnes pavitant, & acerba frementem,
Praecipiteſque fugâ culmina tuta petunt,
Per loca ſiquando, Cuſtodibus inconſultis,
Tendit, ab effractis libera compedibus.
Vi multâ miſeram tunc Cari ad ſacra trahebant
Limina, Sipuntis ferret ut Hoſpes opem.
Femina at obniti contra, dum rumpere nodos
Æſtuat, ac ſtrepitus tollere in aſtra ſuos.
Qualis ubi taurus trahitur pugnator ad aras
Funibus, ore ſonos ſtrata per Urbis agit;
Et ſpumas vomit, & ſaevo ferit aëra cornu,
Sanguinis imbre avidam ne lavet ictus humum.
Circùm inſtant famuli, geminataque verbera torquent,
Perque caput quatiunt, & ſua terga ſudes.
Diffugit omne metu vulgus, deque aggere tuto
Cernere laetatur dura pericla procul;
Talis erat Mulier, tales dabat aſpera motus,
Brachia delaſſans multiplicata Ducum.
Hanc tandem ante Virum feſſi ſtatuere rogantes,
Excuteret Stygium, quo furit acta, caput.
Ecce autem patet ante oculos mirabile monſtrum,
Monſtrum, quo Genii cognita cura mali eſt.
Nunc latrare Canis, nunc vi rugire Leonis,
Nunc grunnire Suis, nunc ululare Lupi.
Quin Caeli crepitus imitari auditur, inultus
Cùm tonat, ac nigro fulminat axe Deus:
Aut ſtridorem acrem tractarum hinc inde catenarum,
Auribus aut quicquid bella moleſta parit.
Tam diras lymphata trahit de gutture voces;
Tam fera tartarei Principis ira fremit.
Inſtat vi Divus magis, increpitatque morantem,
Carpat ab obſeſſo corpore ut ille fugam.
Jamque intus trepidat Satanas, pacemque precatur:
Cur procul imperio cogis abire tuo?
Heu me! quò victus tendam, atque inglorius! heu me!
Quae loca poſt tantum dedecus apta petam!
Infernam Styga (Martyr ait) poenamque perennem.
Styx facit ad crimen, poenaque ſola tuum.
Dentibus infrendens, ſpumanſque in Tartara Daemon
Corruit: Incolumis femina nectar habet.
Spectatorum alacris ferit aurea ſidera clamor.
Et Domini famulum laude animoque ſonant.
Abit in Urbem Aſt aliis benefacta animis inferre Sacerdos
Romam. Appetit, & muros cernere, Roma, tuos;
Illacrymanſque ſacris ſua figere baſia Templis,
Sunt ubi Apoſtolici lumina bina Chori.

Quis

Digitized by Google

Quis modò quot mortis, vel quot de faucibus Orci
    Traxerit, aut numero grandia facta canat?
Non mihi tam vaſtum conceditur ire per aequor.
    Pauca tot e ſignis Martyris expediam.
Nam prius enarrem, quot terra alat Appula ariſtas,
    Adria quot piſces, quot ferat Hybla favos;
Gargara quot ſegetes, quot det Methymna racemos,
    Et Vulturnus aquas, & nigra ſilva Feras;
Quàm quot multiplices paſſis in corpore morbos
    Praeſtat opem, & ſanos ire, redire ſinit.

Ibidem Cæcos, Paralyticos, varioſque Infirmos ſanat.

Languentes multi, multi torporibus acti
    Longiùs, in multis triſtis Erinnys erat.
His male per totum ſerpentia corpus hiabant
    Ulcera: per fluidum pus grave olebat odor:
Illi non paribus vecti per compita plantis,
    In faciem o quoties procubuere ſuam!
Tum qui ducebant aegram ſine lumine vitam,
    Quoſque ſub ignivomis febribus egit acor:
Et quibus aſſiduo concuſſa tremore lababant
    Membra; Machaoniae nec valuere manus:
Omnibus aut nutu, precibuſve ferebat amicam
    Divus opem. Divus cauſſa ſalutis erat.
Atque ideò attonità miracula fronte legentes,
    Innumeri veram mox ſubiere Fidem.
Voce potenſque opere edocuit myſteria turmas
    Euſanius: Fructum ſudor in Urbe dedit.

Prædicatione complures Paganos ad Dominum convertit.

Tunc ſeptemgemini ſonuerunt carmine colles;
    Tunc hilares Tybris duxit & ipſe choros.
Sulphureis Nar albus aquis, Anioque, Velinuſque
    Audiit; & claros geſtiit ire dies.
Quin etiam placidis hauſiſſe Numicius undis
    Creditur applauſus, cùm ciit ore jocos.
Et quas Alba Animas, & quas genuere Velitrae,
    Quaſque alnit venis Tiburis uber ager;
Inſignem ſermone Virum, & virtutibus altis
    Extulerunt genio ſidera aduſque pari.
Tharſenſis Comes, & Bethſaidos acer Alumnus
    Zelumque Euſanii, conſiliumque probant.
Auriferoſque inter radios, lucemque ſerenam
    Per viſum imperio mandat uterque ſuo,
In vetus ut redeat, quod habet Furconia, Templum.
    Materiem hìc ſtudiis gloria dia parat.
Ille ſub haec: avidus ſequar o vos ſancta Polorum
    Numina, & ad nutus haec cita flamma mea eſt.
Numina adeſte, precor, ſacroſque juvate labores,
    Fructus ut exculto creſcat, honorque Deo.

SS. Apoſtoli Petrus, & Paulus S. Euſanium admonent, ut Furconium revertatur.

Dixit: & hoſpitio dat Ave; properatque ruitque:
    Deſeruit ſobolem, ſplendida Roma, tuam.
Cùm ventum ad ſedes: quid Agia requiris? ademptum
    Lumen, ut aucta tibi Virginis ara micet?
Quo Germana jacet mea Gratia, tange ſepulcrum.
    Funde tuas, etenim luce fruère, preces.

Cæca Femina, nomine Agia, tangens Gratiæ, S. Euſanii Sororis, Sepulcrum, ſta-

Orat

Digitized by Google

Statim illuminatur.

Orat ducta fide, tumulumque ſibique nigrantes
Tangit Agia oculos: luxque profecta redit.

In Regione Furconienſi multos ex Paganis ad Chriſti fidem perducit.

Et redeunt, quae certo aberant e tramite vitae,
In fidei expanſum gens inimica ſinum.
Nanque docet Martyr, ſubit ardua, ſudat, & alget,
Cara dicaturus ſaepe trophaea Deo.
Haec Satanas ubi facta videt, ſeſeque coactum
Rapta triumphanti reddere furia Polo;
Infremit, & mentem in fraudes, inque omnia verſat
Callidus, Heroëm poena ut acerba premat:
Ergo agitans alas, vel fulmine pervolat ipſo
Ocyor ad turres, Havia clara, tuas.
Tempora carpebat regali hic Priſcus in Aulâ,
Priſcus inhumano cognitus ingenio.
Horrendam Satanas faciem, & furialia membra
Exuit; inque ſacri vertitur ora viri.
Fit Myſtes cuſtoſque Jovis, Templique Sacerdos,
Regnantemque acuit vocibus hiſce animum:

Priſcus Regulus in Civitate Havienſi audit quicquid S. Euſanius verbo Dei agit.

Priſce, tot incaſſum fuſos patiere labores;
Chriſtiadumque novo creſcere honore Fidem?
Euſanius Comites (proh crimen!) homunculus ille
Faſcinat ille meos, faſcinat ille tuos.
Et Pagana docet dediſcere dogmata, & unum
Uſque tenere ſuae Relligionis iter.
Poſt illum jam tota avido Furconia greſſu
Nunc abit; antiquos nec colit ore Deos.
Stulta Jovem crebris, & Numina noſtra cachinnis
Deſpicit, & Regum juſſa, tuumque caput.
I nunc, te nimiis objecta, irriſe, periclis,
Ingratiſque tuam gentibus affer opem.
Haec adeò tibi me, Veſtina ubi regna tueris,
Ferre gravi mandat Juppiter arbitrio.
Quare age, & audaci poenas fac Advena ſolvat
Crimine, ne coeptum progrediatur opus.
Caelicolum vis magna jubet. Te nuper abuſus,
Regis in iratum ſentiat igne manum.

Mittit Præfectum Siſinnium, ut S. Euſanium vinctum ad ſe producat.

Vix ea: cùm tumidos exardet Priſcus in aeſtus,
Lumina Gorgoneo ſaevitiis angue micant.
Nec demens videt ille, velut male cuncta miniſtrat
Impetus; & rabie prava dat arma dolor.
Nec ſpatium, editque moram. Mox fervidus ad ſe
Imperat Euſanium fune rigente trahi.
Ocyùs Ardelio mandata Siſinnius explet.
Martyr ad immanem ſiſtitur ergo Thronum.

Juſſu Priſci cæditur fuſtibus, & in carcerem conjicitur.

Non agitur verbis: non vult reſponſa Tyrannus.
Fuſtibus aſpectum caeditur ante ſuum.
Culminibus crepitant quàm multâ grandine nimbi;
Tam denſa innocuus verbera Martyr habet.
Cruraque, brachiaque, atque humeri, pectuſque, caputque,
Totaque hiant ſaevis livida membra flagris.
Jactantemque utroque caput, tepidumque cruorem
Ore profundentem ducit iniqua cohors.

Semianimis

Digitized by Google

Semianimis tetro ſic carcere clauditur: artus
Mille ſuos nodi, vincula mille premunt.
Laude Deum reſonat, dum ſentit acerba dolorum,
Et ſibi ſorte datum jam decus omne putat.
Talia proſpiciens Deus aethere Amator ab aureo,
Languentem Aligeri luce manuque beat.
Continuò implicitae circùm cecidere catenae,
Mollis ut admoto cera calore fluit.

Ab Angelo liberatus, ad cellulam Oratorii ſui redit.

Praecipitem poſtes traxere ſequente ruinam
Cardine, In Urbis iter libera facta via eſt.
Sanus adoratam, quà cellula gaudet, in Ædem
Athletes gemino clarus honore redit.
Limina Carnifices videre ubi fracta, catenaſque;
Et percuſſa Reum terga dediſſe fugae;
Nuntia dant Priſco. Magis iſte furoribus ardet.
Arma fremit demens, funeris arma fremit.
Os tumet horrendum: triſti ſtant lumina flammâ.
Creditur ex Stygiis altera Erinnys aquis.

Iratus Priſcus inquiri S. Euſanium mandat.

Per cava, per ſilvas, per inhoſpita, perque receſſus
Omnigenâ inventus ſit Reus arte, jubet.
Qualis ubi cervam Venantum fraude Melampus
Sollicitum huc illuc carpere cernit iter;
Inſequitur: jam jamque tenet, ſimiliſque tenenti
Dat crepitum malis, dum ſubit ira, ſuis;
At morſu ſi fortè miſer deluſus inani eſt,
Seque nigro in ſilvae condidit illa ſpecu;
Mille terit, reteritque vias, veſtigat odorâ
Vi, luſtratque inhians, quà valet arte, locos;
Victor ut amiſſam inveniat, Dominoque moranti
Continuò praedam per nemora alta trahat:
Haud ſecus armatae ſpecies tunc illa phalangis,
Per cuncta Euſanium teſqua petentis, erat.
Orantem, atque Animas myſteria ſumma docentem
In mediis tandem repperit agminibus.
Injecere manus: pars jam cedentia nectunt
Brachia: pars collo ſtupea vincla ligant:
Stricta tenent alii, ne quid ſtruat, arma minaces:
Inque tacentem alii turpia probra vomunt.
Hoc tua ſpectaclo pariens ad tecta Sacerdos,
Havia, pertrahitur; nec feritate dolet.

Prædicantem inveniunt Satellites, & catenis ferreis ligatum in Civitatem Havienſem trahunt.

Vapulat hic inſons pugniſque & calcibus Heros,
Signa parente Jovis donec honore colat.
Reſpuit haec Divus: ſaxiſque ſonantibus aureum
Tunditur os: fluvii ſanguis adinſtar abit.

Multifariam torquetur, ejuſque os lapidibus tunditur.

Dant animum plagae: Idolum Jovis arripit: uno
Altitonans jactu in fragmina mille ruit.

Idolum Jovis confringit.

Confuſus faciem Priſcus ſibi tundit: & atro
Victorem ſubigi carcere caecus amat.
Fallitur inſanis tamen ille caloribus actus.
Nanque trophaea gerit Martyr, & ipſe cadit.

In Carcerem iterum mittitur.

En Erebi immanem bacchata caterva Tyrannum,
Nequitie expletâ, Tartara in ima trahunt.

Priſcus moritur.

S. Euſanius e carcere eductus, Praeſectum Siſinnium, Tryphoniam, Regis uxorem, Quirillum, & Eleutheriam, filios, cum Populo Havienſi baptizat.

Solvitur Euſanius: ſeſeque Siſinnius offert
Martyris ad meritos ſupplice voce pedes.
Hoc facit & Priſci pudibunda Tryphonia conjux.
Cùmque rogat veniam, ſerpit in oſſa dolor.
Hoc & Eleutheria unanimis, fraterque Quirillus,
Saepe per ingenuas imbre fluente genas.
Luſtranturque omnes ſacrà Baptiſmatis undâ.
Havia tota ſuam ſuſcipit ergo Fidem.
Poſt rerum tandem certamina Victor, apertos
Intuitus Caelos, Aligerûmque Choros
Ante Deum ſtantes, nectarque roſaſque canentes:
Gloria perpetuâ ſit tibi laude Deus:
Hanc, precor, o Animam tecum Deus accipe, dixit,
Accipe io ſtudiis ſemper amate meis.

Obdormit in Domino.

Tum Superûm exuſtus fervoribus, expiravit.
Vultus ad extremum geſtiit altus Amor.
Impoſitum feretro mirabile corpus, inhaeſit
Proh quantùm ſociis ſarcina grata humeris!
Ordine flammarum interea procedere longo
Viſa per oppletas eſt nova pompa vias.
Meta ſtatuta Choris praefulget cantibus Ædes
Virginis. Hac Martyr contumulatur humo.
Non mortis, ſpecies erat illa decora triumphi,
Gloria victori quo datur apta Duci.
Viſendi ſtudio Juveneſque, Seneſque, Puellaeque,
Omnis & Urbs ſolas deſtituere domos.
Fit via vi, corpuſque manu contingere gaudent,
Unde animiſque ſalus, corporibuſque fluit.
Nuntia luſtratas vulgatur Fama per oras,
Euſanium placidis interiiſſe focis:
Teque fovere ſacrum, Furconia amica, cadaver,
Deliciumque animae praeſidiumque tuae.

Sipontini, Valvenſes, & alii de Civitatibus & Caſtellis Furconium veniunt cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, ut S. Euſanii corpus rediment.

Feſtinavit iter Cultor Valvenſis ab agris,
Quotquot & in properis Havia miſit equis:
Et qui pura bibunt ſinnoſi flumina Aterni,
Et quos Corfinii copia dives alit:
Venit amans patrio Gargani ex vertice Civis,
Venit & ille tuus, grande Reate, Chorus:
Finitimaeque ſimul Samnitum, acieſque remotae.
Tantum animos luctum pignoris intus agit.
Voce operaque omnes, facto velut agmine, certant.
Quilibet Euſanium vendicat eſſe ſuum.
Arte laboratas veſtes, & Lydia promunt
Corporis in pretium munera, & Orbis opes.
At ſibi ſorte datum clamat Furconia, dum vi
Hic ſubit, ille inhiat, pugnat hic, ille petit.
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenae
Authorem Iliados ſic voluere ſuum.
Nox erat, & cunctas ſtudiis defeſſa diurnis
Corpora per terras coepit habere ſopor.
Jamque fragor nemorum, jamque aequora ſaeva quierant,
Oraque jam vigiles continuere Canes.

Omnis

Digitized by Google

Omnis ager tacuit; pecudeſque alacreſque volùcres,
Et quae rura colunt hiſpida, quaeque lacus;
Mulcebant ſomno ſub nocte ſilente labores,
Infeſtumque ſuis niſibus exitium.
Cùm viſus Patrum ante oculos aſtare jacentum
Martyr adhuc Phoebo clarior Euſanius.
Tum, ſic affari, & curas his demere dictis,
Diſſidium ex Populis ut procul omne foret:
Heredesque mei Fratres, Regnique beati
Participes, aequis accipite haec animis:
Hanc famulum Deus, ipſe Deus me miſit in Urbem,
Ignaros Fidei jura docere ſuae.
Non placet aeterno Superûmque hominumque Satori,
Corpus ut eripiat dextra aliena meum.
Vos igitur veſtes, argenti pondera & auri
largiùs, & reliquas reddite divitias.
Inque loco, quem monſtro, ſacrum mihi condite Templum.
Hic in pace meas ponite Relliquias.
Nam cuſtos habitabo vigil quae moenia legi,
Moenia prae cunctis tam mihi cara locis.
Dixit, & Empyream rediit feſtinus in arcem,
Diffundens roſeas, quà volat, ore faces.
Haec Fratres ubi mane ſimul ſermone ſerebant,
Omnibus ipſa eadem viſio facta patet.
Imperio parent: nitido fit marmore Templum:
Grande & ab Euſanii nomine nomen habet.
Huc lectae transferre manus cùm Lipſana tentant,
Prodigium attonitos enitet ante oculos.
Impoſitus tumulo lapis ipſe revolvitur ultrò;
Oſſaque dat cupidis aſpicienda Choris.
Suavis odor circùm vivaci e corpore manat;
Vincit & ambroſiam, vincit & ille roſas.
Sacra canunt Domino: procedit pompa: fit Echo:
Clauduntur que novo pignora ſarcophago.
Martyris oſtendunt miracla frequentia dextram;
Et quanto in ſobolem flagret amore Pater.
Haec veteris monumenta aevi referuntur; & iſthaec
Mundus adhuc geminus facta canenda ſonat:
Facta tuis nuper iuſtrata laboribus, o Sol,
Excipit unde novum Mitra Pedumque jubar;
Praecipuum, o Joſéph, noſtro decus addite ſeclo,
Creſcat ut in Faſtis Itala Terra ſuis.
I, ſequere, & ſeris monumenta Nepotibus affer.
Grandia de grandi pignora mente legent.

Apparet S. Euſanius Epiſcopis.

Tranſlatio corporis, & Miracula.

Æternam

Digitized by Google

Æternam Authoris gloriam apud Poſteros futuram.

CEu potuere datae furtivo tempore vires,
Hoc opus exegi, Faſtorum cognitus Author.
Sit quocunque modo, non hoc Jovis ira tonantis,
Non de terrifico labentia fulmina Caelo,
Nec mutabilium millena pericula rerum,
Tempora nec poterunt abolere, nec ipſa vetuſtas.
Cùm brevis ergo volet Mors ſtamina ſcindere vitae,
Scindat, & incertos mihi livida terminet annos;
Nam meliore mei ſuper aethera parte levabor,
Perpetuòque meum fiet memorabile nomen.
Quà riget & glacies, quà debacchatur & ignis,
Haec vario monumenta legent modulamine Gentes,
Unde erit, ut famà vivam poſt fata ſuperſtes.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX.

CARMINUM LIBER I.

Luctus, & Gaudia in Patriarchâ Sancto Joſeph.

LUCTUS	I.	Pag. 1.
GAUDIUM	I.	2.
LUCTUS	II.	4.
GAUDIUM	II.	6.
LUCTUS	III.	8.
GAUDIUM	III.	9.
LUCTUS	IV.	11.
GAUDIUM	IV.	13.
LUCTUS	V.	17.
GAUDIUM	V.	21.
LUCTUS	VI.	23.
GAUDIUM	VI.	26.
LUCTUS	VII.	29.
GAUDIUM	VII.	35.

CARMINUM LIBER II.

Pro Patriarchâ Sancto Joſeph

EPIGRAMMATA. 39.

CARMINUM LIBER III.

De ſeptem Doloribus Beatae Mariae Virginis.

DOLOR *I.* 55.
DOLOR *II.* 57.
DOLOR *III.* 62.
DOLOR *IV.* 67.
DOLOR *V.* 74.
DOLOR *VI.* 80.
DOLOR *VII.* 82.

De ſeptem Gaudiis Beatiſſimae Virginis Mariae.

GAUDIUM *I.* 85.
GAUDIUM *II.* 85.
GAUDIUM *III.* 86.
GAUDIUM *IV.* 86.
GAUDIUM *V.* 86.
GAUDIUM *VI.* 87.
GAUDIUM *VII.* 88.

Feſtivitates Sanctiſſimae Virginis Mariae.

In Conceptione. 89.
In Nativitate. 89.
In Praeſentatione. 90.
In Annuntiatione. 90.
In Viſitatione. 90.
In Purificatione. 91.

In Aſſumptione. 91.

CARMINUM LIBER IV.

In Sanctorum Laudem

EPIGRAMMATA.

Menſe Januarii. 92.

Menſe Februarii. 94.

Menſe Martii. 96.

Menſe Aprilis. 98.

Menſe Maii. 100.

Menſe Junii. 102.

Menſe Julii. 104.

Menſe Auguſti. 107.

Menſe Septembris. 110.

Menſe Octobris. 112.

Menſe Novembris. 114.

Menſe Decembris. 116.

In Nativitate Domini

CARMEN BUCOLICUM. 117.

CARMINUM LIBER V.

Author dictus inter Arcades Oncſſus Bolimeius morte Petri Antonii Romani, fratris ſapientiſſimi,

ſub

ſub Daphnidis nomine lacrymatur. 121.

Sub Effigie
Petri Antonii Romani. 131.

Super tumulum. 132.

Objurgationem habitam Poëta commemorat. 133.

Poëtae deprecatio. 133.

Ad Petrum Antonium, Sacerdotem Saecularem, & Angelum Mariam Romanum, Religioſum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Fratres jam mortuos. 133.

Monumenta. 138.

Animi affectio. 141.

Oblivioſum ſe dolet Poëta. 142.

Ad Cl. V. Cajetanum Maphaeum. 143.

Bernardino Valentino
Juriſconſulto Clariſſimo,
Teate Advocato,
Et Auditori ad Bellum
In Civitatis Piſcariae praeſidio. 146.

Pro Effigie Franciſci de Andrea,
Et Bernardini Valentini, J. C. 149.

Ad Somnum. 153.

Cl. V. Joſepho Aurelio de Januario. 155.

Joanni Antonio Sergio
Juriſconſulto Praeſtantiſſimo. 166.

Illuſtriſſimo Domino

D.

D. Cajetano Pachetti
Patritio Teatino,
Advocato, ac Taleacotii Auditori
Praeſtantiſſimo. 175.

CARMINUM LIBER VI.

Ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum
Dominum,
D. Fortunatum Tamburinum
S. R. E.
Cardinalem Sapientiſſimum. 177.

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino,
D. Antonio Antenorio
Archiepiſcopo Anxanenſi,
Et Regio Conſiliario. 179.

Illuſtriſſimo aequè, ac eruditiſſimo Viro
Ignatio Mariae Como
Patritio Neapolitano. 184.

In ejuſdem obitu. 195.

In funere Cl. V.
Ludovici Antonii Muratorii. 195.

In tumulum. 196.

Author ſua funera deſcribit. 199.

Ad Cl. V.
Joannem Antonium Sergium
J. C. & Advocatum Neapolitanum
De funere Illuſtriſſimi Domini
D. Antonii Maggiochi,

 Regiì

Regii Conſiliarii. 201.

Super tumulum. 207.

Pro eruditiſſimâ
Joannis Bernardini Tafuri
Hiſtoriâ
De Scriptoribus antiquis
In Regno Neapolitano natis.
Ad benevolum Lectorem. 208.

De Matthaeo Ægyptio Cl. V. 210.

Ferdinando Sanfelicio
Erectarum ante Regium Palatium
Ob natam Regis Caroli Borbonii Primogenitam
Machinarum Architecto. 213.

In ejuſdem funere. 216.

Super tumulum. 218.

In funere
Marchionis Horatii Roccae. 219.

Sub Effigie
Marchionis Horatii Roccae. 221.

Super tumulum. 222.

Sub Effigie
Franciſci de Andrea. 225.

CARMINUM LIBER VII.

EPIGRAMMATA. 226.

CARMINUM LIBER VIII.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA. 256.

CARMINUM LIBER IX.

EPIGRAMMATA. 285.

CARMINUM LIBER X.

EPIGRAMMATA. 316.

De Inventione Corporis
S. Euſanii Martyris,
Ejuſque mirificâ vitâ
Hiſtorico more deſcriptâ.
Ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dominum
D. Joſephum Coppola,
Vigilantiſſimum Aquilae in Veſtinis Epiſcopum,
ac Regium Conſilium. 345.

Æternam Authoris gloriam
apud Poſteros futuram. 350.

Admonitum te, humaniſſime Lector, velim, Typographum neque accentus, ſive acuti, ſive graves, ſive circumflexi ſint, neque puncta diphthongum ſolventia, neque cetera hujuſmodi, quae Operi ſatis eſſent, habuiſſe. Noli igitur ignorantiae referre quicquid ſine his in libello videris excuſum. De reliquo ſcias, Typorum Correctorem, dum paginae excudebantur, aliquot offendiſſe errores, ſtatimque juxta exemplar emendaſſe. Nec mirum, ſiquis inter millia ex oculis effugerit error, cùm Puerulus adhuc legere neſcius apud Typographum Compoſitor extiterit. Quocirca imprimitur hìc correctio, ut ſi fortè in hoc Volumine paginae illae ſint, quae jam excuſae erant, errores inconſultò elapſos cum ceteris inobſervatis emendes.

Errata typographica.

Pagina 12. verſu 8. *forte*, lege *forde*. Pag. 13. v. 29. *pendere*, lege *pondere*. Pag. 14. v. 9. *caetus*, lege *coetus*. Pag. 15. v. 39. *cruenram*, lege *cruentam*. Pag. 62. v. 17. *Largfluis*, lege *Largifluis*. Pag. 123. v. 33. *fondentia*, lege *frondentia*. Pag. 137. v. 16. *Chimera*, lege *Chimaera*. Pag. 142. v. 25. *quatet*, lege *quatit*. melius *premet*. Pag. 143. v. 47. *mala*, lege *malam*. Pag. 219. v. 36. *momores*, lege *memores*. Pag. 267. v. 33. *poſt poſt*, lege *poſt*. Pag. 295. v. 14. *antitodus*, lege *antidotus*. Pag. 319. v. 33. *Atletas*, lege *Athletas*. Pag. 340. v. 19. *Lathales*, lege *Lethales*.

Omiſſa Lib. VI. hìc reſtituuntur.

IN TEATINORUM
LAUDEM.

QUò, (*a*) Sinibalde, levē, quò, docte (*b*) Camarra, Poëtā,
Aut me Jure potens quò (*c*) Nicoline, rapis?
Quid celeber, (*d*) Joſephe, tuis ſuper æthera Faſtis?
Hac, (*e*) Petrocchiade, quid novitate patas?
Tu quoque, (*f*) Olaſce, Animæ mihi lumine carior ipſo,
Tuque quid ad nutus, clare (*g*) Nivalge, petis?
Me comitem an rerum molimine vultis inertem?
Non ego ſum tanti; nec mihi Apollo favet.
Dulciſonos inter ſum ſtridulus anſer Olores;
Et mea ridiculo carmina more crepant.
Scribe modò, unanimes mihi gymnade dicitis omnes,
Scribe: ſit ardoris meta Teate tui.
Materies ſatis ampla patet; quid neſcius hæres?
Erige diſpoſitum laudibus ingenium.
Excuſare juvat nec te, nec inane quid unquam eſt.
Novimus artis opes, Civis (*h*) Oneſſe, tuæ.
Stant contra, dicuntque tibi monumenta Librorum:
Es mendax. Lepido, cùm placet, ore canis.
An Patriæ male gratus eris, neque Pignora panges,
Queis majora ſuum ducit in aſtra caput?
Conſona ſi veſtræ ſedet hæc ſententia menti,
Carmina, tot titulis ſint licet ima, ſequar.
O utinam Heroo percurrant latiùs œſtro,
Urbs reliquas Urbes ſplendeat unde ſuper!
Seu bello, ſeu pace velis, tu maxima ſemper
Dicta, & apud Populos maxima ſemper eris.
Nam palmæ, nomenque tuum, laudeſque ſonarunt;
Altaque adhuc toto gloria in Orbe viget.
Roma tuas novit vireſque animoſque potentes,
Et Marrucini quid valuere Duces.
Quàm bene ſub tantis Gnatis ſibi tempora lauro
Cinxit, & Auſoniam protulit Hiſtoriam!
Scilicet excidium ſenſere his hoſtibus hoſtes;
Suntque triumphali parta trophæa manu.

Zzzz Quis

(a) *Sinibaldus Baroncinus* (b) *Lucius Camarra* (c) *Hieronymus Nicolinus.* (d) *P. Joſephus Allegranza Ordinis Predicatorum* (e) *P. Joannes Antonius Petrocchius a Sanctâ Annâ Scholarum Piarum* (f) *Xaverius de Judice, inter Arcades Olaſcus Panachæus.* (g) *Fridericus Valignanus, inter Arcades Nivalgus Haliartæus., celeberrimi Scriptores de Teate, Marrucinorum Metropoli, ejuſque veteribus monumentis.*

(h) *Nomen., quod in Arcadiâ habet Author, Civis Cryptalienſis, & Teatinus.*

Digitized by Google

Quis ſtupeat, palmæ ſi viſæ in navibus olim,
Tarpeioque jugo ſurgere prodigiis,
Cùm tua Progenies bella, horrida bella gerebat,
Luderet ut meritis digna corona comis?
Non niſi magna Parens magnam ſolet edere Prolem,
Ubere quæ retegat dote Parentis opes.
Nec pavidam audaces Aquilæ genuere Columbam,
Nec Leporem imbellem fortis in arma Leo.
Ergo ſuo Patriam fecere labore ſuperbam:
Sic virtute animi claruit illa prior.
Sedibus hiſce thronum ſtatuit per ſecula Avorum
Nobilitas, ſimilis cui prope nulla datur.
Nec quid imaginibus, quid fulta dat Aula triumphis
Vim ſatis, ut Proles nil operetur, habet.
Et Genus, & Proavos, quid & ipſa patrare nequivit,
Vix putat eſſe ſuæ conditionis opes.
Illa ſuis monumenta Patrum ſudoribus æquat,
Illuſtremque magis ſe probitate facit.
Noſcit enim, quód Gentis honor perit omnis in illo,
Cui ſteriles laudes unica origo parit.
Ergo vivit adhuc virtus animoſa Parentum
In Genitis, quotquot jactat habere Thetis.
Et bene per venas ſanguis fluit ille Nepotum,
Et quanto exiliat fonte, recludit adhuc.
Haud aliter currit ſeptena per oſtia Nilus,
Æthiopumque jugo quanta ſit unda, docet.
Hic nituit veneranda comes Sapientia in annos,
Unde ſtupor feræ poſteritatis erit.
Seu cupis Hiſtoriæ, diæque Poëſeos artem,
Seu Legum, veteris ſeu monumenta notæ,
Grande Teate probos fovet hac in gymnade Gnatos;
Invidet externis nec data dona locis.
Exultans Thebe ſine more ſuperbiit olim
Ingenio OEdipodis, conſilioque ſui.
Solvere enim Sphyngis nodoſa ænigmata novit.
Prævaluit patrios ſic decoraſſe focos.
Noſtra poteſt lætis quoque plauſibus æthera Sedes
Tundere, & omnigenis ire ſuperba modis.
En comes OEdipodis noſtro (a) Durinius ævo,
En ſub Achilleâ gloria rara Domo.
Quicquid difficile eſt, quid multâ ambage volutum,
Solvit; & his aptum mentis acumen habet.
Sedulus agnoſcit conſumpta numiſmata Doctor,
Omnia ceu noſtro tempore cuſa forent.
Huic latebras nullas ſapiens regit ergo Vetuſtas,
Fovit ubi Gnatum blanda Minerva ſinu.
Argutæque ſonum digitis atque aure Poëſis
Callet ad Etruſcum, vel Latiale jubar.
Dramata luce probant crebros decorata per annos,
Atque quid ſtudii ſervat onuſta ſui.
Tantum culta Virum prudentia Juris inaurat,
Quâ Patriam, & Populos providus ille regit.

Quin

(a) *Januarius Durinius.*

Digitized by Google

Quin & Socratico perfuſus lumine pectus,
Quæ ſibi ſit mentis gaza operoſa, notat.
Proxima felici loca ſorte (*a*) Capornius explet,
Candidus in ſtabili Legis honore comes.
Præſidio eloquii Thetidem defendit in hoſtes,
Nec ſinit infeſtis ſuccubuiſſe malis.
Spiritus eſt olli prudens ſuper omnia rerum,
Quin & avaritiæ mens inimica dolis.
Sæpius hac Urbis legitur ratione Patronus.
Quæ ſenſu unanimi gloria major erit?
Vox Populi varia eſt, tamen inſonat unica, quando
Cauſidicus Patriæ dicitur ille ſuæ.
Jure (*b*) Valentinum quid Legum Heroa peritum,
Quid mea (*c*) Lethæum Calliopea canat?
Aut quid agat, dignus quò laude ſequente (*d*) Joannes
Prodeat, & (*e*) Petro detur adeptus honor?
Ingenuuſque legat fervente (*f*) Xaverius œſtro
Quos Sociis fructus gignit amica Themis?
Non ſic, oppoſitas cùm rumpit gurgite moles,
Fertur in arva ſuis ſpumeus amnis aquis;
Cumque caſis raptat pecus omne, boumque labores,
Namque ſuperfuſo prævalet imbre nimis;
Manat ut his plenæ facundia ſtrenua linguæ,
Attonitaſque acies vi meliore trahunt.
Et bene. Conſulibus ſuper aſtra Teate refulſit.
Ergo ſtilum Soboles debet habere parem.
O fortunatam tantis Heroibus Urbem!
O duraturum per monumenta decus!
Sunt prope ſexcenti ſimili virtute Catones,
Quos gravis exanimat me celebrare labor.
Et Præſul, Cletuſque ſuus, Collegia, & æquus
Mente Magiſtratus, Curia & alta Patrum,
Et Libri, & Faſces, Mitræque, Togæque, Coronæque,
Armaque, & ignivomis Purpura multa roſis,
Non humeris portanda meis ſunt ſarcina. Vates
Sub nimio laſſus pondere deficio.
Aſt me quò tactum, (*g*) JUSTINE, nitoribus urges?
Aut ubi in applauſus audiar ire tuos?
Dicam præcipuum, memorandum, inſigne, ſtupendum,
Quod recolat longâ poſteritate Nepos.
Brachia habes, quibus eſt divina potentia; nec te
Vincere prodigiis dextra aliena poteſt.
Qui ſuper uſque Gregem vigilet tam providus, alter
Non dabitur Paſtor, ceu bone Dive facis.
Nec tibi conſimilem, nec habere in honore ſequentem
Cerneris. Es tantis unicus in ſtudiis.
Nubibus effuſis tempeſtas horrida ſurgat,
Grando ruat, venti bella ſiniſtra gerant.

(a) *Juſtinus Capornius*. (b) *Bernardinus Valentinus*.
(c) *Juſtinus Lethæus*. (d) *Joannes Xaverius Bologneſe*.
(e) *Petrus Ricciardone*. (f) *Xaverius Giuſiei*.
(g) *S. JUSTINUS Epiſcopus Civis, & principalis Protector Civitatis, & Diœceſis Teatinæ*.

Involvantque diem nimbi, & nox ſqualida Cælum
   Auferat; & nigro perſtrepat axe fragor.
Ardua terrarum tonitru, campique tremiſcant;
   Intententque animis fulmina ſpiſſa necem.
Quid fiet? miſeras procul arcet ab Urbe ruinas;
   Nec ſua JUSTINUS prata ſubeſſe ſinit.
Imperat, & dicto citius feralia ſiſtit;
   Duraque inexpletis frena dat exitiis.
Lethiferamque fugat noctem, Solemque reducit.
   Cives ergo hilares reddit, & incolumes.
Non ſic æquoreis unda undam trudit in arvis,
   Turbine cùm venti, quà data porta ruunt;
Ut nubes ſeſe impingunt, trepidæque per auras
   Extera regna petunt, cùm Patris ora vident.
Præpete ubi Tellus concuſſa tremore fatiſcit,
   Tectaque fracta labant, ſubſiliuntque ſitu;
Eminet Urbs ſtabilis: motus volvuntur inanes.
   Nec commune aliis expavet illa malum.
Hinc gazas geminata vorent incendia, & illinc,
   In cinerem vertant quicquid & igne ſubeſt.
Naturam hoc mutant, priſcoſque in culmine mores;
   Gentibus unde ſuis nulla ruina venit.
Nempe facit ſuper ipſa potens elementa potentem
   Numen, in elogium Patris, & Urbis opem.
Et Morbi, & Lethum, Bellumque, Lueſque, Fameſque,
   Invitis hominum ſpectra tremenda oculis,
Subdita JUSTINI ſtant nutibus unius omnia,
   Et ſine conſilio Patris obeſſe negant.
O Thetidos Paſtor longum memorande per ævum!
   Sunt ſimiles alii, diſſimileſne magis?
Te mare, te tellus, te ſentiat ultimus orbis;
   Conſcia virtutis ſint loca cuncta tuæ.
Quà vagus Oceanum Sol lampade luſtrat utrumque,
   Fama coronatis te vehat aucta tubis.
Conſona tot Mundus de te præconia jactet,
   Tot nomen celebrent ora diſerta tuum;
Quot frutices ſilvis, quot ſunt in littore arenæ,
   Gargara quot meſſes, quot parit Hybla favos,
Applaudat tamen ante alias tibi Patria gentes,
   Et Protectorem te canat eſſe ſuum.
Occaſus ferat ipſe diem prius, auferat ortus,
   Ignibus, & nivibus pax ſit amica prius;
Et gelidas admittat aquis renuentibus Arctos
   Nereus, & flores culta vireta negent;
Illa tibi meritos quàm reddere ceſſet honores,
   Deſerat auxilium vel memorare tuum.
Me laſſum! quàm ſerpit humi miſerabile carmen,
   Nec datur altiſono grandia obire ſtilo!
Hæc libaſſe ſat eſt. Modulis tenuare puſillis
   Magna pudet, ſuperâ poſſe nec ire viâ.
Aut mihi majores da, Dive, per ardua vires,
   Quas habuere Duces ad nova geſta mei;
Aut me tam miſero deſiſtere carmine perfer.
   Non facit ad ſummum barbitos ima Decus.

DE DIVO

DE DIVO JUSTINO.

DIa tibi rerum eſt, JUSTINE, potentia. Quidni?
In Patriæ columen facta ſtupenda probant.

In Eccleſiâ Teatinâ Monaſticam diſciplinam Clericali Ordini conjunctam reſtaurat.

MEnte diu ut leges ſacer Ordo revolvat, & unum
Rimetur vitæ candidioris iter,
Clero, Dive, tuo ſit norma Monaſtica, curas.
Scilicet hæc ſtudii meta petita tui eſt.
Ergo orat, fervenſque ſacris concentibus auras
Implet adorati turba miniſtra Dei.
Te Duce, fit populo exemplar venerabile morum;
Halat & Angelico totus odore locus.
Non aliis hæc facta modis contingere poſſunt.
Membra dari debent talia, quale caput.

Vitæ curſu in converſione Gentium expleta, Kalendis Januarii obdormit in Domino.

QUà, pie Chriſte, tui dare ſanguinis incipis imbrem,
Præſulis hac ceſſat vita laborque die.
Aſt Idololatria ſuis prius icta flagellis,
Et properanter humi procubuere Dii.
Eſt & in Urbe fides, & gloria adaucta, Redemptor
Eſt tibi Chriſte, Parens eſt tibi, Amorque tibi eſt.
JUSTINO quid erit? Divina potentia in aſtris,
Inque ſolo, merces ceu ſpecialis, erit.

Omnia ſibi ſubdit elementa.

CUm mare, cùm venti Chriſto cedentia parent,
Qualis hic eſt? inquit mota ſtupore cohors.
Omnia cùm parent JUSTINO elementa jubenti,
Pluſquam mora poteſt dicere: qualis hic eſt?

Saracenos Teatinam Urbem obſidentes ſub Columbæ ſpecie fugat.

ARma fremit Saracena phalanx, fremit arma Tyrannus;
Debile & excidii meta Teate ſui eſt.
Ergo premente tremunt imbellia mœnia faro,
Cùm nequeant validas Marte domare acies,
Gens quid agat? madefacta genas, lacerataque crines
Confugit ad Templum, Dive Patrone, tuum.
Auxiliumque rogat, pacemque precatur ad aram,
Ne cadat hoſtili victima cæſa manu.
Gnatorum bibis aure preces, JUSTINE, tuorum,
Barbara nec Patriæ fata nocere ſinis.
Fis volitans liquidas manſueta Columba per auras,
Et meditata necem caſtra inimica petis,
Exarmaſque Duces, terreſque, fugaſque phalanges,
Unde habet incolumis parta trophæa Thetis.
Tantum ſub ſpecie facis, o JUSTINE, Columbæ.
Quid faceres vindex arma rotando Gigas?

Dæmon ab Obſeſſis ejicitur, qui nullo Sanctorum imperio exire gloriabatur.

COrpora dum Srygius Dux obſidet, inquit: ab iſtis
Dextera me fortem pellere nulla poteſt.

Mœrentes

Mœrentes Divorum homines ducuntur ad aram;
  Aſt exire negat Spiritus ille foras.
Cùm veneranda tamen JUSTINI altaria tangunt,
  Præſulis ad nutus exit, & exul abit.
SI, JUSTINE, facis quod nulla potentia fecit,
  Plus tua, quam centum, prævalet ergo manus.

Thomam Fundelli filium cæcum, ſurdum, mutum, atque contractum Genitrici ſanum reſtituit.

ET ſurdus Thomas, mutuſque, & cæcus, & annis
  Omnia contractus membra, quid æger agat?
Subſidium dare Terra nequit. Miſer ergo dolentem
  Ad lacrymas Populum ſub mala fata movet.
Motaque JUSTINI ſunt viſcera: & uſque gravatum
  His Infelicem non ſinit eſſe malis.
Ille, ſuæ ut Gnatum ferat excita ſedis ad aram,
  Ter Matrem in ſomnis, quo calet igne, monet.
Vix Thomas altare tenet, cùm protinus unum
  Prodigia ad nutum multiplicata nitent.
Mutus enim loquitur, cæcus videt omnia, ſurdus
  Audit; cuncta homini membra ſoluta vigent.
Neu ſtupeas puncto miracla tot edita eodem.
  Unum non poterat facta probare Patris.

Uno terræmotu ſcinditur Turris, altero in ſtatum priſtinum redit.

DUm cita Terra tremit, disjungitur ardua Turris,
  Concava qua crebris ictibus æra ſonant.
Aſt motum cùm Terra iterat, conjungitur uni
  Altera pars Turris; nec mala prima patent.
Alme Patrone, facis ſi damna vel ipſa juvare,
  Efficient dextræ quid benefacta tuæ?

Cinefacto funiculo, ardens Altaris ſui lampas ſuſtentatur in aëre.

FUniculus, pendet quo nexa per aëra lampas,
  Combuſtus tenuem vertitur in cinerem.
Firmior illa tamen liquido ſtat in aëre, & ardet
  In pompam, o Thetidos Dive Patrone, tuam.
Cur neque in ima cadit, neque deſinit edere lucem?
  Sentit io numen lampas & ipſa tuum.

Mulieris brachium diu paralyſis vitio diſſolutum corroborat.

MOEſta laborantem paralyſi urgente lacertum
  Femina habet, truncus ceu gravis ille foret.
Supplicat ante ſacram, quam Sculcola condidit, aram,
  Præbeat Athletes ut ſibi largus opem.
Dona lacertus habet mox præſtita. Munere tanto
  Sit, JUSTINE, potens quàm tua dextra, doces.

Locuſtas in mare præcipites trudit.

FUndere damnoſæ ſe culta per arva locuſtæ,
  Morſibus & Cereris dona vorare parant.
Jamque volant alacres, & obumbrant æthera nigro
  Agmine; jam præſens imminet exitium.
Ora femurque manu tundit ſibi Cultor, & inquit:
  I miſer, & campos ſedulitate cole.
Non patitur cladem JUSTINUS; at imperat, omnes
  Ut citò ſe mergant æquoris inter aquas.
Nulla mora eſt juſſis: immunia prata relinquunt;
  Vaſtaque præcipites obruit unda maris.

Spes

Spes redit Agricolæ, Patriæ redit omne levamen.
Præſulis o quantum caſibus auxilium eſt!

Fœderatum cœtum deturbat, ſcelera in Urbe moliri cupientem.

QUid ſub mente agitas gens impia? tendere in Urbem,
Et noctu innocuas depopulare Animas?
Fallitis: ecce gregem vigilans ſuper, altaque Achillei
Mœnia, te carâ Paſtor ab Urbe fugat.
Perge fremens, & diſce tuis incauta periclis:
Paſtor amans læſum non ſinit eſſe gregem.

Coortum extinguit incendium.

UNa domus flammis creſcentibus uritur: imbrem
Æthere de ſudo percipit una domus.
Imbre ſuperfuſo velox extinguitur ignis;
Gazaque fit vaſto libera ab exitio.
Sic, JUSTINE, jubes; ſic juſſibus omnia fiunt.
Juſſa hominis ſunt hæc, an rata juſſa Dei?

Mulierem nomine Bertam, membris omnibus læſam redintegrat in ſomnis, quæ poſtea cùm ad Altare B. JUSTINI pervenit, ibi divinitùs cantari audit: Gloria in excelſis Deo.

MOrtua Berta ſuis potiùs, quàm vivida membris,
JUSTINUM miſero flebilis ore rogat.
Caſibus in tantis pietate movetur Amator,
Unde ſuo Mulier libera facta malo eſt.
Præſulis illa volat grates perſolvere ad aram;
Audit & Aligeros cantica ferre Deo.
Detur ut æterno mox gloria digna Datori,
Divus agit, magni pignore prodigii:
Et cœtus quia nullus adeſt, vocat æthere ab aureo
Aligeros; Domino cantica ut apta canant.
Unde poteſt hominis vox tantam impellere turmam?
Vox eſt JUSTINI Præſulis: ergo poteſt.

Hominem Etruſcum a plantâ pedum uſque ad genua inutilem B. Albertus vivificavit, eundemque cæcum admonuit, ut ſeſe Teate conferret; ibi enim oculorum lumen (ſicut accidit) a B. JUSTINO reciperet.

ADjuvat Albertus, JUSTINUS & adjuvat Ægrum.
Luminat iſte oculos, roborat ille pedes.
Prodigium Albertus quid utrumque abſolvere omittit?
Diviſum Imperium fortè ſalutis habent.

Servum Comitis Boamundi nomine Caponem ferreis catenis vinctum ſolvit, liberumque ex carcere educit.

VIncula, quæ pendent nitidam prope Præſulis aram,
Jamdudum pedibus ſtricta Caponis erant.
Surge alacris (JUSTINUS ait) noctiſque per umbram
Me ſequere, & celeri corripe vincla manu.
Quæ pedibus cecidere tuis, ſuſpendere voto
Neu pigeat, titulis quà micat Urna meis.
Ille cito divina legit veſtigia greſſu,
Compunctuſque Animâ juſſa Datoris agit.
Omnibus ergo pedum comparent vincla Caponis;
Omnibus aſt Animæ vincula fracta latent.

Patriam liberat a terræmotibus, peſtilentiis, morbis, ac tempeſtatibus.

Digitized by Google

TErra tremit, ſævitque lues, morbique graveſcunt,
  Et tempeſtatum vis nocitura furit.
Tot mala JUSTINUS ſit contra animoſus, & Urbem
  Victor ab omnigenis ſoſpitat excidiis.
Quàm bene! Non patitur per viſcera Gnatus amoris,
  Pernicies Matrem quòd premat ulla ſuam.

Delatione Brachii ſui operatur prodigia.

QUò tendit, ſint ſive domus, ſeu ſtrata viarum,
  Seu mare, ſeu Templum, ſeu juga, ſive nemus,
Multa patrat Jeſus uno miracula nutu,
  Diſtribuitque ſuæ munera larga manûs.
Cælica JUSTINUS ſequitur veſtigia cultor,
  Et miſeris properat conſuluiſſe animis.
Relliquiæ huc illuc, infraque ſupraque feruntur,
  Signaque cæleſti continuantur ope.
Scilicet in vità fecit ſua dextera multùm;
  Vult, multùm faciat dextera poſt obitum.

Virtutem habet in Brachio.

COncepto, Theii, parce metu; ſcit nanque potentem
  In tua JUSTINUS commoda habere manum.
Corpora ſi Satanas ferus obſidet, acre flagellum eſt
  Dextera JUSTINI, quo procul actus abit.
Vis patet, & longos valido tutamine in annos
  Te levat incolumem, cùm mala fata premunt.
Fit circùm armigeros ſcutum impenetrabile in hoſtes,
  Horrida ubi mortis bella movere fremunt.
Ipſamet apparet pietas, nec fluminis inſtar
  In gremium lacrymas ſuſtinet ire tuum.
Angelus eſt, pellens ex aëre ſæpe malignos
  Spirituum cœtus, ne tibi damna ferant.
Pallida cùm vario langueſcunt pectora morbo,
  Caſibus auxilium cernitur eſſe tuis.
Quid tibi plura velis? JUSTINI dextra flagellum,
  Vis, ſcutum, pietas, Angelus, auxilium eſt.

Epitaphium.

JUSTINI veneranda jacent hoc oſſa ſepulcro,
  Quem peperiſſe, decus grande, Teate, tibi eſt.
Ille gregem errantem per iniqua, per avia Paſtor
  Ad rectum ſupero flamine duxit iter.
Multa tulit, fecitque vigil, ſudavit, & alſit,
  Ne Lupus imbelles ore voraret oves.
Prodigia exegit cùm tempus, hic omnia factus
  Omnibus, oſtendit numine quantus erat.
Paſtor adhuc vigilat, carique levamine ovilis
  Patrat adhuc validà ſigna ſtupenda manu.
JUSTINUM poſthac quiſnam periiſſe putarit,
  Cùm Patriæ æterno vivat honore ſuæ?

SUſcipe quæ cecini vultu, JUSTINE, ſereno.
  Tradere non aliud Muſa miſella poteſt.
Do quod inops habeo Vates: at pignore in iſto,
  Dive, tibi oblatum cor quoque noſce meum.
Anne poteſt donum præberi acceptius ullum?
  Neſcio quid melius corde Datoris erit.

VA1 1524478

Digitized by Google

18
23
XXVI
20.

Google